D. 146
Exeg. Pr. 483. – 2

NOVA SYLLOGE DISSERTATIONVM D. CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI

DILIGENTER RECOGNITARVM NOVISQVE ILLVSTRATARVM ACCESSIONIBVS.

PARS SECVNDA.

ROSTOCHII ET WISMARIAE
APVD IO. ANDR. BERGERVM ET IAC. BOEDNERVM
MDCCLIV.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

VIRO

SVMME REVERENDO

IOANNI GEORGIO

SCHELHORNIO

S. THEOL. DOCTORI

CIVITATIS IMPERIALIS

MEMMINGAE

SVPERINTENDENTI

GRAVISSIMO

THEOLOGO PARITER AC

PHILOLOGO CELEBERRIMO

ET MAGNIS

IN REMP. LITERARIAM

MERITIS INSIGNI

AMICO VETERANO
ET ANTIQVAE FIDEI PVBLICA
MEMORIA DIGNISSIMO
HANC
NOVAE SYLLOGES
PARTEM
DICAT
ATQVE AD AVGENDA
IN ECCLESIAM
ET IN ORBEM LITERATVM MERITA
VITAM AC VALETVDINEM
SVA NON INFERIOREM
PIE PRECATVR

C. A. HEVMANNVS
10. Martii 1754.

INDEX DISSERTATIONUM PARTIS SECUNDAE.

I. *Dissertatio de Pseudothaumaturgis Pharaonis.* 1.

II. *Dissertatio, in qua illustrantur loca illa, quibus Christus legitur vetuisse publicari suum aliquod miraculum.* 50.

III. *Dissertatio ad* Lucae *XVIII. 8.* 74.

IV. *Hebdomas Paulina, hoc est, Explicatio septem locorum* Epistolae Pauli ad Romanos. 89.

V. *Hebdomas Petrina, hoc est, Explicatio* septem Petri Apostoli locorum. 104.

VI. *Hebdomas Ioannea, hoc est, Explicatio septem locorum* primae Ioannis Epistolae. 133.

VII.

VII. *Creatio Poëtriae Caesareae.* 175.

VIII. *Creatio Poëtae Caesarei.* 179.

IX. *Obseruatio moralis de distinctione Iuris naturalis in absolutum & hypotheticum, item de discrimine* Iusti, Honesti, AEqui, *ac* Decori. 186.

Appendix de legibus positiuis vniuersalibus. 199.

X. *Dissertatio de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum.* 202

XI. *Programma de magno successore Mosis* CHRISTO, *Deut. XVIII. 15. & 18.* 247.

XII. *Programma de aduentu REGIS.* 261.

XIII. *Disputatio de fortitudine.* 272.

XIV. *Disputatio de legis diuinae paradoxae,* Deut. *XXII. 6. & 7. exhibitae, sensu & scopo.* 282.

XV. *Interpretatio quinque locorum* N. T. *obscuritate insignium.* 308.

XVI. *Dissertatio de titulo Ioannis:* ὁ μαθητὴς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. 332.

XVII.

XVII. *Dissertatio de sensu Paulino verbi* οἰκοδομεῖν *& vocabuli* οἰκοδομὴ. 342.

XVIII. *Programma de septem Spiritibus* Apoc. *I.* 4. 353.

XIX. *Programma ad verba Pauli* Rom. *IV*. 25. 363.

XX. *Programma de parenthesi Messiana* Ierem. *XXIII*. 5. 6. 378.

XXI. *Programma de Theocratia mundi perpetua.* 391.

XXII. *De tribus mensuris effusionis Spiritus S. in N. T.* 403.

XXIII. *De quaestione illa, cur Spiritus S. hodie non edat in Ecclesia miracula.* 419.

XXIV. *De testimonio resurrectionis Christi Angelico.* 432.

XXV. *De titulo DEI GRATIA.* 446.

XXVI. *De titulo* Pacifici. 457.

XXVII. *Programma* περὶ ἀφροσύνης Marci *VII*. 22. 465.

XXVIII.

XXVIII. *Dissertatio de voto Iephthae.* 476.

XXIX. *Dissertatio, qua Paulo Orosio nomen tertium* Hormisdae *restituitur.* 484.

XXX. *Historia* Bogomilorum *critica I. L. OEDERI.* 492.

I.

I.
DISSERTATIO (a)
DE
PSEVDOTHAVMATVRGIS PHARAONIS.

LEMMATA.

Cur tot ac tanta DEVS in AEgypto per Mosem patrarit miracula, I. *Vera quae sint miracula*, II. *Consideratio primi miraculi Mosis*, III. *Comparatio primi miraculi Christi cum primo Mosis miraculo*, IV. *Quis fuerit scopus caeterorum duorum miraculorum, quae Moses ad Hebraeos edidit*, V. *Grada-*

(a) Habita est haec Disputatio 1744. d. 12. Dec. respondente *Georgio Wilhelmo Alberti*, Osterodano, nunc Pastore ecclesiae Tunderensis, clarissimo scriptore *Epistolarum de hodierno Britanniae statu ecclesiastico & literario.*

datio miraculorum Mosis ad flectendum Pharaonem patratorum, VI. *Argumentum praeiudiciale, quo efficitur, magos Pharaonis non patrasse miracula*, VII. *Tota huius rei scena explicatius repraesentatur*, VIII. *Verus sensus horum verborum*: & magi etiam sic fecerunt, *exponitur*, IX. *Qua arte primum Mosis miraculum eludere conati sint magi*, X. *itemque secundum*, XI. *Quid fecerint ad eripiendam Mosi tertii miraculi gloriam*, XII. *Cur, quod simile videretur quarto Mosis miraculo, facere non potuerint*, XIII. *Confessionis magorum de Mosis miraculis sensus plenus*, XIV. *Refutatio generalis diuersarum a nostra sententiarum de magorum miraculis*, XV. *Speciatim iis respondetur, qui magis praestigias tribuunt Diabolicas*, XVI. *hinc iis, qui miracula magorum habent pro veris, sed a Diabolo factis*, XVII. *tandemque iis, qui pro veris habentes magorum miracula sibi persuadent, ipsum* DEVM *per eos ea fecisse*, XVIII. *Nostrae sententiae, qua, magorum miracula meras fuisse fraudes humanas, credimus, subscriptores laudantur*, XIX. *Quae causa fuerit, cur Pharao non iusserit interfici Mosem, disquiritur*, XX. XXI. XXII. *Conclusio*, XXIII.

D. G.

D. G.

I.

Tot ac tanta miracula cur per Moſem in AEgypto patrarit DEVS, facile intelligitur. Tempus ſcilicet venerat, quo congreganda erat a DEO, id patriarchis (a) pollicito, gens Hebraeorum in vnam eccleſiam in propriamque rempublicam. Ante omnia igitur Hebraei, facti in AEgypto populus maximus, cognoſcete debebant clariſſime certiſſimeque, ſe nunc diuinis auſpiciis AEgypto egreſſuros eſſe venturosque in promiſſam dudum regionem. Deinde rex AEgypti permouendus erat, vt ſaluos incolumesque dimitteret Hebraeos: id quod non erat (b) facturus, niſi malis miraculoſis, iisque pluribus, huc adactus: quibus miraculis ſimul patefaciebat DEVS (c) AEgyptiis, imo toti (d) terrarum orbi, in quo populo vera vereque diuina & ſola mentes tranquillatura vigeat religio.

II.

Miracula autem vocamus ea opera, quae indubie modum excedunt omnis humanae poten-

(a) *Gen. XIII. 14. 15. XV. 13. & 15. L. 24. Hebr. XI. 22. Exodi VI. 4. & 8.*

(b) *Exodi VII. 3. 4. X. 1. XI. 9.*

(c) *Exodi VII. 5. 17. VIII. 10. 22.*

(d) *Exodi IX. 16.*

tiae, solique DEO sunt factu facillima: quaeque adeo se DEI iussu facere dicentibus fides habenda est certissima: e. g. cum quis manifeste & subito efficit, vt caecus aliquis cernat, surdus audiat, mutus loquatur, claudus vitio pedum careat, leprosus alioue laborans morbo sit sanus, mortuus reuiuiscat, aqua sit vinum, baculus serpens. Daemones talia per impios homines facere & posse & solere, credentes Pharisaei, non solum DEO, quem dixisse (e) norant, *se vnum esse patratorem miraculorum*, contradicebant, sed etiam sibimet ipsis, certum scilicet habentibus, Mosem, Eliam, Elisam, & alios populi sui thaumaturgos opera sua nonnisi DEO operante potuisse facere: stolide praeterea facientes, dum hoc pacto doctrinae ipsius DEI, a se solo proficisci miracula, clare docentis, doctrinas vel potius fabulas anteferebant ethnicas omni fundamento destitutas. Miracula namque ab ethnicis iactata, quae Diabolo tribuebant Pharisaei, nunquam facta erant, sed id mentientibus sacrorum antistitibus stulte credulum se praebuerat suus cuiusque populus. Accedit, quod Diabolus DEI aduersarius, non potest facere, quod regnum DEI stabiliat, suum euertat. Iam vero Moses ac pro-

(e) 1. *Regum XVIII. 36. Psal. LXXII. 18. & LXXVII. 15. & CXXXVI. 4.* Etiam *Act. XIV. 3.* miracula vocantur *testimonia* DEI de sua missione eius, a quo patrantur miracula. Hinc Paulus omnia a DEO non patrata miracula *2. Thessal. II. 9.* vocat τέρατα ψεύδους, *mirabilia, quae mentiuntur miracula.*

prophetae caeteri miracula ediderunt ad enecandum peccatum, Diaboli filiam, & ad summam erga DEVM pietatem ingenerandam.

III.

Verissima igitur fuisse, quae Moses in AEgypto patrauit, miracula, non illius tantum temporis Hebraei, sed omnis & Iudaica & Christiana posteritas iudicauit verissime. Caeterum cum & in eligendis miraculis DEVS suam sequatur sapientiam, eruditae pietatis fuerit, primum miraculorum illorum Mosis contemplari attentius, & inuestigare causam, cur primus ei locus assignatus fuerit. Valet vero & hic πολυθρύλλητον illud: *Effectus testatur de causa.* Iam cum effectus, hoc est, miraculum hoc primum, demonstret, Mosem esse legatum DEI, qui constituere debeat remp. Hebraeorum singularem, eique praeesse leges ferendo cum religiosas, tum ciuiles, eumque in finem eos, rege nequicquam reluctante, ex AEgypto educere ad occupandam regionem Abrahamo promissam; non est difficile agnoscere, huic rei clarissime significandae hoc miraculum a DEO fuisse adhibitum. Primo igitur manifestum creationis genus, quo fiebat e baculo serpens, e serpente baculus, liquido demonstrabat, missum esse Mosem ab eo, qui e quolibet, imo e nihilo, producere valet quodlibet, hoc est, a DEO, cuius vnius haec est potestas. Deinde electus ad hoc miraculum efficiendum scipio significabat, a DEO datum esse

Mosi scipionem siue sceptrum, insigne (f) maiestatis & auctoritatis rectoriae, eumque hoc nunc accepisse munus, vt dux siue rex esset Hebraeorum populi. Denique productio serpentis, animalis horribilis & noxii, indicio erat, malefica editum iri a Mose miracula, quibus & AEgyptii vna cum rege suo, & Hebraei, si se praebituri posthac essent immorigeros, punirentur grauissime.

IV.

Haud iniucunda fuerit primi miraculi Mosis cum primo domini nostri, IESV CHRISTI, miraculo

(f) *Insigne regni antiquitus potissimum fuit* sceptrum, *quod* βασιλικὴν ῥάβδον, regium baculum, *interpretatur Etymologicus*, inquit Feithius in *Antiq. Homer. lib. II. cap. 4.* vbi de hoc insigni regio plura profert e priscis scriptoribus: id quod & Seldenus fecit in *lib. I. de titulis honorum cap. 8. §. 3.* & Massonus in *Hist. crit. de la rep. des lettres T. II. p. 6. sqq.* & Gottl. Cortius in Disp. 1724. habita Lipsiae *de origine & vsu sceptrorum*. Eodem modo Romanorum consulum insigne erat *scipio* eburneus: qualem & postea ab Imperatoribus donatum fuisse regibus externarum gentium amicis, Tacitus docet *Annal. IV. 26. 4.* Imo iam ante Mosis tempora *baculum* fuisse regni notam, vel illa Iacobi verba: *Non auferetur a Iuda sceptrum*, perdocent. Luculenta quoque sunt loca *Num. XVII. 2. Ezech. XIX. 11. Ierem. XLVIII. 17. Psal. CX. 2.* Veterum quorundam ecclesiae doctorum de Mosis hoc baculo pias quidem ineptias, sed tamen ineptias, qui cognoscere gestit, Whitbyi inspiciat librum *de commentariis Patrum p. 17. & 18.*

raculo comparatio. Succeſſor enim is fuit (g) *Moſis*, ſed ſucceſſor longe auguſtior, multoque amplioris regni ſacri conditor, ac perpetuus, hoc eſt, ad finem (h) vsque mundi, rector & gubernator. Hic igitur & ipſe miraculorum ſuorum initium fecit a creatione, aquam iubens eſſe vinum praeſtantiſſimum guſtuque ſuauiſſimum: atque ita docebat, ſe a creatore huius vniuerſi ad homines miſſum eſſe. Cum vero *Moſes* ſerpentem creando oſtendiſſet, pleraque ſua miracula futura eſſe malefica, CHRISTVS contra creando vinum eoque conuiuas recreando ſignificabat, pleraque vel potius omnia (i) ſua miracula benefica (k) eſſe futura & ſalutaria. Qui &, cum duo diſcipuli a ſe peterent, vt in Samariam vrbem coelo deuocaret ignem Eliae exemplo, ſe vero non veniſſe nunc iudicem & vltorem, docebat, ſed σωτῆρα, ſuumque adeo eſſe, ***miracula*** edere non ***irae***, ſed ***gratiae***.

V.

Quae obſeruatio nobis & caeterorum duorum miraculorum, quae Moſes ad Hebraeos veniens faciebat, diuinum ſcopum reddit perſpicu-

 um.

(g) *Deut. XVIII. 15. Act. III. 22.*

(h) *1 Corinth. XV. 24.*

(i) Duo poſſunt excipi: quorum tamen neutrum fuit in homines maleficum, ſed alterum in arborem quandam, alterum in pecudes.

(k) Lege ſis doctam ſuper hac re meditationem Witſii in *Melet. Leid. p. 272. & 338. ſq.*

um. Altero videlicet leprosae manui suam reddebat sanitatem, altero aquam limpidissimam faciebat sanguinem: priore docens, DEVM habere pios summum sanitatis (l) ac omnis felicitatis effectorem; posteriore, DEVM esse summum impietatis vltorem. Cum igitur nec bona nec mala maiora a quoquam proficisci possint in humanum genus, quam a DEO, manifestum faciebat his quasi symbolis, maximum in modum coeleste Numen esse hominibus timendum formidandumque, ac simul maximum in modum & mente & opere & ore colendum. Ac huius rei multa Hebraei nacti sunt experimenta non solum tum, cum versarentur cum Mose suo in locis desertis, sed illo quoque tempore, quod in regione a DEO sibi donata transegerunt. Siue enim bene pieque viuerent, omnis generis diuinis affluebant beneficiis; siue leges diuinas violarent, totosque se dederent vitiis, poena eos premebat comes: & ad vltimum, cum ne tanta quidem DEI gratia, vt maior esse nulla posset, frangerentur emendarenturque, & ipsius DEI filii vnigeniti sanguinem crudeliter effunderent, factum est, vt *aqua* illorum fieret *sanguis*, hoc est, vt multis millibus suorum ab hoste caesis amitterent prorsus & sacra sua & sedes pristinas, &, qui caedem hostium effugerent, perpetuo addicerentur exilio.

VI.

(l) En interpretationem ipsius DEI *Exodi XV. 26:* *Si meis praeceptis parueritis, Israelitae, non afficiemini morbis, quibus affecti fuerunt Aegyptii: ego enim sum vester medicus.*

VI.

Intueamur nunc illa Mosis miracula, quae cum ciuibus suis odio Hebraeorum ob religionis diuersitatem imbutis vidit Pharao, cum, vt Hebraeum dimitteret populum, primo Mosis miraculo adeo non permoueretur, vt etiam pluribus se praeberet inexpugnabilem. Gradatim videlicet in eum efferuescebat sanctissimi Numinis ira, increscenteque eius contumacia in maius augebatur & ipsa. Nilus igitur primo conuertebatur in sanguinem. Iam cum primo miraculo Moses demonstrasset, suum DEVM, tanti quippe miraculi auctorem, verum esse Deum, nunc manifestum faciebat, AEgyptiorum Deos, inter quos non vltimum locum tenebat (m) Nilus, quippe cui

(m) Hinc Pharao singulis mane ad Nilum adibat, suumque ei praestabat cultum. *Exodi VII. 15.* & *VIII. 20.* Ac Philo *lib. I. de vita Mosis p. 617.* docet, cultam fuisse ab AEgyptiis aquam, tanquam rerum omnium principium. Videtur etiam auctor *libri Sapientiae cap. XIII. 2.* significare AEgyptios, cum ait, esse, qui pro Deo colant βίαιον ὕδωρ. Pluribus *de Nilo* hoc docet Cl. Bosseckius in Diss. *de cultu fluminum* 1740. edita §. XIX. sqq. & Zornius *Biblioth. antiq. exeg. p. 647.* Videtur vero & propterea Nilum hac ignominia affecisse DEVS, quod in eo mori coacti fuerant multi Hebraeorum infantes *cap. I. 22:* id quod etiam credere in mentem venit auctori *libri Sapientiae cap. XI. 7. 8.* Scilicet Nilo, Deo suo, mares Hebraeorum infantes hoc modo sacrificabat ille Pharao. Nilo flumini sacrificasse AEgyptios ad saeculum vsque quartum post

cui ſe vitam vitaeque proſperitatem debere profitebantur, falſa eſſe & fictitia numina. Caeterum non ita grauis erat haec poena, cum terrae perfoſſiones (n) ipſis tantum aquae, quantum opus erat, ſubminiſtrarent. Id quod cum DEI fieret beneficio, etiam hinc elucebat eius indulgentia, quod ſeptem poſt dies (quod & ipſum merito credimus praedixiſſe Moſem,) priſtinam Nilus recuperabat naturam. Secunda autem poena erat grauior, ranis, animali foediſſimo, implentibus omnia eorum domicilia & cubilia, lectos item, furnos, cibos inquinantibus, & hoc ipſo docentibus, nihil eſſe in oculis DEI foedius rege pariter ac populo AEgyptio. Quae mali granditas credere cogebat Pharaonem, Hebraeorum DEVM eſſe eius cauſam: quem adeo orandum ducebat, vt calamitatem hanc tolleret. Paulo poſt autem, poenitentiam ſuae poenitentiae cum ageret Pharao, maius priore malum ſuſtinendum erat AEgyptiis, foeditatem ranarum excipientibus pediculorum (o) morſibus. Hunc quoque dolorem ſuperabat

Chriſtum natum, docet Sozomenus *Hiſt. eccl. lib. VII. cap. 20.*

(n) *Exodi VII. 24.*

(o) Non aliud animal, quam pediculos, hic dici, Bochartus docet in *Hieroz. P. II. lib. IV. cap. 18.* Non autem vnius generis hos fuiſſe pediculos, ſed ab alio eorum genere homines, ab alio animalia fuiſſe vexata, Scheuchzerus exiſtimat in *Phyſica ſacra T. I. p. 175*: quod quidem concedi poteſt facile. Paradoxa

bat is, qui ſubſequebatur, acrioris acuminis animalculis AEgyptiorum corpora compungentibus, ac praeterea fruges agrorum corrumpentibus. Quo & ipſo malo ſublato cum impia rediret obſtinatio in regis praecordia, non pergebat ira Numinis intra necem conſiſtere, ſed grauiſſima peſtilentia abſumebat iumenta & pecora: ſimul hoc ipſo ſignificans, inſtare idem mortis genus hominibus, nihil magis morte metuentibus. Quae minae haud obſcurae cum non mouerent regem Marpeſia caute duriorem, augebat DEVS metum peſtilentiae, immittens AEgyptiis puſtulas peſtilentiales, atque ita in propinquo oſtendens interitum totius populi. Cuius amore cum non moueretur rex immiſericors & maleſanus, permiſſurusque videretur, peſtilentia perire magnam eius partem, mitius cepit (p) conſilium

DE-

radoxa de his animalibus ſententia exhibetur in *Nouis Miſcellaneis Lipſienſibus T. III. p. 201. ſqq.*

(p) Male verba DEI *cap. IX. 15.* ita reddidit vetus ille interpres, quem Lutherus noſter eſt ſecutus: *Nunc enim extendens manum percutiam te & populum tuum peſte, peribisque de terra.* Quam interpretationem eſſe falſam, vel ex eo liquet, quod id non euenit. Recte igitur ea ſic reddidit Ioach. Langius: Denn würde ich itzt meine Hand ausſtrecken, und dich und dein Volck mit Peſtilenz ſchlagen, ſo würdeſt du von der Erde vertilget werden. Aber gewißlich um deswillen laſſe ich dich leben, daß ich meine Kraft ſehen laſſe, und man meinen Nahmen verkündige in allen Landen. Quem ſenſum horum verborum & agnouerunt Calouius, Zeltnerus, Grotius, Clericus.

DEVS, viuereque permittens AEgyptios, inter quos & nonnulli (q) Deum Hebraeorum iam reuerebantur, aliis malis affecit ipſorum terras terrarumque dominum. Nunc enim grandine & fulminibus percutiebat atque conterebat & fruges agrorum & arbores, pecora ſimul occidens & verſantes in agro homines: ac deinceps, cum ſperaret Pharao, e ſeminibus tritici & ſiliginis, grandini (r) intactis, progerminaturam eſſe meſſem ſatis vberem, locuſtas iuſſit omnem illam ſpem perimere. Verum ne tum quidem cedenti parentique Pharaoni tandem vna cum ſuis plurimis mortem inferre decreuit DEVS, mortisque ideo imaginem praemiſit, caliginem toti AEgypto incumbentem, & quidem tantam, vt omnem lucem omnibus ita eriperet, vt prae ſtupore nemo loco ſe ſuo moueret intra triduum, ac de ſingulis Ouidianum illud vſurpari poſſet: *Viuit & eſt vitae neſcius ipſe ſuae.* Caligine autem tanta cum caliginoſior eſſet mens regis, vnam tamen adhuc viam ad poenitentiam ei aperuit DEVS, lentiſſimo gradu ad extremam poenam procedere ſolitus, ſcilicet non ipſi ſtatim mortem inferens, ſed ipſius primo natu filio & caeteris AEgyptiorum primogenitis omnibus. Ac ſane cum mortes has proxime ſecutura crederetur mors vniuerſorum, id ea clade effectum eſt, vt egredi AEgypto rex permitteret Hebraeos. Verum

(q) *Cap. VIII. 19. & IX. 20.*

(r) *Cap. IX. 32.*

rum paulo post tamen, haud dubie Diabolum (s) hospitem habens sui pectoris & consiliorum rectorem, eos cum exercitu hostiliter est insecutus: tumque iustissimo iudicio vna cum comitum suorum turba in vndis periit, furere quippe non prius, quam viuere, desiturus.

VII.

Vidimus Mosis miracula in AEgypto patrata omnia, & eum quidem in finem, vt ipse DEVS (t) docet, edita, vt liquido appareret, nonnisi DEVM eorum esse auctorem. *Cum* vero vulgo credantur paria his miracula aliquot fecisse magi AEgyptii, incertaque adeo reddi videatur miraculorum Mosis origo diuina, profligari oportet hunc errorem, ac luculenter demonstrari, nihil miraculi fecisse magos illos, ineptequae ac minus docte facta eorum adhiberi ad labefactandam Mosis miraculorum veritatem. Ac poterat iam ex eo, quod, qui tum in AEgypto erant, Hebraei propter ea, quae magi fecerunt, non sunt in dubitationem adducti de diuinitate miraculorum Mosis, satis cognosci, miraculis Mosis magos

(s) Quod e *Lucae XXII. 3. & Ioan. XIII. 2.* de Iuda proditore cognitum habemus, idem iure nobis persuademus de hoc Pharaone, non magis quippe suum, quam Diaboli, agenti negotium, omni conatu impedituri, ne regnum suum exoriente nouo DEI regno detrimentum caperet. Est igitur & Antichristi luculentus typus habendus hic Pharao.

(t) *Cap. VII. 5. & 17. VIII. 10. & 22. IX. 16.*

gos non oppoſuiſſe miracula. Quod ſi enim idem, quod Moſes, feciſſent magi, qui fieri potuiſſet, vt Hebraei non vererentur, ne falſo ſe iactaret Moſes legatum ſupremi Numinis? Atqui nihil de fide ſua Moſi habita remiſerunt, ſed certiſſimum habere perrexerunt, diuinae potentiae Moſem edidiſſe opera. Ex quo clariſſime ſequitur, ipſos ſtatim vidiſſe, ea, quae magi faciebant, vera eſſe ludibria. Quod igitur ii tum cognouerunt, vt etiam nos cognoſcamus, operam nunc nauabimus ſedulam, DEVM, cuius hic agitur gloria, prius precati, recte vt ſuccedere laborem hunc noſtrum iubeat.

VIII.

Lucem autem potiſſimum praeferre nobis debet ipſa huius rei hiſtoria: cuius proinde circumſtantias (n) e narratione Moſis colligemus ſtudioſe & nobis pariter ac lectoribus noſtris repraeſentabimus. Peruenerat ſcilicet ad aures Pharaonis, reuertiſſe Moſem in AEgyptum, editisque aliquot miraculis perſuaſiſſe Hebraeo populo, a DEO ſe miſſum eſſe, vt ipſos ex AEgypto educeret. Non ignorabat Pharao, Moſem quondam in aula inſtar regii alicuius filii educatum, poſteaque fuga ſaluti ſuae conſulere coactum

(n) Sequemur hic & in ſequentibus §§. methodum interpretandi, non ita pridem a nobis propoſitam atque expoſitam in Diſſ. *de exegeſi hiſtorica Scripturae ſacrae:* vbi etiam §. XXXVII. hanc praeſentem Diſputationem promiſimus.

actum fuisse. An iam dubitabimus, eum metuisse, ne regem se Moses conetur facere Hebraeorum, eosque Pharaonis ditioni imperioque subducere? metuisse item, ne faciles ad defectionem futuri sint Hebraei iugo (x) quippe pressi tyrannico? An dubitabimus, eum cum proceribus suis cumque magis, qui proceribus auctoritate pares erant, quid hic facto sit opus, deliberasse? Quid proceres ei dederint consilii, quid *magi*, ea docent, quae a rege facta esse legimus. *Illi* videlicet suadebant, vt Hebraeum populum perpetuo exerceret labore, atque ita impediret, ne congregari in vnum possent ac seditiosa agitare & exsequi consilia. Hi censebant, fingenda esse, quae Mosis miraculis opponerentur, miracula, ne ipsi AEgyptii veneratione Mosis tanquam viri diuini ab obsequio regis abstraherentur. Neque erat insolens magis, (commune enim hoc habebant cum caeterarum gentium ethnicarum sacerdotibus,) fictis miraculis superstitiosiorem reddere populum & in maiorem sui suorumque deorum venerationem adducere. Vtrumque consilium regi placuisse, euentus docet. Statim itaque laboribus assiduis distrahebantur Hebraei, erantque perpetuo sub oculis praefectorum regis omnia sollicite circumspicientium. Magi interea satis temporis habebant ad excogitandas fallacias, quae populo viderentur esse miracula ipsis illis, quae a Mose iam ad Hebraeos edita esse norant, similia. Ac breui fiebat

(x) *Exodi III. 7. & 9.*

bat, vt ſpeciem praebere valerent conuerſorum in angues baculorum, mutataeque aquae in ſanguinem: quorum vtrumque Moſes in conſpectu Hebraeorum fecerat. Non erat enim ipſis in regione anguium plena viuentibus incognita ars capiendi angues, captosque illaeſa manu tenendi. Aquae autem mutationem in ſanguinem ſimulare non erat ipſis difficilius, quam nunc eſt S. Ianuarii ſacerdotibus, quieſcentem ſanguinem reddere mobilem feruidumque. Caeterum vti hi non valent artem exercere ſuam, niſi remotius adſtante populo, ſuasque caerimonias religioſiſſime intuente & ſtupente; ſic omnino credi debet, etiam Pharaonis magos e longinquo feciſſe, quae faciebant, & praemiſſis pariter intermixtisque multis (*) caerimoniis, vt ſcilicet animis magis, quam oculis, adeſſent, qui aderant. Procedere enim ars non poterat, ſi ita, vt Moſes, remota omni caerimonia in propinquo agerent, ſuamque actionem oculis ſubiicerent falli neſciis. Probe quoque ſciebant, ſuae actionis longinquitatem non eſſe ſuſpectam AEgyptio populo, credere quippe adſueto, ſacra haec non conſtare aliter. Hoc pacto faciebant magi, quod non

(*) Hoc Moſes ſignificat verbo בלהטיהם *cap. VII.* 11 & 22. & *VIII.* 3 Vocabulo enim hoc *occultam actionem*, qualis etiam eſt caerimoniarum apparatus, dici, conſentiunt Lexicographi. Vid. & Druſius ad *cap. VII.* 22. Quare, qui *incantationes* eo ſignari putant, manifeſto ſequuntur opinionem male praeconceptam.

non faciebant, hoc eſt, ſe baculos conuertiſſe in ſerpentes, aquam in ſanguinem, credulae ſuae plebi perſuadebant, non item Moſi, non Hebraeo populo, imo ne regi quidem ſuo, quem fraudis huius fuiſſe conſcium, eamque tam dubio rerum ſuarum ſtatu approbaſſe cupide, (*dolus* enim, *an virtus, quis in hoſte requirat;*) dubitari vix poteſt, ac ne vix quidem. Inter haec veniebat ad Pharaonem (y) Moſes, miraculique nihil edens petebat ab ipſo ſimpliciter, vt Hebraeis permitteret egredi AEgypto ad ſacra facienda DEO ſuo IEHOVAH. Renuebat vero rex: cumque aliquo tempore poſt Moſes (z) ad ipſum rediret, ſuasque preces repeteret, poſtulabat (a) ab eo, vt eadem miracula, quae inter Hebraeos edidiſſe dicebatur, ſuo patraret in conſpectu. Quorum cum primum edidiſſet, ſtatim vocari rex iubebat magos ſuos. Qui cum arte ſua effeciſſent, vt idem viderentur feciſſe, abire protinus rex iubebat Moſem atque Aaronem, ſe dimiſſurum Hebraeos, negans iterum iterumque.

IX.

Videmus ac perſpicue ſatis videmus, nihil a magis factum eſſe miraculi veri: ſed non item hoc vident complures Moſaicae hiſtoriae lectores &

(y) *Cap. V. 1*
(z) *Cap. VII. 10.*
(a) *Cap. VII. 9.*

& interpretes. Imo exhibent nobis haec (b) Mosis de magis verba: *Fecerunt ita* (c) *etiam magi:* quae ita ipsorum oculos praestringunt, vt paria Mosis miraculis miracula tribuere magis his non dubitent. Sed age doceamus, quam magnus hic sit error exegeticus, quam item facile refelli possit. Ac manu nos ducit ad verum horum verborum sensum ipse Moses noster, ita *cap. VIII. 18.* scribens: *Et fecerunt etiam magi ita,* (vti Moses fecerat,) *sed ita facere non potuerunt.* Videsne, lector amice, e verbis posterioribus, a te priora verba capi sensu non suo? An forte contendes, eos fecisse, quod nec factum esse ab iis nec potuisse fieri, diserte scribitur? Annon agnoscis, inquam, Mosem negare, id factum esse a magis, quod tu factum ab iis esse aiebas? Quid, quaeso, euidentius est, quam hoc, *facere ita* hic loci nil aliud esse, quam *facere ita* (d) *cona-*

(b) *Cap. VII. 11. & 22. VIII. 7. & 18.*

(c) Verba haec proprio sensu capienda esse, credit etiam, alios vt omittam, Clericus in *Comm. in Exodum p. 37.* itemque, qui eum in tota hac historia ducem sequitur, beate nuper defunctus Ha:ensis Theologus, Langius, vir alioqui de exegesi Biblica optime meritus, in *Comment.* suo *p. 402.*

(d) Ac id iam olim agnouit Augustinus, ita ad h. l. scribens: Fecerunt *dictum est pro* conati sunt facere. *Nam vtique, si fecerunt similiter, procul dubio eduxerunt cyniphes. Sed quia sequitur:* vt educerent, & non poterant, *non ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt.* Tremellius quoque & Iunius hunc locum ita reddiderunt: *Laborantes vero similiter magi incantationibus suis, pro-*

conari, *seque etiam ita facturum esse*, *iactare?* Quod quidem dictionis genus Hebraeis (e) familiarissimum est. Ac hoc quidem loco id eo facilius agnoscitur, quod sacer historicus, *fecisse magos ita*, scribit adiectis his verbis: *vt videlicet producerent pediculos*. Quo ipso non solum docet, non vere eos ita fecisse, vt Moses fecerat, sed tantummodo facere conatos esse; verum etiam, caetera quoque loca esse in hunc modum interpretanda, haud obscure significat. Cum igitur conuerso in anguem Mosis baculo *idem fecisse*

vt producerent pediculos, *non potuerunt*. Etiam Calouius agnoscit, nonnisi *conatum* magorum a Mose indicari *irrito molimine* susceptum.

(e) *Verbum*, *quod actionem significat*, *non semper actionem significat ipsam*, *sed interdum voluntatem duntaxat vel studium & conatum agendi*. Canonem hunc exegeticum pluribus illustrat exemplis Glassius in *Philol. sacrae lib. III. tract. III. can. 7. & 8.* Plura sacri codicis exempla protuli in *Poeciles* Tomo tertio *p. 199. seqq.* vbi & profanorum cum Latii, tum Graeciae scriptorum exempla exhibui similia: quibus adiici merentur, quae postea producta sunt in *Miscell. Obs. crit. Vol. X. p. 371. sqq.* Addo & haec loca. *Act. XXVI. 11*: ἠνάγκαζον, *conabar eos cogere*. Etiam *Gal. VI. 12.* eo sensu vsurpatur ἀναγκάζειν. *1 Ioan. II. 26*: οἱ πλανῶντες ὑμᾶς, *qui vos in errorem deducere conantur*. *Marci XIV. 51*: κρατοῦσιν αὐτὸν, *conantur eum comprehendere*. *Psal. CXLIII. 3*: *Inimicus meus contundit vitam meam ad terram*, *& me detrudit ad inferos*, hoc est, contundere ac detrudere studet.

ciſſe dicuntur magi *cap. VII. 11.* non idem illud feciſſe, ſed id egiſſe, vt idem facere crederentur, docetur. *Etiam ita fecerunt magi*, inquit Moſes, hoc eſt, vt & ipſi viderentur baculos ſuos conuertiſſe in ſerpentes, efficere ſtuduerunt. Ac tum quidem ſua illis ars, ſua fraus, ex voto ſucceſſit. Iterum proinde cum *cap. VII. 22.* dicuntur *ita feciſſe*, vt Moſes, qui aquam in ſanguinem conuerterat, nihil dicitur aliud, quam eos conatos eſſe efficere, vt etiam ipſi aquam conuertere poſſe, imo conuertiſſe in ſanguinem crederentur. Quod & ipſum conſilium ſperatus ſequebatur exitus, ſimulationem pro veritate habentibus AEgyptiis. Denique cum ranis a Moſe in totam AEgyptum inuectis magi quoque *ita feciſſe cap. VIII. 7.* leguntur, hoc docetur, eos multas inter caerimonias operam dediſſe, vt non Moſis, ſed ſuum, crederetur hoc eſſe miraculum, nec Moſis DEVS, ſed ſui dii, populo ſcilicet irati, aduexiſſe tantam ranarum multitudinem putarentur: de quo huius loci ſenſu infra dicemus accuratius. Ac tum quoque feliciter eluſiſſe Moſis miraculum viſi ſunt iis, qui libenter credebant, ſuos deos eorumque miniſtros id & poſſe facere & nunc feciſſe.

X.

Apparet nunc ſatis, non feciſſe magos eadem, quae Moſes fecerat, miracula, ſed facere duntaxat conatos eſſe ea, quae factis Moſis viderentur ſimilia, conatumque hunc ipſis proſpere ſuc-

succesſiſſe, ita tamen, vt, cum de Moſis miraculorum veritate dubitari non poſſet, incertiſſimum relinqueretur, fingerent ipſi an vere facerent miracula: imo acutiori cuiuis facile ſuboleret, hic eſſe veri nihil, omnia falſa. Conſideremus, quaeſo, tria illa eorum imitamina ſigillatim. Ac ad priora quidem duo imltanda eos acceſſiſſe praeparatos, ſupra iam vidimus. Vidimus item, artem tractandi ſerpentes non fuiſſe in AEgypto (f) incognitam. Quemadmodum

 igitur

(f) Adhuc hodie inter AEgyptios eſſe, qui artem calleant manibus capiendi ſerpentes & ſine vlla ſua noxa tractandi, teſtis eſt ἀυτόπτης Theuenotius in *Itinerarii* ſui *P. I. lib. II. cap. 73. p. 346.* verſionis Germanicae. Imo, qui *virgas mutent in ſerpentes*, hodieque apud Sinas eſſe praeſtigiatores, Huetius obſeruauit in *Quaeſt. Alnet. lib. II. cap. 12* §. *XI.* Eſſe autem hanc artem mere naturalem & induſtriae fructum humanae, docte docet Theologus Batauus, Ioncurtius, in *Epiſtolis* ſuis *exegeticis*, a. 1715. editis, p. 359. ſqq. Ac iam olim inter Marſos in Italia & Pſyllos in Africa fuiſſe multos *domitores ſerpentium*, Gellius refert *lib. XVI. cap. 11*: quos agyrtas fuiſſe, Corn. Celſus in *libri V. de medicina cap. 27.* obſcurius, Ludolfus in *Comment. ad* ſuae *Hiſt. AEthiop lib. I. cap. 9.* p. 137. ſq. clarius docet. Vid. & Voſſii *lib. IV. de idol. cap. 61* Duos recentiſſimos de Pſyllis & Marſis ſcriptores commemorant *Nouellae literariae Lipſienſes* 1745. p. 558. & *Acta eruditorum* 1746. p. 66. Hinc & Guſſetius, qui ſecundi ac tertii magorum miraculi auctorem facit Diabolum, non dubitat, eorum primum miraculum fuiſſe *meras praeſtigias & illuſionem*, in *Lexico* ſuo v. לוט.

igitur agyrtis nostris haud est difficile, vacuum initio exhibere vasculum, & post ostentare in eo viuum passerculum; ita nec iis, qui tractandorum serpentum artem callent, arduum esse potest, subito in lucem producere serpentem antea sub veste occultatum, eumque baculo substituere, si multas inter caerimonias obscuritatesque & e longinquo id facere ipsis permittitur. Ac docet (g) Websterus, se suis oculis vidisse duos artifices, quorum alter bacillo suo callidissime supposuerit serpentem, artificialem quidem illum, sed naturali serpenti visum simillimum; alter verum serpentem praeter omnium opinionem subito produxerit: quorum tamen neuter a spectatoribus vel DEI vel Diaboli instrumentum & minister habitus fuerit, imo qui nec ipsi miraculum patrasse credi voluerint. Nec hoc a nobis omitti debet, quod, cum serpentes magorum magnum terrorem (h) incuterent spectatoribus, denuo proiecit baculum (i) suum stans in proximo Aaron, qui magorum serpentes deglutiens nouo & magis inimitabili miraculo lucide confirmabat, prius miraculum, nulla obscuritate,

(g) In libri *de magia cap. VII. §. 42.*

(h) Hancce circumstantiam adiicimus e *cap. IV. 3.*

(i) Serpens scilicet Aaronis iam rursus factus erat baculus. Cum enim *cap. VII. 10.* dicitur Aaron suum proiecisse baculum, isque factus esse serpens, e *cap. IV. 3.* 4. supplendum est, Aaronem paulo post arripuisse hunc serpentem, ac statim eum rursus factum esse baculum.

ritate, nulla caerimonia circumdatum, adeoque fraudis nullius ſuſpectum, vtique DEI opus fuiſſe.

XI.

Altetum vero factum magorum, quo aquam conuertere viſi ſunt in ſanguinem, priori multo facilius eſſe, facile credere credimus vnumquemque. Quam vero perſpicuum tum ſtatim erat Hebraeis, hoc eſſe fallacis artis opus, non miraculum veri nominis, cum, conuerſo diuinitus toto Nilo in ſanguinem, hi, pauxillum aquae e perfoſſa terra (k) prolatae vt feciſſe ſanguinem viderentur, efficerent! Et quis, quaeſo, noſtrum tam ſimplex & rudis ſit, vt, ſi ab agyrta aliquo fieri hoc videat, id nonniſi a DEO vel daemonum aliquo factum eſſe, ſerio contendat? Quam facile enim ſanguinis aliquid ſuffunditur aquae, geſticulationibus ac caerimoniis artem occultantibus! Accedit, quod vtrumque hoc ſuum opus patrabant magi non inſpectante populo vel AEgyptio vel Hebraeo, ſed ſolo cum aulicis ſuis Pharaone, poſteaque AEgyptius popu-

 lus

(k) Hoc enim indulſiſſe AEgyptiis DEVM, Moſes *cap. VII. 24.* refert, vt aquam potui aptam reperire poſſent ſub terra. Ac huius ipſius aquae aliquid accepiſſe magos & in ſanguinem arte ſua conuertiſſe, Langius agnoſcit *p. 401.* itemque Zeltnerus ad hunc locum. Contra pudendum Clericus errauit *p. 40.* errorem, exiſtimans, magos tum, cum iam Nili aquam priſtinum in ſtatum reuocaſſet Moſes, & ipſos ſanguineum feciſſe Nilum.

lus tantis scilicet testibus fidem habere iubebatur. Solos enim aulicos vna cum rege spectasse haec magorum facta mirabilia, diserte docet (l) Moses, alibi locorum (m) aulicos a populo diligenter discernens ob id ipsum haud dubie, vt hancce circumstantiam ne lector negligeret. Aulicorum autem erat assentiri regi, quodque rex haberi volebat pro miraculo, id verissimum esse deorum suorum, non humanae artis, opus, credere videri, ad idemque credendum summo studio adducere populum, iam antea saepe a magis feliciter deceptum.

XII.

Intueamur nunc tertium Mosis miraculum, vel potius imitationem eius magicam. Hoc antea non fecerat Moses in oculis Hebraeorum. Quare non erant magi ad idem simulandum praeparati. Efficere enim debebant, vt ranae non solum hinc inde arreperent, sed etiam, quemadmodum antea insilierant (n) in ipsos, sic in Mosem nunc insilirent atque Aaronem. Hoc facere in promtu ipsis non erat. Quocirca pro sua quidlibet audendi fiducia aliud quid faciebant, si forte denuo se decipi pateretur plebs AEgyptia. Cum enim Aaron extenta manu venire iussisset super AEgyptum ranas, inter summam fictae

(l) *Cap. VII. 10.*

(m) *Cap. VIII. 3. 4. 11. 21. 29. 31. IX. 14. X. 6. XI. 3.*

(n) *Cap. VIII. 4.*

fictae imitationis desperationem suas illico obibant caerimonias ad persuadendum populo, non Hebraeorum DEO, sed suorum Deorum irae tribuendam esse hanc ranarum colluuiem. Hoc enim hisce verbis (o) dictum vult Moses: *Et magi adduxerunt ranas super terram AEgypti.* Atqui iam obruta erat (p) ranis terra. Quare, quod iam factum erat a Mose, eodem (q) tempore facere non poterant. Vnum hoc iis supererat, vt Mosis factum sibi vindicatum irent adhibitis sacris caerimoniis. Cum itaque nihil aliud (r) excogitate valeamus, quod facere ad eludendum Mosis miraculum & fingere potuerint, necesse nobis est hac in sententia acquiescere. Nec vero mireris, id iactantes magos a Mose dici *adduxisse ranas.* Iamdudum enim philologi

 appro-

(o) *v. 7.*

(p) *v. 6.*

(q) Rursus hic turpiter errat Clericus, *p. 41.* credens, posteaquam remouisset Moses ranas suas, tum demum a magis eodem modo aduectas fuisse ranas innumero numero. Qui error refellitur ab ipso Mose *cap. VIII. 8.*

(r) Venit aliquando in mentem suspicari, magos hos adhibitis suis caerimoniis iussisse ranas implere vicinam aliquam AEgypti partem, quam & ipsam ranis refertam esse, ex iis, quos statim emiserint, cognorint, caeteri vero AEgyptii, qui secum erant in vrbe regia, ignorarent. Verum, cum Moses *cap. VII. 7.* satis clare doceat, non intercessisse tantum temporis spatium, repudianda nobis fuit coniectura haec.

approbarunt Glassianum (s) hunc exegeseos Biblicae canonem: *Verba, quae* esse *vel* facere *significant, quandoque pro rei opinione ponuntur, & intelligenda sunt* φαινομένως, *putatiue.* Imo iam olim Augustinus (t) hoc obseruauit: *In multis Scripturae locis*, inquiens, *imaginatis rebus adscribuntur verarum rerum nomina.* Insigne exemplum occurrit *1. Sam. XXVIII.* vbi Endorea mulier *Samuelem prophetam vidisse v. 12.* scribitur, ac *v. 15. 16.* & *20. locutus esse* dicitur Samuel. Nemo nostrum nescit, hunc fuisse pseudosamuelem. Verum, vt Lutheri (u) verba faciamus nostra, *Scriptura sacra Samuelem aperte appellat ideo, quod ad opinionem Saulis* (verum Samuelem adesse, putantis,) *verba temperat.* Satis nunc, opinor, intelligitur, *adduxisse ranas* dici magos, qui ita se gerebant, vt viderentur conuocasse ranas, vtque crederent AEgyptii, ipsorum caerimoniis effectum esse, vt tanta ranarum multitudo proueniret. At mentitos esse magos, nec ignorabat Pharao, qui proinde non ab ipsis, vt rursus tollerent ranas, postulabat, sed a Mose id petebat: hoc ipso satis superque indicans, Mosem quidem facultate & aduehendi & e medio tollendi ranas diuinitus esse praeditum, magorum autem

(s) In *Philol. sacrae lib. III. tract. III. can. 18.* vbi male excusum est *reputatiue.* Sic *Genes. XVIII. 8.* angeli scribuntur *comedisse*: ad quem locum vid. ☞ Gerhardus, Pererius, Clericus, Laugius.

(t) *Lib. II. ad Simplicianum quaest. III. & lib. II. de mirabilibus Scripturae cap. XI.*

(u) *T. II. Opp. Lat. Ien. f. 459.*

autem suorum esse in potestate neutrum. An igitur nos credemus, quod ne Pharao quidem credidit, imo, fallaciter iactatum esse a magis, certo sciuit? An credemus, tertium magorum miraculum non fuisse fictitium ac dolo compositum, cum, priora duo fuisse foetus fallacis ingenii, satis cognoscamus?

XIII.

Accedimus ad quartum Mosis miraculum, quod magorum illusionibus finem imposuit. Quod enim Hebraei satis norant, fictitia scilicet esse magorum miracula, id vt etiam ab AEgyptiis cognosceretur, & quidem ex ipso magorum ore, DEVS nunc efficiebat praetet opinionem omnium. Obruebantur igitur AEgyptii (x) pediculis, ac ipsi quoque magi mordicus ab his bestiolis vexabantur: id quod e simili facto, quod *cap. IX. 10.* & *11.* descriptum legimus, facillime colligitur. Iam rursus Pharao hoc Mosis miraculum qualicunque modo imitari iubebat magos suos. Quare faciendum ipsis erat, vt Moses quoque & Aaron copia pediculorum circumfunderentur. Ac iussu regis exercebant magi suas caerimonias, suaque ingenia experiebantur, ne, id si non facerent, iram tyranni in se prouocarent. Verum quae ars humana posset id efficere? Imo quae ars efficere posset, vt prophetas DEI simili multarent malo, tantoque afficerent dedecore? An Deus permitteret,

(x) Fagius putat, id genus pediculorum fuisse, quod nos vocamus *Filz-Läuse.*

teret, fallaciam illis ſuam nunc ſuccedere, ſi modo hic vlli eſſet fallaciae locus? Vana proinde erat ſpes regis, vana magorum conſilia. Dices fortaſſe: Cur non, vt antea ranas, ita nunc pediculos a ſe productos eſſe, iactarunt. Facile vero apparet, cur ita ſe non geſſerint. Nouum ſcilicet Moſis miraculum, cruciatum ipſis afferens, augebat in ipſorum animis metum veri Numinis, cumque facile intelligerent, ſuam contumaciam punitum iri miraculis atrocioribus, repugnare Moſi vana illuſione ceſſabant, ac nunc tandem, praeſentiſſimam Iehouae iram magis, quam iram regis ſui, metuentes, fatebantur publice, *hunc eſſe DEI* (y) *digitum*, hoc eſt, miraculum hoc, poenam hanc, a DEO vtique proficiſci. Nolimus iam (z) mirari, cur Moſes non do-

(y) Imperitiam Hebraei ſermonis prodidit Philo, in *lib. I. de vita Moſis p. 619.* ita loquentes inducens AEgyptios: *Hic DEI digitus duntaxat eſt. Manum enim DEI ne tota quidem terra ſuſtinere poteſt, imo nec vniuerſus mundus.* Veram illorum verborum interpretationem reperire potuiſſet in *pſalmo LXIV. 10.* Ac recte Salomo Iſacides verbis illis tribuit hunc ſenſum: *Plaga iſta non eſt per praeſtigiatores, ſed a DEO eſt.*

(z) Miratur, non ſtatim reſpondiſſe Moſem Pharaoni ac magis, opera ipſorum eſſe fraudulentae artis vafrique ingenii opera, non ſolum ſimpliciſſimus ille Glanuilius in *Sadducaeiſmi triumphati P. II. ſect. 12. p. 141* verſionis Germanicae, ſed etiam Clericus *p. 37.* & Langius *p. 402.* Recte vero iam docuit Hieronymus a ſancta fide (quo ſub nomine latere creditur Nic. Hier. Gundlingius,) in Apologia

docuerit Pharaonem, mera ludibria esse, quae faciebant magi. Docere scilicet ipsi sui magi id debebant confessione propriae turpitudinis: quippe quae confessio omni erat exceptione maior.

XIV.

Maiorem vero vim habet haec confessio, quam vulgo credimus. Non enim his verbis hoc vnum Mosis factum tribuunt potentiae DEI, sed miracula Mosis, quae viderant, omnia: adeoque hoc ipso fatentur, singula, quae miraculis Mosis opposuerant adhuc, non fuisse deorum suo-

logia pro Thomasii *de crimine magiae* Dissertatione 1703. edita §. *IX.* itemque Ven. Moshemius in annotationibus ad Calmeti *Dissertationes Biblicas P. II. p. 55.* ideo id non esse factum a Mose, quod suo testimonio fidem habituri non erant AEgyptii, eique longe praelaturi auctoritatem magorum suorum. Mihi adiiciendum videtur, hanc quoque fuisse Mosi causam id non faciendi, quod, Pharaonem esse pseudomiraculorum conscium, non dubitaret, adeoque docere ipsum, quod iam norat, iudicaret superuacaneum: praetereaque exspectandum censeret ipsorum magorum de fraudibus suis deque Mosis miraculorum veritate confessionem publicam. Illud tamen facile credimus, Mosem docuisse Hebraeos, qua arte sint vsi magi ad persuadendum suis, se quoque esse miraculorum patratores: ac praeterea praedixisse illis post illusum a magis tertium suum miraculum, se mox tale editurum esse, quod magi nec vllo modo imitari valeant, & publica confessione agnituri sint verum verissimeque diuinum miraculum.

suorum, sed suae artis, suae malitiae opera. Non enim erat, quod nunc fecerat Moses, superiobus eius factis admirabilius: quin etiam videri poterat iis minus mirabile. Qui igitur hoc factum pro vero agnoscebant miraculo, his necesse erat, etiam praemissa soli DEO assignare auctori. Ac facile nunc, duo praeterea accidisse, credimus: primo, vt negarent, se posthac, si pergeret Moses facere miracula, ad ea eludenda iussu regis suum collaturos esse ingenium; deinde, vt orarent (a) Mosem suppliciter, vt hoc se malo liberaret caeterosque AEgyptios. Prius nobis persuadet ipse euentus. Non enim deinceps quicquam pseudomiraculi opposuerunt Mosis miraculis, sed reuerenter cessabant θεομαχεῖν. Posterius ideo credibile est, quod Moses & sustulit pediculos & non sustulit rogatu regis, tam dedecorosum scilicet suis magis miraculum prorsus contemnentis & auersantis. Et quomodo non rogatum vellent magi DEVM, vt hoc malum tolleret, qui eum eius agnoscebant auctorem, idque confitebantur & praedicabant? Addo, tertium quoque, non esse vero dissimile, a magis videlicet aeque, vt ab illis aulicis, qui *cap. X. 7.* commemorantur, rogatum esse regem, vt contumaciae suae finem imponens dimitteret Hebraeos, nec plures grauioresque in se & suos prouocaret poenas veri Numinis.

XV.

(a) Eodem modo magus ille Simon *Act. VIII. 24.* petebat a Petro, vt precibus suis iram DEI a se auerteret.

XV.

Diximus nostram de pseudothaumaturgis Pharaonis sententiam, eique satis iusta fundamenta substruximus. Paucis nunc aliorum opiniones contemplabimur, &, quam leuiter sint armatae, docebimus. Tres autem sunt hae sententiae. Quidam enim credunt, fuisse has quidem praestigias, sed Diabolicas. Alii vera fuisse censent miracula, sed Diaboli. Alii denique sibi persuaserunt, miracula magorum aeque, ac Mosis miracula, tribui oportere DEO, soli quippe miraculorum effectori. Quas quidem sententias vniuersas vno ictu prostraueris, si dicas, (quod verissime dices,) auctores earum supposuisse, idem fecisse magos, quod Moses fecerat, adeoque verba haec Mosaicae historiae: *Sic etiam fecerunt magi*, male interpretatos esse. Atque hinc apparet, incongruentem hunc istorum verborum intellectum ita adstrinxisse nodum hunc sacrae historiae, vt multis videretur prorsus insolubilis & inexplicabilis, certe non satis euidenter responderi posset empaectis contra ipsam historiae Mosaicae auctoritatem arma ferentibus. Enimuero, quae nuper (b) Lelandus, clarissimus Angliae Theologus, Morgano, Mosis miracula cum factis magorum contendenti, respondit, ob id ipsum habent parum roboris, quod falsam illam

(b) Recensetur satis copiose haec Lelandi cum impio illo Morgano dimicatio in Lipsiensi historia nostrae aetatis libraria, quae inscribitur Zuverläßige Nachrichten. *T. III. p. 245. sqq.*

lam verborum istorum interpretationem aeque, ac Morganus, comprobat. Iniecit vero idem interpretationis error piis nonnullis hanc sollicitudinem, vt quaererent, qui fieri potuerit, vt DEVS magis his permitteret edere stupenda haec opera, quae, vt miraculorum Mosis diuinitatem non agnoscerent spectatores, possent efficere. Non quidem male (*) responderunt, nobis quidem id ignotum, at generatim tamen certum esse, DEO fuisse causas sapientissimas sanctissimasque. Verum nos plane non angit haec quaestio, qui, nec serpentes nec ranas produxisse neque Nilum fecisse sanguinem magos hos, supra satis clare cognouimus.

XVI.

Agnoscamus igitur, praestigias illorum magorum humanas fuisse, non (c) Diabolicas. Cum enim satis constet, sacerdotes ethnicos vbique locorum & gentium artibus suis ac fraudibus effecisse, vt a suo populo crederentur edidisse miracula:

(*) E. g. vir quidam celeberrimus in libri sui *de miraculis* §. 31.

(c) Magos hos adiutore vsos esse Diabolo, docent etiam Rabbini, e. g. Salomo Isacides ad *Exodi VII. 22* & *VIII. 14* Doctores veteris ecclesiae, qui idem crediderunt, magno numero producit Allatius in libro *de engastrimytho cap. 20.* Minucius Felix *cap. XXVI. 9. Magi, quicquid miraculi ludunt per daemonas faciunt. Illis adspirantibus & infundentibus praestigias edunt.*

racula: quod nec raro accidisse Romana (d) in ecclesia, cordatissimus quisque eius socius confitetur; quid, quaeso, nos cogit aliter sentire de magis illis? An forte ipsum nomen (e) *magorum* tibi persuadet, eos pacto quodam sibi adiunxisse tartareos genios, suo iussu patraturos vires humanas longe excedentia? Ita vero supponis, fieri solere, quod factum vnquam esse, nec sacer (f) codex docet nec caetera iustae auctoritatis

(d) Nec Graeca ecclesia caret hoc opprobrio, in qua hodieque quotannis fit miraculum Paschale, quod omnes credimus esse humanae artis. Copiose de eo disseruit in singulari Diss. Ven Moshemius. Vid. & Ven. Elsneri Neueste Beschreibung der Griechischen Christen in der Türckey *cap. VI. §. 13. 14.*

(e) Moses eos appellat חרטמים, quo vocabulo signari sacrorum antistites, quos Chaldaei Persaeque *magos* vocabant, satis certum est; an autem recte vocentur die Zauberer, incertissimum. Lutherus *Gen. XLI.* 8. *&* 24. eos vocauit Wahrsager. De hoc nomine Pfeiferus disputat in *Dub. vex. Cent. I. cap. 88. p. 221. sq.* & Heideggerus *Hist. Patriarch. T. II Exerc. XX. Sect. II* §. 23. & Dauid Millius in *Dissert select.* octaua, § 1. *sqq.* Nos assentimur Bocharto: *Huius vocabuli praecisa significatio nondum est nota,* inquienti in *Hieroz. P. II. lib. IV. cap. 18. p. 579.*

(f) Zeltnerus, in Altorfinis Bibliis pacta magorum cum Diabolo e *Deut. XVIII. 11.* demonstrare annitens, dici verissime potest obscurum demonstrasse per aeque obscurum, eam quippe notionem tribuens Hebraeo huius loci vocabulo, חבר, quam caeterorum philologorum agnoscit nemo. Quid?

tatis (g) historia. Sapienter itaque fecerunt Theologi

Quid? Hottingerus, maximus huius generis philologus, חבר *vocem esse & origine & significatione admodum obscuram*, inquit in *Thesauri philologici lib. I cap. I. sect. 8. p. 56.*

(g) Quod nunc proferemus, eramus praeterituri silentio ob alicuius offensionis metum. Sed vicit metum hunc veritatis amor & quiem eiusveritatis, cuius cognitio cautos & prudentes reddere potest viros bonos, quorum pia simplicitate abuti solent profligatissimi bipedes in maximum dedecus ecclesiae. Exstat scilicet *Christiani Scriuerii* Historischer Bericht von einem jungen Menschen, der sich vom Satan, mit ihm einen Bund zu machen, und ihm sechs Jahr zu dienen, verleiten lassen. Excusus est hic libellus a. 1672. recusus a. 1710. & 1733. & 1748. Hic nullum vir clarissimae pietatis profert testem pacti Diabolici praeter ipsum hunc *Petrum Ottonem*, (hoc erat huius iuuenis. militis gregarii, nomen,) quem fatetur & ante & postea fuisse hominem improbissimum & nequissimum. Annon ex hoc ipso cognoscere debebat vir optimus, Ottonem illum esse testem fide indignissimum, & e contrario dignissimum, cuins narratio habeatur pro falsissima & pro foetu ingenii illusorii? Huic tamen credebat Scriuerius, venisse Diabolum ad ipsum modo sub equitis, modo sub felis vel canis vel leonis vel tauri figura. Credebat item ei, Diabolum sub figura militis cum ipso pactum fecisse in annos sedecim, vi cuius per singulas hebdomades Otto tres dies se seruum praestaret Diabolo, vno die Diabolus pareret mandatis Ottonis. Credebat ei denique, ipsi tribus seruitii sui diebus necesse fuisse, Diaboli crines capitis pectinare, eumque vestibus exuere; si qua in

logi praestantissimi, qui istam vulgi opinionem non fecerunt suam. Quos inter Baierus eo

in re mandatum Diaboli non esset rite exsecutus, se plagarum ab eo accepisse affatim; contra illo die, quo ipsius seruus fuerit Diabolus, se multis iussionibus vexasse Diabolum, plagisque affecisse haud perfunctorie. Caeterum nefas fuerit, tam pii tamque bene de ecclesia & ore & moribus & scriptis meriti viri errorem hunc practicum petulanter exagitare: illud vero cauendum, ne similibus nebulonibus, non fide, sed fuste, dignis, statim fidem habeas. Scilicet adhibendi in consilium sunt amici ad credendum tardiores & humanae malitiae peritiores, vt fraus proferatur in apricum, nec fabellis nouis augeatur historia ecclesiastica. Similem Scriueriano errorem errauit a. 1676. quidam Lusaticae ecclesiae antistes, *Martinus Francisci*, cuius liber exstat a. 1685. editus de quodam Manichaeo, qui in annos septem ac dies septendecim pactum iniit cum Diabolo. Exhibet is narrationem suam *p. 152-276.* e qua vnum recitamus credulitatis specimen. Dixerat homuncio ille ad Franciscum, se natum esse Manichaeum inter Manichaeos in Hollandia habitantes, qui pro libertate suae religionis quotannis magistratui soluant 27000. thaleros, praetereaque tres naues nouas singulis annis exhibeant. Quis credat, hoc fuisse creditum? Creditum vero est sine haesitatione a pio illo Francisco atque ab amicis eius. Qualia qui credunt, quid, quaeso, esse possit, quod credere ipsis difficile sit? Crediderim, duo haec exempla ob oculos fuisse Spenero, cum in Theologischen Bedencken *T. IV.* S. 699. ita scribebat: Was die Gespenster anlanget, so sind bey meinem Gedenken Dinge vorgegangen, und die Historien davon gedruckt worden, da man

eo (h) loco, quo de ſpectris agit, colloquia Diaboli cum hominibus familiaria initaque hominum cum Diabolo pacta prorſus omittit: ducem videlicet ſequens Muſaeum ſuum, qui nec ipſe in *Locis Theologicis MSS.* ea commemorarat. Nec vel verbum ea de re aut Danhauerus profert in ſua (*) *Spectrologia*, aut Buddeus, duobus (i) locis ſuam de ſpectris ſententiam ediſſerens. Bierlingius vero, Theologus quondam Rinteliensis orthodoxiae ſtudioſiſſimus, aperte (k) reiicit narratio-

ſagen ſolte, die Wahrheit der Sache wäre Sonnenklar, und kam doch endlich heraus, daß Leute entweder Betrug gebrauchet, oder ſich ſelbſt betrogen.

(h) In *Compendii Theologiae Muſaeani P. I. cap. 3. § 52.*

(*) Caue putes, indicari a me ſingularem librum ita inſcriptum, Ob oculos habeo ſermonem eius de ſpectris, *Hodoſophiae Chriſtianae* inſertum, quem nouo vocabulo *p. 268.* appellat *Spectrologiam.*

(i) In *Inſtit. Theol. dogm. lib. II. cap. II. §. 39.* & in libro *de atheiſmo & ſuperſtitione cap. VII. § 3. p. 584. ſqq.*

(k) In libro *de Pyrrhoniſmo hiſtorico cap. III. §. 6. p. 174.* Ibidem cum p. 173. ſq. ſe facile credere ſcribit, *reperiri homines adeo ſtolidos vel impios, vt pactum cum Diabolo inire tentent*, occaſionem mihi praebet narrandi, quod initio huius ſaeculi Ienae, cum ibi adhuc in ſtudiorum incude formabar, accidit. Studioſus aliquis perpauper pactum cum Diabolo conſignarat literis, idque per aliquot dies, quoties domo egrediebatur, relinquebat in menſa, exſpectans aduentum daemonis, pecuniam ſibi pro ſyngrapha redditurı. Tandem ſuperueniens

rationes vulgi de pactis hominum cum Diabolo ſub hominis figura conſpicuo initis, easque iudicat ortum debere Papaeis ſuperioris aeui ignorantiae nebulis. Illud quidem certe dubitari non poteſt, qui falſas religiones falſis ornent miraculis, eos Diaboli inſtinctu id facere (l) ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Sed eos vti Diabolo tam familiariter, quam vulgo creditur, peſſimoque ſpiritui licere (m) hominem fieri & cum hominibus inire ſocietatem humanae ſimilem, nec Paulus (*) nec apoſtolorum prophetarumque alius vllus docuit.

XVII.

Non minor, imo multo maior eſt eorum error, qui, vera miracula per magos illos AEgyptios edidiſſe Diabolum, ſibi perſuaſerunt. Quae quidem ſententia manifeſto repugnat illis ſacri

 codicis

niens contubernalis ſyngrapham abſtulit, & meo tum praeceptori, D. Treunero, monſtrauit: qui ſtolidum iuuenem ſeueris verbis caſtigauit, &, vt preces ad DEVM fundens veniam peccati tam enormis oraret, exhortatus eſt.

(l) *Eph. II. 2.* Repete ſis, quae ſupra in annotatione vltima ad §. *VII.* diximus.

(m) Diabolum ſub humana figura tentatorem fuiſſe CHRISTI, conſtat. Inde vero concludere, a DEO idem ei permitti erga homines alios, non licet.

(*) Imo docens hic Apoſtolus *Eph. VI. 12.* pugnandum nobis eſſe aduerſus τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας τοῦ Διαβόλου. haud obſcure docet, non inſidiari eum hominibus σωματικῶς.

codicis locis, vbi, *solum DEVM esse miraculorum patratorem*, pronuntiatur: ac Pharisaeos habet auctores, qui hoc pacto, miracula CHRISTI non habere eam vim, vt, ipsum a Deo esse missum, credendum sit, sectatoribus suis persuadebant facile. Mirum igitur, tam turpi doctrinae Clericum (n) & (o) Sam. Chandlerum suos adiecisse calculos.

XVIII.

Grauissimus hic error cum euitandus duceretur, nonnulli duce falsa illa interpretatione horum verborum: *Sic etiam fecerunt magi*, in alterum delapsi sunt extremum, rati, per eos ipsum DEVM fecisse illa miracula. Non licet per angustiam nostri spatii proferre ea, quibus probabilem reddere conatus est hanc sententiam episcopus (p) Angliae, Wilhelmus Fleetwodus, cuius liber *de miraculis* cum a. 1702. prodiisset Londini, quidam Io. Vlr. Henrici Germanicam eius versionem Lipsiae a. 1705. edidit. Nec applausu

(n) In *Comment. ad Exodum p. 37. & 38.* itemque in octaua *Epistolarum Theologicarum*, quas iuuenis sub nomine *Liberii de sancto amore* edidit. Et hic quidem eo abripitur a falsa de magorum miraculis opinione, vt contendat, nullam esse notam, qua DEI miracula a miraculis Diaboli dignoscantur, praeter veram doctrinam.

(o) In libro *de miraculis cap. I. p. 33.* versionis Germanicae.

(p) Prius Asafensis, tum Eliensis fuit Episcopus. Vita excessit a. 1732.

ſu caruit haec opinio: ac celeberrimus quoque ſacri codicis interpres, Ioach. Langius, ei ſubſcribebat initio: id quod ipſe nos docet ad *Exodi VII. p.403.* Rectiſſime vero poſtea ſententiam hanc repudiauit: cuius rei iuſtam cauſam ibidem profert. Nos quidem aduerſus eam duce ipſo (q) CHRISTO argumento hoc vtimur: *Si DEVS contra ſe agit ipſemet, non poteſt regnum ipſius ſubſiſtere.* Quo argumento & philoſophus noſter celeberrimus, Hollmannus, Fleetwodianam impugnat & proſternit (r) doctrinam, docens, fieri nequaquam potuiſſe, vt DEVS miracula per magos patrando confirmaret in idololatria AEgyptios, ſimulque Moſis, legati ſui, miraculis omnem fidem detraheret. Poteſt & ita informari haec ratiocinatio: Si vera eſt Fleetwodiana ſententia, ſequitur, DEVM miraculis Moſis docere voluiſſe, Moſem eſſe verum veri Dei legatum, & ſimul magorum miraculis docuiſſe, Moſem non eſſe legatum veri Numinis. Quam hoc παράδοξον, imo vero quam ἄτοπον quamque manifeſto falſum!

XIX.

Iam cum & noſtrae ſententiae firmitatem & diuerſarum imbecillitatem ſatis cognouerimus, docendum eſt, alios iam viros eruditiſſimos idem vi-

(q) *Lucae XI. 28.*

(r) In ſuo *de miraculis* libro §. 27. Hoc idem Fleetwodianae ſententiae oppoſuit Langius loco modo indicato.

vidiſſe, meras videlicet artes fraudesque humanas fuiſſe facta illa magorum Pharaonis. Erasmum (s) primo loco collocamus, virum ſingulari perſpicacia nobilem: cui nec ingenio nec doctrina impar erat ſuperiore ſaeculo, qui idem ſentiebat, Gabriel (*) Naudaeus. His ex noſtra aetate adiungimus Io. Alph. (t) Turretinum, Iacobum (u) Sercesium, (x) Scheuchzerum, Iac. (y) Zimmermannum, Ioan. (z) Webſterum, Io. Mich. (a) Herbartum, Ioan. Phil. Conradum

(s) In *Paraphraſi* ſua *2. Tim. III. 9.* vbi *fraudem* hisce magis tribuit, nihil praeterea.

(*) In *Apologia pro reis magiae cap. II. §. 7.*

(t) In *Opuſculorum* Brunſuigae editorum *Tomo ſecundo p. 247. Res quaedam mirae*, inquit, *humanis artibus ac fallaciis perfici queunt: qualia ſunt, quae ab agyrtis & circulatoribus quotidie fiunt: quorum in numero, dubium non eſt, quin magi AEgyptii reponendi fuerint.*

(u) Hic Angliaa Theologus in ſuo *de miraculis* libro, a. 1729. publicato, ſummo ſtudio hanc de magis Pharaonis narrationem perſequitur *p. 157 -- 197.* Comparetur longa haec meditatio cum noſtra. Neuter enim alterius arauit vitula.

(x) In *Phyſica ſacra T. I. p. 161. 165. 171. & 176.*

(y) In libro *de miraculis Pythagorae*, &c. quem Tigurinus hic Theologus celeberrimus ſub *Phileleutheri Heluetii* nomine edidit, *cap. II. p. 19. ſqq.* & *cap. XIII. p. 291.* vbi: *In magis AEgypti*, inquit, *nihil animaduerto, quod agyrtarum ſuperet artes.*

(z) In libri *de magia cap. VI. §. 25. & 73. & cap. VII. §. 38 - 49.*

(a) Hic ſcholae Oldenburgenſis nunc Rector doctiſſimus a. 1741. emiſit Programma *de magis AEgyptiis*, vbi

dum (b) Nadium. Imo iam olim ita ſenſit auctor (c) *Sapientiae*, libri ſacro codici adiecti, magorum horum facta appellans μαγικῆς τέχνης ἐμπαίγματα, *ſacerdotalis* (ita enim Graeca vox reddenda,) *artis ludibria*. Nec alia mens (d) Philoni, opera magorum horum vocanti ἀνθρώπων σοφίσματα καὶ τέχνας πεπλασμένας πρὸς ἀπάτην, *vafriciem hominum & artes deceptrices*. Denique & Ioſephus (e) id, quod magi fecerunt, τέχνην appellat ἀνθρωπίνην καὶ πλάνην, *artem humanam & deceptionem*. Hi vero tres non tam ſuam recitant, quam vetuſtiſſimae eccleſiae Iudaicae ſententiam. Ex quo ſuauiter cognoſcimus, noſtram ſententiam eſſe antiquiſſimam, tres illas a noſtro diuerſas iuniorum aetatum foetus eſſe minime pulchriores.

XX.

Poteramus nunc ſatisfeciſſe videri ſuſcepto muneri & omnem abſterſiſſe caliginem huic ma-

 ximi

vbi ſimul Langii, Moshemii, & Reinbeckii, Theologorum clariſſimorum, opiniones refellit acutiſſime.

(b) Profeſſor hic Halenſis Gymnaſii doctiſſimus nuper edidit *Diſquiſitionem de* חרטמים *eorumque operibus:* de qua vid. Celeb. Kohlii *Noua literaria* huius 1744 anni *p. 79.* & *Acta erud.* 1745. *p. 714. ſq.* Is paulo poſt factus eſt Profeſſor theologiae in Acad. Francofurtana, ibique iam mortuus 1746. d. 6. Iunii.

(c) *Cap. XVII. 7.*

(d) In libro primo *de vita Moſis p. 616.*

(e) *Antiq. Iud. lib. II. cap. 13. §. 3.*

ximi momenti maximisque inuolutae difficultatibus hiſtoriae, ac miraculorum Moſis auctoritatem diuinam iuſtiſſimum ac planiſſimum in modum pie vindicaſſe. Verum ſupereſſe intelligimus nodum aliquem, ab interpretibus huius hiſtoriae plerisque (f) omnibus praeteritum alto ſilentio. Merito ſcilicet quaerimus, qui factum ſit, vt Pharao nec in vincula coniici nec interfici iuberet Moſem & Aaronem, alteri ciuium ſuorum parti iniicientes deſiderium diſceſſus ac tranquillitatem turbantes publicam. Incredibile hoc videtur, ſi & naturam & exempla cogitemus Principum ſimilium. Iam cum poſſet Pharao illo modo & ſpem AEgypto emigrandi praecidere Hebraeis, & facultatem Moſi Aaronique eripere nouis miraculis eam ſpem confirmandi, nihil difficilius eſt creditu, quam id eum non induxiſſe in animum. Et tamen de tali iuſſu, de tali conatu, tacet Moſes in hac hiſtoria. Nec dici poteſt, id ab eo, non ſingulas enarraturo circumſtantias rei geſtae, omiſſum eſſe. Foret enim haec circumſtantia e praecipuis vna: cumque verba Pharaonis tam diligenter exhibeantur, quis credat, factum eius tam inſigne obrutum eſſe ſilentio, ſi accidiſſet?

Imo,

(f) Ex iis. quorum nunc inſpexi ad hanc hiſtoriam commentationes, vnus mihi occurrit Langius, venerabilis memoriae vir, qui in quaeſtionem hanc incideret in ſuo *Comm.* ad *Exodi VIII. 8. §. 2. p. 407.* Sed generali reſponſione contentus eſt, its ſcribens: Daß Pharao die Hand nicht an Moſen und Aaron geleget, daraus erkennet man den beſondern Schutz GOttes.

Imo, cum Moſes non taceat (g) comminationem mortis poſt miraculum penultimum a Pharaone emiſſam, quam abhorret a vero, Moſem ab eo iuſſum eſſe interfici vel ſaltim comprehendi, nec tamen id Moſem inſertum voluiſſe ſuae hiſtoriae! Non poſſumus igitur non credere, mandatum id a Pharaone non fuiſſe: adeoque renouatur in nobis ſtudium ſciendi, cur id ab eo mandatum non fuerit.

XXI.

Quid igitur reſpondebimus, vt ne toti huic hiſtoriae affricetur improbabilitatis aliquid? Quid reſpondebimus empaectae, quaeſtionem hanc vrgenti fronte ſeria? An forte ſufficit dicere, metuiſſe regem, ne rebellarent Hebraei occiſo ſuo Moſe? Minime vero idonea eſt haec reſponſio. Imo vero credere poterat, ſublato ſeditionis duce Hebraeos, quos iam ſatis in ſua poteſtate habebat appoſitis (h) cuſtodibus, nihil molituros eſſe rerum nouarum. An dices, neminem fuiſſe inter ſeruos regis, quem ſuo mandato pariturum eſſe, crederet? Ac ſane *cap. IX. 3.* relatum legimus, ſeruos Pharaonis magna veneratione coluiſſe Moſem. Sed quam incredibile eſt, in tanto ſeruorum grege non fuiſſe vnum alterumque Doëgum, qui crudeli regis voluntati ſtrenue morem gereret? An denique dicemus, ſingulare hoc DEI fuiſſe miraculum, vt non permitte-

(g) *Cap. X. 28.*

(h) *Cap. V. 13.*

mitteret, hoc in mentem venire Pharaoni? Atqui ita ſi res ſe haberet, neque voluiſſet id neque debuiſſet tacere fidiſſimus miraculorum DEI praeco Moſes.

XXII.

Nos quo perduxerit longa meditatio, eo confidentius eloquimur, quod perſuaſum habemus, vix alia ratione ſolui hunc nodum poſſe, & noſtram ſententiam maxima fulgere veri ſpecie, ac proinde, quae audiatur, haud indignam esſe. Obſeruamus videlicet, (quod non eſt ignotum eruditis,) fuiſſe hanc ethnicis opinionem, ſuum cuique populo eſſe Deum vel Deos, nec ab vno populo Deos (*) caeterorum ſperni debere. Quapropter & Pharao putabat, alium Deum AEgyptiis, alium Hebraeo praeeſſe populo. Hinc Hebraeorum Deum ipſe non colebat quidem, ſed nec pro fictitio numine habebat (i) contemnebatque. Audito igitur, legatum ad ſe veniſſe ab Hebraeorum Deo, eum excipiendum comiter ducebat & audiendum. Cum vero, ad demonſtrandam Dei ſui potentiam miracula edere Moſem, cognoſſet, his miraculis opponi a ſuis ſacerdotibus volebat miracula quam fieri

poſſet

(*) Philiſtaei 1. *Sam.* V. 1. 2. in templum ſui Dei recipiebant Hebraeorum Deum, & ita etiam ipſum cultu dignum iudicabant.

(i) Cum *cap.* V. 2. ait rex; *Quis eſt Iehoua, cuius mandato parere debeam?* non dicit, Iehouam eſſe falſum & fictitium Deum, ſed Deum non ſuum, cuius adeo iuſſui ſibi non ſit obediendum.

posset simillima, ne Dii sui haberentur potentia inferiores Hebraeorum Deo: etsi probe sciebat, eos facere non posse nisi τέρατα ψεύδους. Iam veniebat Moses in aulam Pharaonis non tanquam suus ciuis, nec tanquam simplex sui regni hospes, sed personam gerens augustam legati (k) *Iehouae*, Hebraeorum Dei, stipatus (l) Hebraeorum Senioribus vniuersis, viris aetate, corporis pariter & muneris dignitate, grauitate, conspicuis. Accedebat ita ad Pharaonem tanquam (m) *Elohim*, hoc est, tanquam vicarius Dei Hebraei, & ad augendam sui admirationem & reuerentiam non ipse ad regem verba faciebat, sed (n) per inferiorem quendam domini sui ministrum alloquebatur ipsum, ac per eius & vocem & manum patrabat miracula. Quod schema maiestatis plenum tantam regi incutiebat venerationem Mosis, vt ipsum eo magis agnosceret (o) legatum Dei alicuius, ac proinde nefas duceret eum fraudare libertate & sanctitate, hoc est, inuiolabilitate, legatis (p) debita. Cum enim communi omnium gentium

(k) *Cap. V. 1.*

(l) *Cap. III. 28.*

(m) *Cap. VII. 1.* Non male haec verba DEI ita interpretatur Isid. Clarius: *diuinam quandam dignitatem prae se ferens.* Talis, sed multo augustior, maiestatis species circumdabatur Mosi, cum tanquam legatus Dei de monte Sinai descenderet ad populum suum, *Exodi XXXIV. 29. 30.*

(n) *Cap. VII. 2.*

(o) Clare id cognoscimus e *cap. VIII. 8.* & *28. IX. 27. 28 X. 16. 17.*

(p) Vid. Grotius *lib. II. de iure belli & pacis cap. 18.*

gentium more legati regum sint inuiolabiles, multo magis iustum esse iudicabat, ab alicuius Dei legato manum abstinere, eumque tractare humaniter. Nec prius legato huic diuino mortem (q) minabatur, quam postea, quam visus ipsi erat Moses priuilegio legationis (r) se exuisse manifestum faciendo, se maxima ciuium multitudine & cunctis eorum facultatibus AEgyptum orbaturum esse. Ac tum quoque nonnullam habebat rationem personae legati, non statim comprehendi Mosem vel interfici iubens, sed graui comminatione contentus. Haec rite considerantes iustissimeque supponentes an mirari pergemus, tutum fuisse Mosem a Pharaonis violentia? Imo vero videmus nunc, facere aliter, quam fecit, non potuisse Pharaonem per regulas aulicas omni tempore usitatas. Atque ita & hanc dubitationem, grauissimam initio visam, & nostris & lectorum nostrorum, nisi vehementer fallimur, animis eximimus, & hac quoque ex parte lucem sacrae huic historiae intulimus.

XXIII.

Concludimus hanc Dissertationem eo voto, quod eam elaborantes identidem ingeminauimus: Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σȣ, hoc est, ea gratia, quaesumus, bea labores Theologorum, DEVS τρισμέγιστε, vt miracula, clarissima tui Numinis criteria,

(q) *Cap. X. 28.*

(r) Vid. *caput* laudatum Grotii §. *IV. n. 7.* vbi docet, quo tempore etiam occidi legatus iure possit,

teria, perſpicue defendant contra fictitia miracula, & omnia empaectarum frangant ſophismata, atque ita efficiant. vt religio, quam tot ac tantis illuſtraſti confirmaſtique miraculis, vigeat in orbe & luceat, reddatque quamplurimos non ſolum miraculorum tuorum admiratores, verum etiam tuarum legum cultores, & reuerentia tuae maieſtatis & amore paternae tuae benignitatis inflammatiſſimos.

APPENDICVLAE.

I.

Bono, non vano, animo, vt ſcilicet cupidius & attentius legatur haec Diſſertatio, Ienae 1745. recuſa, exhibeo duorum eximiorum Theologorum de ea iudicia. Ita ad me ſcribebat Bremae D. CONR. IKENIVS d. 20. Febr. 1745: *Tuam Diſſertationem de pſeudothaumaturgis AEgyptiis cum ſumma voluptate legi. Nemo eſt, qui hoc argumentum ſolidius excuſſerit.* Ita D. BERNHOLDVS, Theologus Altorfinae Academiae primarius, 1745. d. 27. Septembris: *Plane, quae ſuper pſeudothaumaturgis AEgyptiis commentatus es, ſolis eſſe radiis ſcripta, exiſtimo.*

II.

Ad §. X. adſcribo ſimile praeſtigiarum exemplum e *Continuatione XV.* des Berichtes der Königlichen Däniſchen Mißionarien, 1721. edita, *p.* 64. & 65. Ibi ſcribit Ziegenbalgius Miſſionarius: Als ich in einen Flecken, Periakup-

pam

pam genannt, einkehrete, traf ich daselbst viele reisende Leute an, die einen Gauckler vor sich hatten, welcher allerley Künste machete. Er schluckete einen Faden ein, und spiee eine Schlange aus, die auf der Erde herumsprang. Er nahm ein Hölzgen in die Hand, und warf es auf die Erde: so wurde ein großer Scorpion daraus, für welchem die Leute liefen: und dergleichen Gauckelwesen machte er viel. Ich sagete zum Volke: Warum sehet ihr doch diesem Gaukler zu? Wisset ihr nicht, daß solches eine sündliche Kunst ist? Wollet ihr Schlangen, Scorpionen, und andere Creaturen sehen, so habet ihr ja deren allenhalben sehr viel vor euren Augen. Es sagete einer aus ihnen: Uber diejenigen Creaturen, die wir täglich vor Augen haben, sind wir nicht so sehr verwundert, als über diejenige, die dieser Mann hervorbringen kan. Denn zu jenen ist GOtt der Schöpfer, an dessen Allmacht wir ganz keinen Zweifel tragen, und welchem es ganz eine leichte Sache ist, zu schaffen, was er will. Aber dieser ist ein Mensch, und kan gleichwohl lebendige Geschöpfe hervorbringen. Dieses ist ja ein großes Wunder. Ich antwortete: Dieser Mensch bringet keine neuen Geschöpfe hervor, sondern alles dasjenige, was er vor euren Augen hervor kommen läßet, hat er bey sich verwahrt. Da zeiget er euch einen Faden oder ein Hölzgen, und bringet das andere in einer Geschwindigkeit hervor, daß ihr meynet, er habe es vom neuen erschaffen. Es sagete ein anderer: Er thut ja solches alles vor unsern Augen: wenns ja einer nicht gewahr werden könte, so würde ja einen solchen

Betrug ein anderer observiren. Ich fragete sie, wie vielerley Creaturen er vor ihnen praesentiret hätte? Sie sageten: Viererley, nemlich eine Katze, zwey Arten von Schlangen, und einen Scorpion. Ich sagete: Lasset uns ihn visiciren, ob er nicht auser diesen mehrere Creaturen bey sich hat, die er euch würde vorgestellet haben, wenn ich nicht darzwischen gekommen wäre. Sie sprachen zu ihm, er solte seine zwey Körbe aufmachen, die er neben sich stehen hatte. Aber er wolte sie nicht öfnen. Unter dem Volke getrauete sich auch niemand selbige zu öfnen, weil sie sich für den giftigen Thieren fürchteten. Ich nahm meinen Stock, und stieß von beyden die Deckel ab. Da waren in dem einen die zwey Schlangen, die Katze, und der Scorpion, die er schon hatte sehen lassen, und in dem andern waren noch viel andere Schlangen und giftige Würmer. Ich sagete alsdenn zum Volke: Hieraus sehet ihr klar, daß dieser Gaukler keine Creaturen schaffet, sondern diejenigen nur in einer Geschwindigkeit vor euch praesentiret, die er bey sich verwahret hat, und allenthalben mit sich herum trägt. Und wo ihr ja noch an meinen Worten zweifelt, so laßet ihn euch etwas vorbringen, das er nicht bey sich hat. Kan er solches thun, so ist seinem Vorgeben eher zu glauben. Ich sagete also zu ihm, er solte einen lebendigen Fisch herzvorbringen. Aber er vermochte solches nicht zu thun, sondern packete seinen Kram ein, und ging fort.

II.

DISSERTATIO (a) IN QVA ILLVSTRANTVR LOCA ILLA QVIBVS CHRISTVS LEGITVR VETVISSE PVBLICARI SVVM ALIQVOD MIRACVLVM.

I.

Nihil a ſacrorum librorum interpretibus peccatur frequentius, quam quod ea, quae relatiue dicuntur ſiue reſpectiue, ſenſu capiunt abſoluto, adeoque a vera ſcriptoris ſententia aberrant longiſſime. Erroris huius exemplum nunc proferemus inſigne, illud ſcilicet, quo plerique male interpretantur loca illa, vbi CHRISTVS vetuiſſe legitur publicationem alicuius miraculi ſui. Hos igitur neceſſe eſt male reſpondere iis, qui quaerunt, quomodo facere id Chriſtus potuerit,

(a) Habita a. 1747. d. 15. Iulii reſpondente *Dauide Gottholdo Roſa*, Salfelda Leheſtenſi, S. Theol. Cultore.

tuerit, quem esse Messiam, e miraculis potissimum cognosci oportebat. Nos vero clarissime (a) docebimus, nullius vnquam miraculi diuulgationem fuisse a CHRISTO simpliciter vetitam; sed ad perbreue tempus eum subinde certa de caussa taceri voluisse, eoque tempore praeterito miraculum illud & potuisse notum fieri omnibus & debuisse.

II.

Id generatim agnosci poterat facillime. Cognosci enim DEVS volebat e miraculis, hunc esse Messiam, esse suum filium aeternum, esse eum, qui credentes in se a peccatis peccatorumque poena liberet, & aeternae felicitatis consortes reddat. Σφραγῖδα illam, qua insignitum se pater in hunc modum ablegarit, esse miracula, ipse *Ioan. VI.* 27. ait CHRISTVS. Ac recte ipsius cognati (*Ioan. VII.* 3. 4.) censebant, IESVM, quis sit, orbi demonstrare debere edendis miraculis. Quid? Ipse Seruator *Ioan. X.* 37. 38. & *XV.* 24. docet, non debere se haberi filium DEI, nisi ob edita a se miracula. An vero ignoramus, affatim miraculorum esse a CHRISTO patratum in conspectu hominum magnae multitudinis, itemque

(a) De hoc argumento Anonymi cuiusdam Dissertatio exhibetur in dem Ober-Lausizischen Beytrage *T. III.* p. 177. *sqq.* Ibidem memoratur Cl. Pilgeri, Prof. Gymn. Tremon. Diss. de eodem argumento a. 1731. edita, & subinde refellitur. Est vero & prior Dissertatio perfunctorie, nec satis dilucide, scripta: etsi ad verum accedit prope.

que praesentibus Iudaeorum theologis, aliisque non obscurae dignitatis viris? An non recordamur, CHRISTVM *Marci V. 19.* & *Lucae VIII.39.* iussisse etiam praedicari sua miracula? Annon Petrus eum *Act. II. 22.* appellat ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησε, *virum, quem DEVS exhibuit mundo omnis generis miraculis conspicuum: e quibus* (ita pergit *v. 36.*) *concludi oportuit, eum esse* Κύριον καὶ Χριστόν. Errant igitur errorem grauissimum, qui credunt, in occulto patrasse CHRISTVM nonnulla miracula, nec ea nota fieri voluisse suis aduersariis, ne hi scilicet ante statum (b) a DEO tempus mortem CHRISTO inferrent. Est vero erroris huius confutatio minime difficilis. Quare statim accingimur ad ea loca rite interpretanda, quorum neglectior inspectio hunc errorem peperit: qui cum sit rei Christianae noxius, adeoque non possit empaectis non esse gratissimus, eo facilius excusabor, si forte grauiori censura notauero malos istorum locorum interpretes. Contemplemur age singula.

Matth. VIII. 4. & *Marci I. 44.* & *Lucae V. 14.* Vtrum duo CHRISTI facta eiusdem generis, an vnum idemque his locis narretur, nostrae disquisitio-

(b) Hi cogitare debebant, fieri nihil ab hominibus posse ante statutum a DEO tempus. AEque oscitabant, qui Christum putabant id non interdixisse serio, sed modestiae causa Nec minus illi, qui rebantur, Christum incendere voluisse studium contrarium, cum niti soleant homines in vetitum. Vtrosque memorat Chemnitius in *Harmon. Euang.* ad *Matth. VIII. 4.*

ſitionis non eſt: cum, ſi vel diuerſa ſint facta, eadem tamen maneat de cauſa imperati ſilentii quaeſtio. Eſt vero hic locus minime obſcurus illis, qui mediocrem attentionem adhibent. Quare haud pauci interpretes hic vero vſi ſunt iudicio. Apparet enim facile, CHRISTVM tamdiu duntaxat ſilere voluiſſe hominem, dum ſacerdos miraculi ignarus iudicaſſet, vere lepram euanuiſſe, adeoque teſtis factus eſſet verae CHRITI ſanationis. Viderunt hunc ſenſum (c) Grotius, Zegerus, (d) Witſius, Ioach. Langius, Wolfius, & iam olim Chryſoſtomus.

Fuerunt tamen, qui alias proferrent reſponſiones: id haudquaquam facturi, niſi credidiſſent, quod quidem credendi nihil cauſae erat, perpetuum homini a CHRISTO imperatum fuiſſe ſilentium. Chemnitius, ideo id a CHRISTO factum eſſe, exiſtimat, quod viderit, eum non recte praedicaturum eſſe hoc miraculum, ſed ex curioſitate aut alio carnali affectu. *Accedit*, (addit,) *quod tunc tempus erat humilitatis.* Hieronymus aliter, ſed magis male, reſpondet. *Quid erat neceſſe*, inquit, *vt ſermone iactaret, quod corpore praeferebat?* Mira item eſt Bezae ſententia, hanc rati huius interdicti fuiſſe cauſam, *ne turba in*

(c) Hac Grotii reſponſione acquieſcere debebat Calovius, non adiungere, quae Gerhardus minus circumſpecte protulerat. Errauit item, cum Grotii reſponſionem reddere conabatur perfectiorem, C. F. Krumbholzius *Animaduerſ. ſacr. p. 209. ſqq.*

(d) *Melet. Leid. p. 350.*

in ſolis miraculis obſtupeſcens, non ſatis ipſi ſpatii relinqueret ad praecipuum munus obeundum, ad docendum videlicet. Audiamus & (e) Hammondum. Hic opinatur, CHRISTVM, *cum videret, Phariſaeos blaſphematuros eſſe ſua miracula, miſericorditer cum iis egiſſe, atque ignorantiae excuſationem iis reliquiſſe, nec voluiſſe, ad aures eorum peruenire ſua miracula, qui iis tam impie eſſent abuſuri.* Quae quidem reſponſio ab hiſtoriae ſacrae lectore vllo exſpectari non poterat. Denique & Ruſii, ſcriptoris *Harmoniae Euangelicae* doctiſſimi, proferenda ſententia. Putat (f) ſcilicet, ideo ſileri hoc miraculum voluiſſe Saluatorem, quod primo nondum adeſſet tempus, quo diuulganda eſſent patrata a ſe miracula; deinde hic homo minus idoneus eſſet ad id faciendum; poſtremo cauendum eſſet, ne gloriam quaerere videretur ambitioſius. Addit, ne poſtea quidem Ieſum voluiſſe diuulgari ab hoc homine id miraculi, quam corpus ſuum monſtraſſet ſacerdotibus. *Alias*, inquit, *id clarius enuntiaſſet, nec tam abſolute dixiſſet, nemini omnino id indicandum.* Quanto rectius iudicaſſet, poſt reditum a ſacerdote licuiſſe homini praedicare CHRISTI beneficium, cum id ipſi CHRISTVS non interdixiſſet! Vetitum enim quod non eſt, licet. Quod de fuga gloriae a CHRISTO ſpectata profert, cum & Infantio, nouiſſimo *Noui Teſta-*

(e) In ea annotatione, quam Hammondianae adſcripſit Clericus, duae exhibentur reſponſiones, quarum poſteriori non veritas deeſt, ſed perſpicuitas.

(f) *T. I. p. 606. ſq.* Repetit *p. 915.*

Testamenti interpreti Gallico, placeat, non videtur nobis ſine nota praetermittendum. Reiicienda ſcilicet omnino haec eſt opinio. Ob id ipſum namque tot ac tanta edebat CHRISTVS miracula, vt agnoſceretur ſua δόξα, vtque manifeſtum fieret hominibus, eſſe ſe DEI filium & promiſſum Iudaeis Meſſiam, & haec agnitio fidem pareret in ipſum, fidesque haec ipſos in coelum duceret. Habebat igitur δόξαν (g) ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Debebat (h) φανερωθῆναι τῷ Ἰσραήλ. Per miracula ἐφανέρωσε (i) τὴν δόξαν αὐτοῦ. Dicebat, ſe (k) aeque, ac Patrem, honorari oportere; ſe (l) per miracula a Patre δοξάζεσθαι; ſe eſſe (m) lucem mundi: vt loca ſimilia praetereamus plurima. Cum igitur e miraculis gloria CHRISTI effulgeat, manifeſtiſſimum eſt, nullum eorum eſſe potuiſſe lucem ſub modio in perpetuum abſconditam.

Matth. IX. 30.

Hic relatum legimus, in domo quadam duobus caecis viſum a CHRISTO redditum fuiſſe: hosque tacere id iuſſos eſſe. Annon ſatis manifeſtum eſt, huius interdicti hanc fuiſſe cauſam, quod non eſſet in publico patratum hoc miraculum, adeoque careret teſtibus? Iam dictitare poterant

(g) *Ioan. I. 14.*
(h) *Ioan. I. 31.*
(i) *Ioan. II. 11.*
(k) *Ioan. V. 23.*
(l) *Ioan. VIII. 54. & XI. 4.*
(m) *Ioan. IX. 5. & VIII. 12. & XII. 46.*

inimici, hos homines, qui eo loco non erant noti, non fuiſſe coecos; quae calumnia praeuertenda erat. Alterum vero miraculum, quod ſtatim *v. 33.* narratur, editum erat in conſpectu multitudinis eum in finem, vt manifeſtum fieret omnibus: quod idem de miraculis *v. 35.* memoratis eſt in propatulo. Atque haec eadem reſponſio a Witſio (n) prolata fuit, &, vt e Wolfio cognoui, a Simone Epiſcopio. Addendum, non fuiſſe violatum hoc interdictum CHRISTI a duobus iſtis, qui caeci fuerant, cum poſtea illis, quibus ipſorum caecitas fuit notiſſima, praedicarunt hoc miraculum: id quod ab iis factum eſſe, quis dubitet? Facile enim intelligebant, cur & quamdiu taceri a ſe vellet IESVS, σωτὴρ ſuus. Mirum itaque, Ioach. Langium huius interdicti cauſam coniectura non eſſe aſſecutum: quae eſt ipſius confeſſio. Mirum, Lyſerum non niſi generatim (o) reſpondiſſe, CHRISTVM iuſtas & graues cauſas habuiſſe, ob quas id vetaret. Hieronymus vero, cui adſtipulatur Zegerus, plane audiendus non eſt. *Iactantiae* enim *gloriam fugiſſe* CHRISTVM ſcribens, idem peccatum, quod modo notauimus, admiſit.

Matth. XII. 16.

Hic CHRISTVS inſidiis hoſtium ſubduxiſſe ſe legitur, delatusque alium in locum iis, qui aderant, praecepiſſe, ne quis ipſorum abiret ad hoſtes ſuos, renuntiaretque, vbi ſit. Non enim CHRI-

(n) *P. 351.*
(o) *Harm. Euang. p. 756.*

CHRISTVS miraculo ſe tum hoſtibus eripere volebat, ſed communem naturalemque in modum. Annon hoc interdictum manifeſte eſt temporarium? Annon facile liquet, poſtea iis, qui tum ſanabantur, licuiſſe id narrare omnibus? Atque id etiam God. Olearius (p) obſeruauit, vnaque cum eo Wolfius. Magna vero ἀβλεψία (q) Witſii, hoc interdictum etiam ad eum pertinere arbitrati, qui antea ſanatus erat, nunc autem non erat amplius in comitatu CHRISTI: praetereaque ita vocem CHRISTI interpretati, vt non tam publicatio miraculorum prohibeatur, quam praedicatio eius tanquam filii DEI. Ad vltimum tamen recte vidit, indicti ſilentii & seceſſionis Ieſu eandem fuiſſe cauſam: quae & Grotii verba ſunt ad hunc ipſum locum. Nec aliorſum tendit Hammondi (r) interpretatio. Erasmus vero & Ruſius (s) cur audiendi non ſint, ideo id CHRISTVM feciſſe rati, ne videretur inanem captare gloriam, ſupra iam expoſuimus. Chemnitius denique ob id incommodam expromſit (t) reſponſionem, quod noſtrum locum & id, quod Marcus *cap. III. 12.* refert, pro locis parallelis habuit: qui manifeſtus feſtinantis error eſt. Adeo & Homeris interdum dormitare contingit.

Marci V. 43. & *Lucae VIII. 56.*

(p) *Obſ. XLV. ad Matthaeum* §. *III.*
(q) *P. 351. ſq.*
(r) *Ad Matth. VIII. 4.*
(s) *T. I. p. 1216.*
(t) *Harm. Euang. p. 396.*

Hic legimus, CHRISTVM, reuocata in vitam Iairi filia, ei pariter ac eius vxori imperasse huius facti silentium. Dices fortasse: An eius rei silentium a CHRISTO imperatum fuit, quae silentio premi non potuerat? Certum enim habebatur ab omnibus, puellam illam fuisse mortuam. Viuere autem nunc illam quisquis videbat, CHRISTO conclaue ingresso hoc beneficium non tribuere non poterat. Recte vero ratiocinaris, amice. Nunc vero, hinc manifestum esse, cognosce, non in perpetuum vetitos a CHRITO esse parentes id eloqui, sed ad tempus breuissimum, tamdiu scilicet, dum ex eo loco abiisset. E vestigio (u) enim hinc excedebat, suumque prosequebatur iter in patriam. Nolebat itaque, euulgato hoc miraculo concurrere multos miraculorum quasi competitores, sibique, quo minus, quo tendebat, statim iret, obsistere. Quo eodem modo fecisse CHRISTVM alio tempore, noster Marcus *cap. VII. 24.* docet. *Abibat*, inquit, *aliam in regionem*, *idque* *οὐδένα ἤθελε γνῶναι*, ne scilicet intempestiue ad se afferrentur aegri, quos alio tempore alioue loco sanare paratissimus erat. Postquam igitur abiisset CHRISTVS, desierunt silere parentes, & ad quosuis praedicarunt miraculosum hocce CHRISTI beneficium, vt eius fama peruagaretur totam illam regionem: quod disertum habemus testimonium Matthaei *cap. IX. 26.*

Vtro-

(u) *Marci VI. 1.*

Vtroque igitur oculo ſi inſpexiſſet hunc locum (x) Lyſerus, minime hoc adſcripturus erat: *Factum hoc eſt partim, quia plena patefactio reſeruatur in ſtatum vsque glorificationis, partim quia nouerat hoſtiles animos Phariſaeorum, qui eiusmodi miraculis irritabantur.* Adiicit, CHRISTVM etiam hoc facto humilitatem (y) & prudentiam ſuam oſtendiſſe, *vt ad conſimile virtutum ſtudium nos excitaret.* AEque ἀπροσδιονύσως reſpondet Grotius. *Imperium ſuum in mortem*, inquit, *nolebat hoc tempore euulgari, vt quod poſt reſurrectionem demum ipſius omni mundo eſſet publicandum.* Ducem hunc, vt ſolet, ſecutus eſt Clericus. Langius ad locum Marci male, ad Lucae locum bene reſpondet. Illic ait, CHRISTVM fugiſſe vanum gloriae ſtudium; hic acute animaduertit, CHRISTVM imperaſſe ſilentium temporis breuiſſimi. Idem Witſio (z) accidit, vt ſimul recte, ſimul male reſponderet ad hanc quaeſtionem. Recte ſcilicet iudicat, *ad tempus* vetuiſſe id CHRISTVM. Addit autem perincommode, CHRISTVM noluiſſe publicatione iſtius miraculi & ſacerdotum irritari inuidiam, & plebem ad terrenum ſibi praeſtandum honorem impelli. Ita ſane nihil plane miraculi erat editurus.

Marci VII. 36,

Quod hoc tempore factum eſt a CHRISTO, & Marcus *cap. VII. 31-37.* & Matthaeus *cap. XV. 29. 30.*

(x) *P. 753.*
(y) Eadem placuit reſponſio Rufio *T. I. p. 1132.*
(z) *p. 352.*

30. 31. commemorauit, ita tamen, vt, quod alter literis mandauit, alter tacuerit, & viciſſim. Circumſpiciendum hic, vtrius narratio priori ſit collocanda loco. Iam Lyſerus & Clericus recte iudicarunt, a Marco id, quod prius factum eſt, a Matthaeo, quod poſterius factum, narrari. En veram narrationis ſeriem! Cum CHRISTVS illuc loci veniſſet, ad ipſum adducebatur homo & ſurdus & mutus, cum CHRISTVS adhuc eſſet κατ' ἰδίαν, hoc eſt, in domo quadam, *Marci VII. 32. 33.* Rogatus itaque, vt eum ſanet, annuit his precibus, & illa in domo eum ſanabat. Iam cum hoc miraculum non haberet teſtes, niſi domeſticos, euulgari id vetuit, ne ſcilicet nonnulli, quod factum non erat in conſpectu plurimorum & in luce publica, id plane non eſſe factum, clamarent, dicerentque, hoc eſſe miraculum fictitium. Non autem parentibus huic interdicto illis, qui miſerum hominem adduxerant, adeoque publicato & vehementer (*Marci VII. 37.*) celebrato illo miraculo, factum eſt id, quod Matthaeus *cap. XV. 30.* narrat, vt videlicet concurreret ad CHRISTVM populus, ab eoque adducerentur plures varii generis aegroti: quos ſanabat omnes. Credibile eſt, CHRISTVM ideo quoque vetuiſſe id publicari, quia plura miracula ibi tum facere nolebat, ſed progredi longius. Summa autem miſerorum fiducia vicit eum, ut ibi maneret, multosque ſanaret.

Prope abeſt a vera huius interdicti cauſa Ioach. Langius, interius ad eam penetraturus, ſi

feſti-

festinasset lentius. Ac penetrauit huc (a) Witsius. Rusius (b) vero solenne suum de fuga gloriae occinit, antecessorem nactus Hieronymum, ita pronuntiantem: *Non in virtutibus gloriandum esse docuit CHRISTVS, sed in cruce & in humiliatione.* Minus item deliberata est Lyseri (c) responsio, id spectasse *CHRISTVM, ne suis de miraculis inconsiderate loquerentur homines, tanquam de nouitatibus, quae certis personis acciderint, e quibus tamen ad alios nulla redundet vtilitas.* Quae quidem responsio quam nulla sit, per se manifestum esse, arbitror. Addimus vero & hic, non violatum fuisse CHRISTI interdictum ab hoc homine, cum postea delatus ad eos, qui, se & auditu & loquela caruisse, probe norant, auctorem huius benefici miraculi iis indicauit. Adiicio miram de hoc loco sententiam Iacobi Tirini. *Praecepit illis,* inquit, *ne cui dicerent, non proprie dicto praecepto, sed pro decentia: nempe vt palam ipsis & omnibus aliis faceret, se reuera & sincere nullo teneri inanis gloriae desiderio. Vnde nec peccabant, qui eius miracula euulgabant.*

Marci VIII. 26.

Eadem fere huius interdicti causa, quae supra *cap. V. 43.* Scilicet ex illo oppido egrediens CHRISTVS, nec ibi diutius moraturus, secum ducebat (*v. 23.*) caecum. Remanentibus iam nec am-

(a) *p. 351.*
(b) *T. II. p. 97.*
(c) *p. 901.*

amplius ipſum proſequentibus incolis, qui & ob ἀπιςίαν ſuam (*Matth. XI. 21.*) miraculo aliquo nouo indigni erant, viſum caeco reddebat, tumque eum ire iubebat in ſuam ipſius domum extra vrbem (d) ſitam, nec prius redire in vrbem publicareque miraculum, quam CHRISTVS in itinere ſuo proceſſiſſet longius: ne videlicet aegroti alii ad ſe deferrentur. Nolebat quippe ibi manere & patrare miracula. Quare confeſtim pergebat iter ſuum. Non autem prorſus interdictum homini eſſe reditu in oppidum & celebratione miraculi, vel inde apparet, quod ei id futurum erat incommodiſſimum, praetereaque fieri non poterat, quin rogatus ab iis, qui caecum antea viderant ipſum, ſuae huius felicitatis quis auctor ſit, doceret.

Audiamus nunc alios huius hiſtoriae interpretes. Lyſerus (e) quidem aliquid verae reſponſionis protulit, propterea potiſſimum id vetuiſſe CHRISTVM, ſcribens, quod ciues Bethſaidae non vterentur ſuis miraculis ad ſui conuerſionem. Sed nondum perfecta eſt haec reſponſio. Idem, quod Lyſerus, vidit (f) Witſius, ſed minus acute. *Fortaſſis*, inquit, *indignos iudicauit*

(d) *Videtur in agro habitaſſe*, inquit ad hunc locum Grotius: qui minus dubie pronuntiare debebat. Cum enim hominem Chriſtus in domum ire ſuam iuberet, oppidum ingredi vetaret, quis dubitare poſſit, remotam ab oppido fuiſſe domum eius?

(e) *p. 920.*

(f) *p. 351.*

dicauit vici istius incolas, qui noua miracula viderent aut audirent, ob animi duritiem: quod *fortassis* abesse sane debebat longissime, & omissum etiam est a Langio, itemque a (g) Rusio.

Matth. XVII. 9. & *Marci VIII. 30.* & *IX. 9.*

Hicce quidem locus ad nostram disquisitionem proprie non pertinet, cum hic non narretur miraculum in quoquam homine patratum. At cum vetet hic CHRISTVS (h) publicari, se noua voce coelesti proclamatum fuisse filium DEI & Messiam, non dimittimus hanc occasionem inuestigandi causam, cur & hic & (i) *Matth. XVI. 20.* iusserit CHRISTVS duodecimuiros suos tacere, se esse Christum siue Messiam. Ex hoc ipso vero loco discimus, hoc interdicto CHRISTVM & suorum istorum discipulorum & populi Iudaici rationem habuisse, & quidem tum illius partis populi, quae in ipsum credebat, tum illius, quae ipsum habebat pro pseudomessia. Distincte hoc exponi oportet. Et duodecimuiros quidem constat tum adhuc credidisse, CHRISTVM susceptururn esse regnum mundanum. Horum igitur errori occurrens, statim *Matth. XVI. 21.* & *Lucae*

(g) *T. II. p. 153.*

(h) Vetuit autem & hoc non in perpetuum, sed ad certum tempus. Quare, postea id & a Petro *2 Epist. cap. I. 16.* & a Ioanne *1. Epist. I. 24.* publicatum esse legimus.

(i) Vid. ad h. l. Olearius *Obs. LVII. ad Matthaeum* §. *21.* vbi tamen errat, Chemnitium laudans pro Lysero, quippe qui hanc *Harmoniae Euangelicae* partem interpretatus est.

cae IX. 21. sq. docebat, tantum abesse, vt regio splendore sit effulsurus in hoc mundo, vt etiam capturi se sint Iudaei ac neci daturi. Praeterea nec decebat, IESVM praedicari *Christum* a duodecim suis discipulis. Ob id ipsum enim, quod discipuli eius erant intimi, non erant testes fide digni: cum cuiusuis pseudomessiae discipuli idem facturi forent. Eadem de causa daemonibus, ipsum esse Messiam, clamantibus, seuera voce silentium imperabat *Marci III. 12.* Nam hi quidem, patris mendacii satellites, fide erant indignissimi. Volebat proinde CHRISTVS, se Messiam esse, cognosci suis ex operibus, testibus quippe omni exceptione maioribus: id quod & factum esse a multis, constat. Nouimus iam satis, cur, hoc fieri a duodecimuiris suis, CHRISTVS vetuerit. Ad populi illam partem quod attinet, quae miraculis permota in ipsum credebat, cum & hi crederent, mundanum esse futurum Messiae regnum, ideo CHRISTVS iis diserte id nuntiari nolebat a suis duodecimuiris, ne seditionem excitarent, Iesumque renuntiando regem a Romano Imperatore deficientes arma caperent. Vid. *Ioan. VI. 15. Messias* certe & *Christus* nihil aliud, quam *regem*, significat. Regni autem CHRISTI natura & ratio cum illis non esset perspecta, remouenda erat funestissimi erroris occasio. Quae ipsa res haud dubie Ioannem baptistam permouit, vt, cum indicare populo iussus esset, aduenisse nunc tandem suum Messiam, non ita exclamaret: *Ecce, hic est Messias!* sed hancce vocem ederet: *Ecce agnus DEI, pro salute generis humani mactandus!* Denique

nique vt ad illos Iudaeos veniamus, qui Iesum non agnoſcebant Meſſiam, his omnium minime acclamandum erat, ipſum eſſe Meſſiam. Hi namque hanc occaſionem arrepturi erant criminandi, ſeditionem moliri Ieſum aduerſus Imperatorem Romanum, excitandique praetorem eius, vt ad eum capiendum quaquauerſum emitteret milites, ſimulque eos, qui in ipſum credebant, maximis iisdemque crudeliſſimis afficeret iniuriis.

Apparet nunc ſatis ſuperque, cur a ſuis duodecim diſcipulis noluerit CHRISTVS tum ſe praedicari Meſſiam. Ab aliis vero agnoſci praedicarique Meſſias, minime renuebat. Fecerat id primus natiuitatis eius praeco, angelus, *Lucae II. 11.* Fecerunt id poſtea Magi Perſici: fecit Simeon *Lucae II. 26.* & *30*; fecerunt Andreas, Philippus & Nathanael *Ioan. I. 42. 46.* & *50*: fecit Martha *Ioan. XI. 27.* Quid? Ipſe CHRISTVS, quoties interrogabatur, an ſit Meſſias, id profitebatur, addito tamen, ſe non eſſe regem regni alicuius mundani. Ita ex ſe quaerentibus Ioannis diſcipulis reſpondebat *Matth. XI. 3.* Iudaeis *Ioan. X. 24.* Pontifici *Matth. XXVI. 63.* Pilato *Ioan. XVIII. 36. 37.* Imo mulierem Samaritanam id aperte docebat *Ioan. IV. 26.* agnoſcique etiam Meſſias volebat *v.* 42. a Samaritanis. Hos enim ea cognitio non erat incitatura ad ſeditionem. Solos igitur ſuos duodecimuiros tacere iubebat ob cauſas ſupra memoratas. Hi poſt reſurrectionem

nem (k) eius demum docere debebant, Iesum esse Messiam: idque statim faciebat Petrus *Act. II. 36. & 38.* Tum scilicet exuta summae humilitatis persona CHRISTVS resurrectione & in coelum adscensione sua, itemque effusione Spiritus sancti in Apostolos, manifestissimum fecerat, se esse Messiam, se regem regum esse omnium & angelorum & hominum adoratione & obsequio prosequendum. Nunc proinde, cum mundani regni Messiae spes prorsus euanuisset, Apostolorum erat docere, IESVM esse CHRISTVM, in eumque quisquis credat, eum in ciuitatem coelestem adscitum iri & aeterna fruiturum esse felicitate.

Ubersetzung des zehenden Capitels Lucä.

1. Darnach (a) ernennete der Herr noch andere siebenzig, und sandte sie zwey und zwey vor sich her in alle Städte und Oerter, wo er hinkommen wolte. 2. Zu

(k) Vere, sed imperfecte, Basilius M. in *Apologia ad Caesarienses p. 83. Tom. III. operum* editionis Parisinae nouae: *Dominus*, inquit, *discipulis praecipit, vt ne cuiquam dicant, ipsum esse IESVM CHRISTVM. Propositum enim ei erat, post absolutam* οἰκονομίαν, *ac resurrectionem ex mortuis & in coelos assumtionem, tum demum ipsis permittere, vt eum IESVM CHRISTVM praedicent.*

(a) Daß es also zu übersetzen, habe ich in der Disp. de 70. legatis Christi auf der eilften Seite erwiesen.

2. Zu denselben sprach er: Die Erndte ist groß, aber der Arbeiter sind wenig. Derowegen bittet den Herrn der Erndte, daß er Arbeiter in seine Erndte ausschicken möge.

3. Gehet hin. Sehet, ich sende euch als Lämmer mitten unter Wölfe.

4. Traget aber keinen Beutel bey euch, auch keine Tasche, noch Schuhe, und haltet euch unterwegs bey niemanden mit grüssen auf.

5. Wo ihr nur in ein Hauß kommet, da sprechet zu erst: Segen (b) komme über dieses Hauß.

6. Wenn nun daselbst ein Segens-würdiger Mann ist, so wird euer Segen auf denselben sich niederlassen: wo aber nicht, so wird euer Segen wieder zu euch zurück kehren.

7. In demselben Hause aber bleibet, und esset und trincket, was sie euch geben. Denn der Arbeiter ist seines Lohnes wehrt. Begebet euch nicht aus einem Hause in ein anderes.

8. Und wo ihr nur in eine Stadt kommet, und man euch aufnimmet, da esset, was euch vorgesetzet wird:

9. und machet die krancken gesund, die daselbst sind, und saget zu ihnen: Das Reich Gottes ist nahe zu euch gekommen.

10. Wo ihr aber in eine Stadt kommet, und man euch nicht aufnimmet, da gehet hervor auf ihre Gassen, und sprechet:

(b) Was die Hebräer Friede nennen, das heisset bey uns Teutschen Segen.

11. Auch den Staub, der sich an uns gehänget hat von eurer Stadt, wischen wir ab auf euch. Doch wisset dieses, daß das Reich Gottes nahe zu euch gekommen.

12. Ich sage euch: Es wird die Stadt Sodom an jenem Tage nicht so hart verurtheilet werden, als dieselbe Stadt.

13. Wehe dir, Chorazin: wehe dir, Bethsaida. Denn wenn zu Tyrus und Sidon die Wunderthaten, welche bey euch geschehen sind, geschehen wären, so würden sie vorzeiten im Sacke und in der Asche sitzend Buße gethan haben.

14. Es wird aber auch Tyrus und Sidon an dem Gerichts-Tage ein gelinderes Urtheil bekommen, als ihr.

15. Und du, Capernaum, die du biß an den Himmel erhöhet worden, du wirst biß in die Hölle herunter gestoßen werden.

16. Wer euch höret, der höret mich, und, wer euch verachtet, der verachtet mich. Wer aber mich verachtet, der verachtet den, der mich gesandt hat.

17. Die siebenzig aber kamen wieder zurück mit Freuden, und sprachen: Herr, auch die Teufel sind uns in deinem Nahmen unterthan.

18. Da sprach er zu ihnen: Ich sahe wohl den Satan wie einen Blitz vom Himmel fallen.

19. Sehet, ich gebe euch die Macht, auf Schlangen und Scorpionen zu treten, wie auch die Macht

über

über alle Gewalt des Feindes: und er (c) wird euch nicht im geringsten beschädigen können.

20. Doch darüber freuet euch nicht, daß euch die Geister unterthan sind. Vielmehr freuet euch, daß eure Nahmen in dem Himmel angeschrieben sind.

21. In derselben Stunde frolockete Jesus im Geiste, und sprach: Ich preise dich, Vater, Herr des Himmels und der Erde, daß du dieses den weisen und klugen verborgen, und den unmündigen geoffenbaret hast. Warlich, Vater, es war dieses dein Wohlgefalle.

22. Darauf (d) kehrete er sich um zu seinen Jüngern und sprach: Alles hat mir mein Vater

(c) Das οὐδὲν ist hier nicht der Nominatiuus, wofür es die Uebersetzer angesehen haben, sondern der Accusatiuus. Ich habe dieses in nur erwehnter Disp. S. 15. sattsam dargethan.

(d) Es ist zu verwundern, daß in allen Teutschen Bibeln diese Worte fehlen, da sie doch in den besten Ausgaben des Griechischen Neuen Testaments befindlich. Daß Lutherus sie weggelassen, kam daher, weil er die alte Lateinische Ubersetzung vor sich hatte, in welcher sie nicht stunden. Die nachfolgenden Herausgeber aber der Ubersetzung D. Luthers hätten diesen Mangel ersetzen sollen: wie dieses der Berlinische Ubersetzer, Lenfant, gethan, welcher auch in den vorigen Französischen, nach der alten Lateinischen gemachten, Ubersetzungen diese Worte nicht antraf. Daß aber in der alten Lateinischen Ubersetzung, und hernach auch in etlichen Griechischen MSS. diese Worte fehlen, davon hat Grotius die Ur=

sach

übergeben. Und niemand weiß, wer der Sohn sey, als nur der Vater; und, wer der Vater sey, weiß auch niemand, als nur der Sohn, und wem es der Sohn offenbaren will.

23. Hierauf kehrete er sich zu seinen (zwölf) Jüngern um, und sprach ins besondere zu ihnen: Selig sind die Augen, welche sehen, was ihr sehet.

24. Denn ich sage euch: Viel Propheten und Könige wolten gerne sehen, was ihr itzt sehet, aber sie haben es nicht gesehen; und wolten gerne hören, was ihr itzt höret, aber sie haben es nicht gehöret.

25. Und siehe, ein Schriftgelehrter trat hervor, und sprach: Meister, was muß ich thun, wenn ich das ewige Leben ererben will?

26.

sache angezeiget. Ab aliis ideo omissa, schreibet er, quia sequenti commate idem loquendi genus reperitur. Man würde aber vorzeiten den Frevel, diese Worte, welche auch Beza in allen seinen MSS. angetroffen, hinaus zu stossen, nicht begangen haben, wenn man erkannt hätte, daß an dem ersten Orte von allen damahligen Zuhörern, die an Jesum gläubeten, die Rede sey; an dem andern Orte aber nur von den zwölfen. Dieser Unterschied der Jünger ist sonderlich aus Joh. *VI.* 66. und 67. zu erkennen: und möchte ich wünschen, daß der Herr Probst Bengel, als er sein so schönes Neues Testament herausgab, dieses bedacht, und nicht aus Ubereilung diese Worte aussengelassen, ja gar verworfen hätte. Doch in der Mystischen und Prophetischen Bibel, worinnen die Ubersetzung, wie es auf dem Titel lautet, aufs neue nach dem Grunde verbessert worden, und welche zu Marburg 1712. gedruckt ist, sind diese Worte eingerücket worden.

26. Da sprach er zu ihm: Wie stehet denn in dem Gesetze geschrieben? Wie liesestu in demselben?

27. Er antwortete, und sprach: Du solst den Herrn, deinen Gott, von ganzem Herzen, und von ganzer Seele, und aus allen Kräften, und von ganzem Gemüthe lieben, und deinen Nächsten, wie dich selbst.

28. Da sprach er zu ihm: Du hast recht geantwortet. Thue dieses, so wirstu leben.

29. Er aber wolte (dd) seine Meynung (**daß nur ein Jüde des Jüden Nächster sey, und kein Heyde,**) behaupten, und sprach zu Jesu: Wer ist denn mein Nächster?

30. Da antwortete Jesus, und sprach: Es ging ein Mensch von Jerusalem nach Jericho zu, gerieth aber unter die Strassenräuber, welche ihn nicht nur (e) auszogen, sondern auch zerschlugen, und hernach davon gingen, und ihn halbtodt liegen liessen.

(dd) Δικαιοῦν heisset öfters glauben und behaupten, daß einer recht gethan, oder daß seine Meynung die rechte sey. Jene Bedeutung findet sich Matth. *XI. 19.* und Lucä *VII. 29.* und *35.* und *XVI. 15.* Daraus fließet die andere Bedeutung von sich selbst. Daß aber dieses des Schriftgelehrten Meynung gewesen, daß niemand, als nur ein Jüde, sein Nächster sey, beweiset mit Rabbinischen Zeugnissen Lightfoot bey dieser unserer Stelle.

(e) Also habe ich es geben müssen, weil in dem Griechischen καὶ, καὶ stehet.

31. Ohngefehr aber kam ein Priester auf demselben Wege her: welcher aber, als er ihn sahe, gegen über vorbey ging.

32. Ingleichen kam auch ein Levite an denselben Ort, und sahe ihn: er ging aber auch vorüber.

33. Ein Samariter aber, als er auf seiner Reise bey diesen Menschen kam, und ihn sahe, empfand bey sich ein großes Mitleiden,

34. und ging zu ihm, verband seine Wunden, und goß Oel und Wein hinein, setzete ihn auch auf sein Thier, und brachte ihn in eine Herberge, und sorgete vor ihn.

35. Des folgenden Tages reisete er fort, zog aber zuvor zwey Groschen heraus, und gab sie dem Wirthe, und sprach zu ihm: Sorge vor ihn. Solltestu noch mehr aufwenden müssen, so will ich, wenn ich zurück komme, dir alles wieder erstatten.

36. Nun was meynestu? Wer ist unter diesen dreyen der Nächste dessen gewesen, der unter die Strassenräuber gerathen war?

37. Er sprach: Derjenige, welcher diese Barmherzigkeit an ihm erwiesen hat. Da sprach Jesus zu ihm: So gehe hin, und mache es auch also.

38. Indem sie nun fortreiseten, kam er in einen Flecken. Da nahm ihn ein Weib, Nahmens Martha, in ihr Hauß auf.

39. Und dieselbe hatte eine Schwester, welche Maria hieß. Dieselbe setzete sich gar (f) zu den

(f) καὶ, gar, auf Lateinisch *etiam*. In einer Anmerkung zu dem neunzehenden Capitel der Rede, welche Ciceros

den Füssen Jesu nieder, und hörete seiner Rede zu.

40. Martha aber war in voller Arbeit wegen der starken (g) Bewirthung. Daher kam sie, und sprach: Herr, bedenkestu nicht, daß meine Schwester mir die Bewirthung allein überlässet? Befiehl ihr doch, mir beyzustehen.

41. Jesus aber antwortete, und sprach zu ihr: Martha, Martha, du machest dir viel Sorge und Unruhe.

42. Aber nur eins ist recht nöthig. Maria hat sich das beste (h) Gericht (ferculum) (oder das

Cicero vor den Milo gehalten, habe ich diese Bedeutung, die nicht an allen Orten so gleich erkannt wird, mit auserlesenen Exempeln erläutert. Diese Bedeutung kömmt auch Apost. Gesch. V. 39. vor.

(g) Διακονέω und διακονία heisset, wenn man den Gästen zu essen schaffet, und sie damit bedienet. Man beliebe des sel. Wolfs Curas über die Evangelisten anzusehen S. 710. Joh. *II. 5.* und *17.* heissen auch die Aufwärter bey der Mahlzeit διάκονοι. Und in den Apostel-Geschichten Cap. *VI.* werden Männer bestellet, die die Armen mit Speise versorgen solten, v. 2. διακονεῖν τραπέζαις, und daher *Diaconi* genennet wurden.

(h) Das Wörtgen μερὶς hat viel zu schaffen gemachet wegen seiner verschiedenen Bedeutungen. Die von mir erwehlte schicket sich an diesen Ort am besten, und kömmet auch in des ersten Buches Samuelis Griechischer Ubersetzung vor Cap. *I. 5.* und *IX. 23.* Da nun Martha leibliche Speise besorgete, so spricht

Christus

beſte Stück Speiſe) erwehlet: welches ihr auch niemand wieder nehmen wird.

III.
DISSERTATIO (a) EPISTOLICA AD LVCAE XVIII. 8.

VIR SVMME VENERABILIS,

Eos inter, qui tuum ex eccleſia Luneburgica, cui maxima cum laude per hos annos praefuiſti, in aulicam Hanoueranam tranſitum intuentur gratulabundi, laetique praeuident, adiunctum TE ſimul Conſiliariis Conſiſtorii Regii maiora poſthac & ampliora praeſtiturum eſſe ciuitati CHRISTI officia, me quoque eſſe, non eſt, credo, TIBI dubium. Inhumanus enim ſim, ſi rebus tuis ſecundis non exhilarer, cum iamdudum tuo me amore cenſueris dignum, imo publico me

Chriſtus, Maria labe ſich mit beſſerer Speiſe, nemlich mit der Seelen-Speiſe. Daß ich aber τὴν ἀγαθὴν überſetzet habe das beſte, dazu hat mich eben das bewogen, was Lutherum bewog, Matth. XXII. 36. und 38. μεγάλη ἐντολὴ zu überſetzen das gröſte Gebot.

(a) Hac Epiſtola a. 1746. gratulabar S. R. *Gabr. Wilh. GOETTENIO* nouum munus Conſiliarii Conſiſtorii & Concionatoris aulae Hanoueranae.

me collocare dignatus fueris in theatro inter viros hac aetate cum de sacris, tum de caeteris literis bene merentes. Qua quidem re, etsi honorificentiorem, quam pro meo merito, tulisti de me sententiam, id effecisti, vt amorem erga me tuum amarem, conarerque in dies illo tuo iudicio magis dignus fieri. Nec vero putas, scio, ingratorum hominum esse me in numero, qui tamdiu nullum tibi exhibuerim gratae mentis specimen. Gratis enim hominibus etiam illos adscribendos esse, nosti, qui, cum palam grati esse non possint, gratiae referendae voluntatem retinent, & vel gaudent, alterum non egere mutuo officio, vel, nihil se praestare posse officii, dolent. Ego quidem gratus erga TE & memor mihi visus sum, cum intra pectoris mei penetrale DEVM subinde sum precatus, vt sua in TE cumulet beneficia, cumque ei gratias egi pro bonis in TE large collatis proque rerum tuarum prosperis successibus. Ac nunc quoque supremo illi Numini gratias ago pias, a quo iuberis nunc in vrbe regia non solum amplificare regnum filii sui docendo monendoque e sacra cathedra, verum etiam in Consistorio pluribus modis consulere rebus diffusae per has tot terras ecclesiae. Possem quoque ac vellem gratum TIBI me praestare praedicando tua in ecclesiam merita, singularem tui ingenii tuaeque eruditionis vim, solidam tuam pietatem ac prudentiam, & quicquid est caeterarum tuarum virtutum. At non licet mihi facere, quod libet, per tuam modestiam. Habes praeterea tot praecones laudum tuarum, quot

con-

conſcios geſtarum abs TE rerum in Hildeſienſi, Cellenſi, & Luneburgenſi eccleſiis. Nihil proinde mihi ſupereſt, quam vt publice gratuler TIBI de noua hac Sparta, DEVMque precer enixe, vt ad ſanctiſſima munia rite obeunda rectorem TIBI & in poſterum det ſuum Spiritum, tuoque miniſterio per longam annorum ſeriem vtatur ad illuſtrandum nomen ſuum & ad ſuae eccleſiae augenda commoda.

Nondum vero a TE diſcedo, Vir ſumme venerabilis, ſed morem ſequens aetatis noſtrae meditationem aliquam theologicam tuis oculis ac ſimul defecato tuo iudicio ſubiicio. Materiam huius meditationis facio controuerſiam illam vertente ſuperiori ſaeculo agitatam inter clariſſimorum nominum theologos eccleſiae noſtrae, *Spenerum* & *Pfeiferum*, de verbis illis Saluatoris noſtri ad ſuos diſcipulos editis: *An vero filius hominis, cum venerit, fidem in terra reperiet?* Ac Spenero (a) quidem id ſignificare videbatur CHRISTVS, auxilio ſe venturum piis tam inopinato, vt ſuis ipſi oculis non ſtatim credituri ſint, adeſſe ipſum ad ſe grauiſſimis malis liberandos. Quae interpretatio cum ſe non probaret (b) Pfeifero, ſed

(a) Non ſe eſſe primum huius interpretationis auctorem, ſed a Sandhagenio, magna exegeticae artis laude conſpicuo tum viro, eam accepiſſe, fatetur ipſemet in Theologiſcher Bedenken *T. IV. p. 555.* & *638.* itemque *T. V. P. I. p. 221.*

(b) Ne *Ioachimo Langio* quidem ſe approbabat haec ſententia, magno Speneri admiratori. Vid. eius *Comment. ad Lucae XVIII. 8.*

ſed ei videretur, vt eſt, a conſuetudine Graece loquentium admodum remota, ipſe contendebat acriter, docere hic loci CHRISTVM, tum, cum ad iudicium in vniuerſos homines exercendum aduenturus ſit, fere neminem eſſe futurum, qui fidem Chriſtianam habeat, qui pietatem colat. Aberrabat vero & hic a vero verborum iſtorum ſenſu, non animaduertens ſcilicet, CHRISTVM de eo loqui tempore, quo adfuturus erat ad delendam per Romanos & vrbem & remp. Iudaeorum, qui ad amplexandum Meſſiam tanta tum multitudine, tum magnitudine miraculorum flecti non potuerant.

Mihi quidem, vt ad veram & genuinam perueniatur horum CHRISTI verborum ſententiam, obſeruandum videtur principe loco, vnum eſſe CHRISTI ſermonem, quem Lucas *cap. XVII.* *20*, vsque ad finem, & deinceps a *capitis XVIII.* verſu primo vsque ad octaui verſus exitum exhibet: vt adeo haec vno fuiſſent ab eo, qui *capitum* numeros praeſcripſit, comprehendenda (c) capite. Hos nunc verſus breui perſequar, ſed ea perſpicua interpretatione: quod cum factum

(c) Mirum igitur non eſt, multos etiam eruditiſſimos viros veram hic non aſſecutos eſſe interpretationem, cum fefellerit eos vulgaris libri Lucae in capita diuiſio, vt putarent, ſermonem CHRISTI *cap. XVIII. 1-8.* exhibitum diuerſum eſſe a praecedenti proxime. Errauit hunc errorem etiam nouiſſimus interpres, Ruſius, in *Harm. Euang. T. II. p. 929. ſqq.*

ctum fuerit, facile se nostris oculis ingeret postremorum verborum, de quibus lis erat inter duos illos theologos, sententia. Ac tum nec dubitari poterit, esse vnius sermonis eiusdemque argumenti verba haec omnia.

Accedebat videlicet ad CHRISTVM (*v. 20.*) aliquis Pharisaeus, communi nomine ex ipso quaerens, *quandonam sit oriturum regnum DEI.* Hac appellatione tum vsitata *regnum Messiae* significabat aeque, vt Ioannes baptista *Matth. III. 2.* Cum autem in eo versaretur errore, vt crederet, mundanum regem futurum esse Messiam, doceri ab eo cupiebat, quo tempore regnum suum sit exorsurus, cum velit Messias haberi. Quaerebat itaque idem, quod *Act. I. 6.* discipuli Christi, praeiudiciis nondum soluti Pharisaicis: *An hoc tempore,* inquientes, *instaurabis regnum Israëliticum, & eum in modum, quo Dauid & Salomo, regnabis in Iudaea?* Respondebat Pharisaeo Christus, vti postea Pilato respondit, regnum suum non esse de hoc mundo, hoc est, non esse regnis mundanis simile. Rex, inquiebat, maioribus vestris a DEO promissus non venit *cum pompa & magnificentia mundana.* Nec (ita pergebat *v. 21.*) exclamabitur: En regem splendidissimum, quem DEVS ad vos misit Messiam! Aperite modo oculos ad ea, quae fieri a me cernitis, & cognoscetis, Messiam & eius regnum *in medio vestri* esse, adeoque iam aduenisse. Idem igitur docebat Christus, quod baptista docuerat *Ioan. I. 26: In medio vestri est Messias,* inquiens,

quem

quem quidem vos non agnoſcitis. Tacente iam Phariſaeo ac, vt videtur, abeunte etiam vna cum ſociis ſuis, ad ſuos diſcipulos (*v. 22.*) conuertebat Chriſtus orationem ſuam, hac oblata occaſione docturus eos, tantum abeſſe, vt Iudaei ſe agnituri ſint Meſſiam, vt etiam atrociſſime ſint ſaeuituri in eos, qui in ſe credant, quique ſint ſuo iuſſu regnum ſuum per vniuerſum orbem propagaturi. Erit, inquit, tempus, quo maximis preſſi calamitatibus ob fidei in me profeſſionem anxie reſpicietis (d) me optabitisque, vt redeam ad vos praeſenti auxilio & a perſecutionibus (e) Iudaeorum vos liberem. Verum diu fruſtra exſpectabitis auxilium meum, diu non videbitis me veſtrarum iniuriarum vltorem. Imo tum (*v. 23.*) ita vos alloquentur Iudaei: Agnoſcite nunc tandem, veſtrum Meſſiam non fuiſſe verum Meſſiam. Quare eum alibi quaerite. Hic, inquiet vnus & alter, hic, quem vobis monſtro, verus eſt Meſſias. Vos vero (ita pergit Chriſtus,) ne audite eos, ne cupide ſequimini eum, qui vobis monſtrabitur, nec fidem in me & fiduciam abiicite. Tempeſtiue adero, vobisque pariter ac Iudaeis me demonſtrabo DEI filium. Et quidem (*v. 24.*) improuiſo (f) veniam, nec vobis nec

(d) Vidit hunc horum verborum ſenſum & Beza, itemque cum Brentio & Flacio Glaſſius.

(e) Tertullianus in *Scorpiaci cap. 10.* ſynagogas Iudaeorum vere nominauit *fontes perſecutionum.*

(f) Et hic & *v. 30.* loqui Chriſtum de excidio Hieroſolymae, ſatis docet Calouius: cui nuper aſſenſit

nec Iudaeis opinaturis, inſtar fulguris totum coelum fulgore ſuo ſubito implentis. Fiet vero id (*v.* 25.) poſt exitum meum ex hoc mundo. Quamdiu enim in mundo ero, me clamitabunt falſum eſſe Meſſiam, imo crudeliſſima morte me afficient. Tum vero poſtea (*v.* 26. 27. 28.) in omni genere peccatorum viuent ſecuriſſimi. Veniet autem tempus, (*v.* 29. 30.) quo ſubito in eos irruet exitium. Subito, inquam, & improuiſo ad eos puniendos & vltimo ſupplicio afficiendos adero, realemque meam ſentient impii Iudaei praeſentiam. Eo tempore, (*v.* 31. 32.) cum in proximo erit Romanus exercitus, a me in Iudaeam immiſſus, quanta maxima poteritis celeritate aufugientes ſaluti veſtrae conſulite. Qui enim (*v.* 33.) ſperabunt, ſe tutos (g) fore intra vrbem, peribunt: contra, qui omnem vitae intra vrbem ſeruandae ſpem abiicient, eam ſeruabunt, nec ab hoſtibus vrbem expugnaturis occidentur. In illa ſcilicet (*v.* 34. 35. 36.) ſummae calamitatis nocte ſumma erit rerum omnium confuſio & perturbatio. Vna enim pars hominum comprehendetur (h) hoſtili manu ac trucidabitur, altera

ſit Ruſius. Atque etiam Spenerus id agnoſcit in Theol. Bedencken *T. V. P. I. p.* 222.

(g) Ferme eodem modo hunc verſum interpretatus eſt Clericus in *Paraphraſi* ſua *Hiſtoriae Euangelicae cap.* 47. *p.* 316.

(h) Hunc verbi παραλαμβάνειν ſenſum vidit Clericus in annot. ad *Verſionem* ſuam *N. T.* Gallicam, itemque Elsnerus in *Obſeruationibus ſacris* ad *h. l.* qui

altera superstes relinquetur (i) ad seruiendum seruitutem miserrimam. Haec cum elocutus esset Christus, discipuli (*v. 37.*) ex ipso quaerebant, quo loco id & quo tempore euenturum sit. Quibus ita respondebat: *Vbi cadauer est, ibi congregabuntur aquilae*, Romanos milites significans in Iudaeum populum inuasuros animis truculentissimis.

Nondum autem (k) finiebat hunc sermonem CHRISTVS, sed praescribebat etiam (*cap. XVIII. 1.*) discipulis, quomodo se gerere debeant in persecutionibus Iudaicis vltionem hanc DEI

qui similia ex aliis scriptoribus profert exempla: quibus vnum illud adiicio ex AEliani *Var. hist. XII.* 23: παραλαμβανόμενος ὑπὸ τοῦ πυρὸς, *homo, quem ignis comprehendit.*

(i) Hoc factum esse a Tito expugnata Hierosolyma, testis est Iosephus *lib. VI. de bello Iud. cap. 9* §. 2. Eodem modo capta eadem vrbe, quos non cecidit, in seruitutem abduxit tristissimam Nebucadnezar.

(k) Continuari hic sermonem Christi de eadem materia, indicat haec Lucae formula: ἔλεγε δὲ καὶ, er sagete aber auch: quod auch non debebat omitti in versione Germanica. Omissum vero etiam est in eadem formula *Lucae V. 36. & XII. 54.* Et hanc *capitis XVIII.* cum capite *XVII.* connexionem agnouit etiam Spenerus in Theol. Bed. *T. V. P. I. p. 222. & 223.* facile hinc peruenturus ad veram verborum CHRISTI postremorum *v. 8.* sententiam, nisi *p. 223.* τὴν γῆν putasset esse *totum mundum.*

DEI antecessuris. Orare igitur eos iubebat & nunquam desperare DEI auxilium, sed perpetuo confidere, DEVM ipsos a Iudaeorum iniuriis liberaturum: docens, (*v.* 2. 3. 4. 5. 6.) cum assiduis precibus vel iniustissimi (l) iudices permoueri possint ad exercendam iustitiam, eo certius credi debere, DEVM, iustitiae fontem, ipsis redditurum tranquillitatem post perpetuas Iudaeorum persecutiones. An credere potestis, inquiebat, (*v.* 7.) non esse DEVM preces vestras exauditurum, sine intermissione se implorantium, nec vltione in hostes exercita vos, electos suos, liberaturum, etiamsi (m) diutius differat (n) auxilium?

(l) Cum hic *v.* 2. ita describatur iniustus iudex, vt nec DEVM nec homines dicatur timere & reuereri, recordor, similem iudicem, Appium Claudium, etiam a Liuio *III.* 57: vocari *Deorum hominumque contemtorem*; ab eodemque *lib. VIII. cap.* 34. alios memorari, *qui nec hominum nec Deorum verecundiam habeant.*

(m) Καὶ reddit *etiamsi* etiam Glassius in *Philol. sacrae lib. IV. p.* 1191. & iam olim Beza: alios vt praeteream.

(n) Μακροθυμεῖν solet DEVS non solum erga impios, poenas differens & locum relinquens eorum poenitentiae; sed etiam erga pios, auxilium ab iis subinde imploratum procrastinans. Hic loci posterior sensus est potior, quia de *electis* sermo est, vti 2. *Petri III.* 9. vbi etiam DEVS μακροθυμεῖν dicitur *erga pios*, εἰς ἡμᾶς. Nec aliud sibi vult Siracides, *cap. XXXV.* 19. (*al.* 22.) ita scribens: *DEVS* piis perpetuo precantibus *non tardabit, neque* μακροθυμήσει ἐπ᾽ αὐτοῖς, *auxilium erga eos suum differet diutius.*

xilium? Imo credite mihi, (*v. 8.*) DEVM vos vindicaturum esse ἐν τάχει, hoc est, certissime. Is enim & hic loci & *Apoc. I. 1.* & *XXII. 6.* huius formulae sensus est, itemque *Iesaiae XLVIII. 3.* Ac praebet hic propheta se huius dictionis interpretem, ita *cap. LX. 22.* loquentem inducens DEVM: *Ego Iehoua TEMPORE SVO ACCELERABO illud.* En DEVM moram suo tempore festinanter finientem, ac certissime, quae vel promisit vel minatus est, praestantem! Perbene igitur Lutherus ista verba reddidit: **Ich der HErr will solches zu seiner Zeit eilend ausrichten.**

Nunc (*v. 8.*) finit sermonem suum de vrbis & reipublicae Iudaicae interitu FILIVS DEI hisce verbis: *An vero filius hominis, cum venerit, reperturus est fidem in hac terra*, hoc est, in Iudaeorum populo? Πλὴν commodissime hic reddetur *caeterum:* quo sensu saepius (o) occurrit. Adiicit videlicet haec vocula sermoni aliquid, quasi dicas: *Vnum adhuc superest, quod dicam.* Iam facile liquet, quae insit his verbis sententia. *An vero putatis*, inquit CHRISTVS, *cum venero ad Iudaeos tanquam iudex poenas inexpugnabilis contumaciae de iis sumens Romanumque in eos immittens exercitum, tum tandem denique eos agnituros diuinam ob mei reiectionem vindictam, & acta poenitentia in me credituros esse?* Hic abrumpit sermonem CHRISTVS, nec solum discipu-

(o) E. g. *Lucae X. 11. & 20. & XXII. 21. Matth. XI. 22. & 24. Phil. III. 16. Apoc. II. 25.* Vid. & Elsnerus ad *Lucae X. 11.*

cipulis illis ſuis, ſed nobis quoque cogitandum relinquit, quid ſibi velit iſta ſua quaeſtio. Non eſt autem difficile cognitu, quo tendant haec verba. Primo ſcilicet docet quaeſtio haec, difficile creditu eſſe, ne vltimis quidem poenis victum iri τὴν ἀπιςίαν Iudaeorum, ſed eos eousque obduraturos eſſe, vt neceſſe ſit CHRISTO poena debita eos perſequi: & tamen id euenturum eſſe. Deinde ſignificat, (quod *Lucae XIX. 41. 42.* teſtabatur voto & lacrymis,) ſe, ſi vel vltimo illo temporis articulo poenitentia & fide ad ſe conuerſuri ſe ſint Iudaei, eorum miſerturum & Hieroſolymam conſeruaturum eſſe.

Habemus nunc verum verborum CHRISTI ſenſum, a quo aberrandi cauſa etiam haec fuit Spenero pariter ac Pfeifero, quod non (p) animaduerterunt, haec verba: ἐπί τῆς γῆς, non eſſe ita reddenda: *in terra* ſiue *in mundo*, ſed *in hac terra*, *in Iudaea*: id quod iam obſeruarunt Knatchbullus & Hammondus & Clericus & Infantius. Ac loquitur eodem modo Lucas noſter *cap. XXI. 23.* & *XXIII. 44.* & *IV. 25.* itemque Moſes *Geneſ. XLVII. 13.* Nec alius eſſe poteſt noſtri loci ſenſus, ſi, id quod ſatis manifeſtum feci, ſermo CHRISTI de excidio Hieroſolymae huc protenditur.

Iudicium nunc TIBI permitto, Vir ſumme venerabilis, an iure reiecerim cum Pfeiferianam, tum

(p) Nec Zeltnerus id animaduertit, diuerſam & a Speneriana & a Pfeiferiana, ſed aeque falſam, interpretationem proferens in *Altorfinis Bibliis.*

tum Spenerianam, verborum Beatoris noſtri interpretationem, & an verum ſim aſſecutus eorum ſcopum ſenſumque. Tibi quidem non erit hoc iudicium difficile, qui quotidie ἐρευνᾷς τὰς γραφὰς, & ſummam capis e pio hoc ſtudio voluptatem. Cum vero & *Hiſtoria eccleſiae* TIBI curae ſit cordique, non vereor, ne moleſtum TIBI ſit audire adhuc me refellentem errorem quendam hiſtoricum *Gottfridi Arnoldi* maximum, quo famae *Ioannis Bugenhagii*, Lutheri & Melanchtonis collegae coniunctiſſimi, eximiisque in reſtitutam CHRISTI eccleſiam meritis clariſſimi, vulnus inflixit grauiſſimum. Inciderat in libellum quendam a Matthaeo Ratzenbergero, Electoris Ioannis Friderici Medico, ſcriptum, in quo narrabatur, Bugenhagium aliquando e ſacra cathedra in haec erupiſſe verba, cum exhortatus eſſet auditores ad preces fundendas pro ſalute ſui Principis: **Doch meyne ich nicht den alten Chur-Für-ſten, Herrn Johann Friedrich, ſondern den itzigen, unſern gnädigen Herrn Moritzen. Der iſt ein rechtſchaffener, gütiger, milder Fürſt, und hat neulich dem Herrn Philippo und mir, einem jeden, eine Pump-Mütze voller Thaler ſchencken laſſen.**

Videre facile poterat Arnoldus, factum hoc haudquaquam conuenire cognitiſſimis viri moribus ſpectatiſſimaeque eius tum pietati, tum prudentiae. Agnoſcere hinc debebat maledicam vulgi fabulam, ab iis ortam, qui ita amabant Ioannem Fridericum, Electorem Saxoniae infelicem, vt odiſſent acerrime ſucceſſorem eius, Mau-

ritium, huiusque, nunc principis sui, cultores vniuersos. Iure proinde hanc Arnoldi imprudentiam accusarunt, fabulaeque huius mendacium ex historia nostrae ecclesiae eiecerunt viri doctissimi, *Io. Frid.* (q) *Gaubius*, Pastor ecclesiae Saxonicae, & *Io. Christoph.* (r) *Langius*, Pastor Lusaticae ecclesiae, qui prioris institit vestigiis. Neutri vero cognitum fuit, iam ab ipso Bugenhagio mendacem hunc vulgi rumorem reuictum fuisse verbis grauissimis. Iam cum fiat hinc manifestissimum, narratiunculam, ab Arnoldo e Ratzenbergeri (s) libello repetitam, tam falsam esse, vt falsius esse nihil possit, recitabo ipsa Bugenhagii verba e libello quodam, quem a. 1547. edidit, quemque summo suo merito inseruit Hortlederus operis sui *de bello Germanico* volumini posteriori. Implet ibi libellus hic caput LXXIII. in cuius

(q) Huius refutatio fabulae Arnoldinae exhibetur in *Diario theologico Loescheriano a. 1729. p. 239. sqq.* vbi tamen *p. 300. & 301.* mirum committit errorem, Melanchtonem fuisse credens Notarium publicum, non discernens scilicet a patre filium. Verum correxit postea ipsemet hunc errorem *p. 1285. seq.* Agit de hoc Melanchtonis filio, Notario Academiae, Schelhornius in *Vita Phil. Camerarii p. 19. sqq.*

(r) In *Vita Bugenhagii* Budissae a. 1731. edita, & quidem in *cap. XVI. p. 52. sqq.*

(s) Hic homo quam simplex & credulus fuerit, discas etiam licet ex illo eius libello, quem Hortlederus exhibet in eiusdem voluminis *lib. I. cap. 13.* Ac in ipso titulo huius libelli prodidit etiam ille suum erga Bugenhagium odium. Descripta est breuiter huius *Ratzenbergeri* Vita in Loescheriano *Diario Theologico a. 1735. p. 647. sq.*

cuius pagina 457. vir ille sanctissimus, postquam alia de se sparsa mendacia interiectis hisce verbis: Ich meyne, die Leute sind tolle worden mit ihren Lügen, protulisset, ita pergit: Andere griffen mich an mit einem unehrlichen Stücke, gleich als ob ich undanckbar bin dem gefangnen Churfürsten. Wie bald, sagen sie, konte D. Pomeranus seines Churfürsten vergessen? Das leugstu, Teufel, GOtt weiß wohl, daß du leugst. Ich bin darum angeredt. Da antwortete ich: Soll ichs von der Canzel geredet haben, so frage man die darum, die es gehöret haben. Es hat es niemand von mir gehöret, auch GOtt selbst nicht. Wolt ihr mit dieser Antwort nicht zufrieden seyn, so ists mir leid, daß ich GOtt zum Zeugen für euch gerufen habe. Legi & meretur subsequens pia meditatio de vtilitate ad se redundanti ex his calumniis. Caeterum omnino munificum fuisse Mauritium erga se, Melanchtonem, & Crucigerum, ipse quoque *pag.* 458. testatur libere & ingenue. Hanc Bugenhagii negationem grauissimam facti sibi tributi si inspexisset, qui nuper vna cum Reuer. *Groschio* edidit *Historiam Anti-Arnoldinam*, *Cyprianus*, Theologus nuper Gothanus celeberrimus, minus timide reiecisset hanc fabellam: Es ist kaum zu glauben, (t) inquiens, daß D. Pommer eine so große Schwäche seines iudicii geäusert habe. Rectius ac fortius, quem supra laudaui, (u) Gauhius: Es wird kein vernünftiger Mensch dem

(t) *Lib. I. cap. 4. §. 8. p. 74.* vbi & *Gauhium* scribit hanc fabulam refellere *conatum esse.*

(u) *P. 302.*

D. Bugenhagen zutrauen, daß er sich so weit habe vergehen können.

Satis dixisse mihi videor de hoc mendacio, satis monstrasse Bugenhagii innocentiam: quam & illustrat quaedam Melanchthonis illo ipso tempore ad Casp. Aquilam non solum suo, sed etiam (x) Bugenhagii nomine scripta (y) epistola. Scripserat videlicet Aquila ad Bugenhagium, id quod hoc ipso loco refertur, epistolam, docueratque, sibi narratum esse, Wittebergenses non modo abstinere precibus pro captiuo Electore, sed eas etiam prohibere. En manifestum respectum ad rumorem tum sparsum de concione Bugenhagii ab Arnoldo memorata! Audi nunc, quae respondet Melanchthon ad hanc calumniam, ita praefatus: *Nec spargere calumnias, nec eis credere re non explorata iustum est. Publice*, inquit, *&* *priuatim fiunt* (apud nos) *precationes pro captiuo Principe. Valde igitur te oro, ne credas iis, qui nos calumniis deformare student. Ego Principem capti-*

(x) Finitur enim epistola his verbis: *Haec scripsi meo & D. Pastoris* (hoc est, Bugenhagii) *& Crucigeri nomine, qui tibi salutem optant.* Cur non ipse Bugenhagius rescripserit Aquilae, non est difficile coniectura assequi. Aquila scilicet, qui fidem habuerat huic rumori, inclementius obiurgarat Bugenhagium: id quod dubitare non potest, qui nouit eius vehementiam & styli acerbitatem. Sapienter proinde non ipse, sed per Melanchtonem, ei respondebat Bugenhagius.

(y) Exstat inter *Epistolas selectiores Melanchthonis*, a Peucero 1565. editas, *p. 449. sqq.*

captiuum quotidianis lacrymis & precibus DEO commendo. Haec cum sint verissima, miratus sum vanitatem illius, quisquis fuit, qui mihi tantam crudelitatem tribuit, vt dixerit, me etiam precationem prohibere. Sed DEVM oro, vt ecclesiam suam seruet vbique, & nos (Wittebergenses theologos) *alioqui afflictissimos liberet a talibus calumniis.*

Desino nunc TE alloqui, Vir summe venerabilis, Fautor summo colende studio, piumque ac sincerum votum repeto, vt CHRISTI ecclesiae labores tui sint saluberrimi, vtque perdiu decurras, quod nunc DEI & REGIS iussu ingressus es, curriculum. Vale in DOMINO, meique beneuole memor esse, quaeso, perge. Gottingae d. x. Aug. cIↃ IↃCC XLVI.

IV.

HEBDOMAS (a) PAVLINA
HOC EST
EXPLICATIO
SEPTEM LOCORVM EPISTOLAE PAVLI AD CHRISTIANOS ROMAM MISSAE.

(a) Disputatio, Isenaci m. Apr. 1716. habita Respondente *Io. Andrea Pfefferkornio*, Cruciburgensi, Seminarii Theologici membro, Pastore postea aulico Ducis Sax. Isenacensis, deinde Pastore Ecclesiae Francofurtanae ad Moenum. D. G.

D. G.

PROOEMIVM.

Prorſus eximium diuinae ſapientiae monumentum eſt, quae principem inter noui ſacri codicis epiſtolas tenet locum, Epiſtola PAVLI apoſtoli non ad Senatum Populumque Romanum, ſed ad Chriſtianos Romae degentes, perſcripta. Aſt roſa haec coeleſtis tot quaſi ſpinis verborum circumdata eſt, vt inoffenſa manu eam contrectare interpretum licuerit nemini. Ac paſſim obviae ſunt veterum recentiorumque Theologorum querelae (a) de locis haud paucis huius Epiſtolae nimium quantum obſcuris. Agnoſcimus autem merito cum *Auguſtino* ſancti Spiritus hac in re ſapientiam, qui ad acuendam lectorum diligentiam ſacras doctrinas modo dilucidiſſime propoſuit, modo velo quaſi quodam obduxit, pia interpretum ſolertia remouendo. Quare, quod ſaepius fecimus in hoc Seminario, rurſus ἐϱευνᾷν τὰς γϱαφὰς libet, & via ab omnibus noſtrae eccleſiae Theologis probata tendere ad eruendam difficiliorum locorum ſententiam. Neque vero adducendis variis opinionibus lectorem noſtrum morabimur, memores, nos non commentarium ſcribere, ſed breuem exercitationem.

Caeterum quatuor potiſſimum loca, eademque diffuſiora, in hac Epiſtola ſe offerunt, in quibus

(a) Vid. *Eraſmi* Praefatio ad hanc Epiſtolam. *Origenis*, *Pererii*, & *Grotii* querelas commemorat *Heideggerus Enchir. Bibl. lib. III. cap. 8. §. 12*

quibus tot ferme ſunt ſententiarum diuortia, quot circa Tetractyn illam Pythagoricam. Vnde non immerito quatuor haec loca vocaueris *Tetractyn Paulinam.* Primus locus eſt Cap. VII, 15. ſeqq. quo *vtrum de ſe tanquam renato, an tanquam de irregenito adhuc loquatur apoſtolus,* Theologi certant & adhuc ſub iudice lis eſt. Alter Cap. VIII, 19. ſeqq. *de exſpectatione creaturae.* Tertius *toto capite nono*, cuius quidem veros ſenſus Diſſertatione ſex abhinc annis edita me in apricum produxiſſe, mihi perſuadeo. Quartus denique Cap. XI, 25. ſqq, *de ſpe Iudaeorum.*

Sunt praeterea breuiores huius Epiſtolae aliquot pericopae, obſcuritatis multum habentes & in varias opiniones diſtrahentes Theologos. Harum praecipuae mihi videntur hae (b) ſeptem, quarum mentem iam inueſtigare diuinis auſpiciis conſtitui, hoc vnum adhuc ptaefaturus ad lectores, vt, quando haec loca ab omnibus agnoſcuntur perobſcura, aequos ſe mihi praebeant, &, ſicubi erraſſe viſus fuero, ne φιλοκαινίαν obiiciant, ſed humanae naturae, erroribus obnoxiae, beneuole ignoſcentes edoceant meliora.

I.

(b) Edidit *Iacobus Laurentius*, doctor Eccleſiae Amſtelodamenſis, a. 1642. *Paulum* δυσνόητον, *hoc eſt*, *Explicationem locorum difficilium in epiſtolis Paulinis:* quo in libro duodeuiginti epiſtolae ad Romanos miſſae loca explicare annititur. Sed cum e ſeptem noſtris locis ne vnum quidem attingat, fruſtra hactenus eum conſului.

I.

Rom. I. 4.

Τȣ̃ ὁρισθέντος υἱȣ̃ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ Πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν, κ. τ. λ.

Cum haec verba non minus valeant ad confirmandam Chriſti Deitatem, quam ea, quae inferius Cap. IX. v. 5. leguntur, Sociniani (c) neruos intendunt omnes ad vim eorum infringendam. Vid. *Io. Crellius* & *Schlichtingius* in ſuis ad Rom. I. v. 4. Commentariis. Maxime illi contenderunt, τὸ ὁρίζειν nusquam occurrere ſenſu *declarandi manifeſtandique*, ſed ſemper ſignificare *conſtitutionem*, adeoque a Paulo indicari, *Chriſtum per reſurrectionem conſtitutum eſſe Filium Dei, hoc eſt, Regem ac Dominum ſummumque ſacerdotem.* Verum, vt taceam, vetuſtiſſimos Graecos (d) interpretes vocem ὁρισθέντος expoſuiſſe per ἀποδειχθέντος & ἀποφανισθέντος, ex ipſa indole vocis ὅρος id comprobat Eraſmus, Graecosque pariter ſcriptores τȣ̀ς ἔξω hac notione vocabulum ὁρίζειν vſurpaſſe, *Feſſelius* (e) docet atque *Alexander* (f) *Morus.* Idem *Feſſelius* caetera quo-

(c) His hoc quidem loco ſuppetias fert *Io. Clericus*, qui tamen in epiſtola tertia ſub *Liberii a S. Amore* nomine edita *p. 75.* ſcripſerat, τὸ ὁρίζειν *ſignificare demonſtrare, ita clare definire, vt nulla posſit eſſe ambiguitas, ita clare oſtendere, vt id in dubium reuocari non poſſit.*

(d) Vid. *Eraſmus* ad h. l. & *Feſſelius* Adv. S. lib. I. cap. 4. p. 38.

(e) loc. cit.

(f) Not. ad h. l. p. 103. ſq.

quoque nostri commatis verba suscepit explananda: qua in re etsi nihil veritati diuinae repugnans attulit, a vera tamen Apostoli sententia aberrasse mihi videtur. Primo enim τὸ ἐν δυνάμει non aliud significat, quam *potenter*, per Hebraismum quendam, Apostolo sui ipsius interprete *Coloss. I. 29.* vbi testatur. *Deum in se operari* ἐν δυνάμει, *valide ac potenter*, kräftiglich, vt recte *Lutherus* reddidit. Deinde τὸ κατὰ πνεῦμα opponitur τῷ κατὰ σάρκα, v. 3. Cum igitur hoc significet *secundum humanam naturam*, sequitur, vt illud sit *secundum diuinam* (g) *naturam*, quae verissime vocatur *Spiritus sanctitatis*, in humana natura per arctissimam ac personalem vnionem inhabitans. Dicit autem Apostolus πνεῦμα ἁγιωσύνης, non ἅγιον, partim ad indicandam huius hominis θεανθρώπȣ prae caeteris φιλανθρώποις ὑπεροχὴν, partim ad innuendam huius πνεύματος discrimen a *Spiritu sancto*, tertia Trinitatis persona. Denique quod additur ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, causam ostendit & fundamentum, ex quo pateat, Iesum esse Filium Dei verumque Messiam: adeoque haec verba connecti oportet cum voce ὁρισθέντος. Sentit enim Apostolus, ex eo, quod Christus, vti praedixerat, in vitam redierit, luce meridiana clarius esse, eum haud mentitum esse personam Messiae, sed omnino esse, vt Petri (h) verbis vtamur, τόν χριστόν, τὸν υἱὸν τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ζῶντος. Verba itaque Pauli hunc in

(g) Haec interpretatio etiam in mentem venit & placuit *Roëllio* Comment. in Epist. ad Ephes. p. 482.

(p) Matth. XVI. 16.

in modum reddi debent: *Iesus Christus secundum humanam naturam descendit a Dauide, at per resurrectionem suam a mortuis potenter* (quae enim maior potentia, quam vel resuscitare mortuos, vel mortuum resurgere?) *manifestum fecit, se secundum Spiritum in ipso* (mediante vnione personali) *habitantem esse filium Dei*, eiusdem cum Patre essentiae maiestatisque.

II.

Rom. I. 17.

Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν.

Iustitiam Dei hoc loco esse *iustitiam, quae Deum hominibus reconciliat*, (die vor GOtt gilt, vti vertit *Lutherus*,) dubitationem nullam habet. *Illa* igitur, inquit hoc loco Paulus, *reuelatur in Euangelio:* quod scil. sit iustitia non ἐξ ἔργων, (Rom. III. 20.) sed ἐκ πίστεως, quod alibi (Rom. III. 22.) vocatur διὰ πίστεως. Reuelatur autem haec vera coram DEO iustitia εἰς πίστιν, hoc est, eo fine, vt abiecta meritorum nostrorum fiducia per solam fidem redeamus cum Deo in gratiam. Τὸ εἰς eodem sensu recurrit infra Cap. XII, 2. & XV, 4. ac pluribus locis, quae obseruauit *Nortonus Knatchbullus* & *Hammondus*, quos video mihi plane suffragari in explicandis istis verbis: ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Haec enim quatuor verba quam torqueant interpretes, nemini ignotum est. Vide, quaeso, praeter tot Commentatores *Glassium in Philologia p. 1027. Witsium Miscell. sacr. T. II.*

II. Exercit. 23. §. 4. p. 736. Surenhusium in Βίβλῳ καταλλαγῆς *p. 435*, qui & p. 436. me docet, *Francisco Iunio* eandem placuisse interpretationem, quae mihi in mentem venit: quod viri eruditissimi suffragium mihi est pergratum. Sensus igitur Pauli iste est: *In Euangelio nobis reuelatur vera coram Deo iustitia, prouenientis scilicet* (non ex nostris operibus, sed) *ex fide, VT proinde credamus*, atque hoc modo iusti coram Deo fiamus. Addo locum maxime παράλληλον, quem nec Hammondus obseruauit nec Knatchbullus, *Act. XI. 18.* Καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωὴν, hoc est, vt rectissime παραφράζει Erasmus, *DEVS etiam gentibus concessit poenitentiam, VT vitam assequantur aeternam.*

III.

Rom. V. 7.

Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται, ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν.

Tantopere hic locus exercuit lectores vel doctissimos, vt quidam ausi sint criticum admouere cultellum, & verba quaedam tanquam ἐμβεβλημμένα resecare. Certe *Tanaquillus Faber lib. II. epist. crit. 12.* haec verba: ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, eiicit pro glossemate, eaque e margine in locum non suum translata esse contendit, addens, *Bochartum* quoque (at quantus vir!) suae subscripsisse sententiae. Verum partem sinceram a *Fabro* recidi, ac omnia sana esse, statim apparebit, vbi lucem his verbis

verbis affuderimus, quam quidem non video in *Thomae Godvvini* interpretatione, quae in ipſius *Moſe & Aarone* legitur *lib. I. cap. 9. §. 5.* Dico itaque, τὸν δίκαιον ac τὸν ἀγαθὸν praeſenti loco ita differre, vt prior vox ſit *abſoluta*, poſterior *relatiua*. Scilicet δίκαιος eſt homo per ſe virtute praeditus, ſed vti non iniuria, ſic nec beneficio alteri cognitus: ἀγαθὸς vero (i) eſt homo, qui multa in alterum contulit beneficia, mutuumque eius amorem ita incendit. Prioris vocabuli ſignificationem eam, quam attuli, vt probem, nemo a me exiget. De voce autem τοῦ ἀγαθοῦ cum res non ſit in aprico, age, afferamus exempla nulli dubitationi obnoxia. Matth. XX. 15. ἀγαθὸς *Lutherus* reddidit gütig, id eſt, wohlthätig, habetque conſentientes interpretes ad vnum omnes. Sic τὸ ἀγαθὸν deſignat *beneficium Rom.* XII, 21; & ad *Philem.* v. 15. Etiam apud *Siraciden cap.* XIV. 5. ἀγαθὸς eſt *beneficus*, qui & *cap.* XII. 1. & 7. *beneficia* vocat τὰ ἀγαθά. Ac τὴν ἀγαθωσύνην *Rom.* XV. 14. & 2. *Theſſal.* I. 11. *Paſor* recte exponit *de beneuolo affectu ad benefaciendum proximo.* Vid Suiceri *Theſaurus eccl. v.* ἀγαθωσύνη. Nec Hebraeis inſolens eſt haec dictio. Certe *Prov.* XXII. 9. *beneficus* ac benignus homo vocatur *bonus oculo*, vt recte interpretatus eſt Geierus. Ac *Ierem.* XXXIII. 11. DEVS vocatur טוב, hoc eſt, benignus, miſericors. Ibidem *v.* 14. memoratur

הטוב

(i) Eadem interpretatio eſt *Knatchbulli*, *Hammondi*, & *Clerici*; quanquam priores duo, quod dicunt, non probant.

הדבר הטוב, *verbum bonum*, id eſt, vox beniгniſſima, quam edidit DEVS ad populum ſuum. Quid? Latini quoque hoc loquendi genere vtuntur. Audiamus *Phaedrum* lib. III. fab. 15. v. 17.

Facit parentes BONITAS, non neceſſitas.

Item *P. Syrum*:

In nullum auarus BONVS eſt, in ſe peſſimus.

Quid? Ipſe *Cicero* idem nos docet, cum *lib. II. de nat. deor.* ſcribit ita: *Iupiter a maioribus noſtris Optimus Maximus dictus eſt, & quidem ante OPTIMVS, ID EST, BENEFICENTISSIMVS, quam Maximus, quia maius eſt, certeque gratius, prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere.* Sed plura accumulabo exempla e Latinis auctoribus, quia video, philologos huius notionis admodum fuiſſe incurioſos. Cicero igitur *lib. III. de officiis cap. 6.* tanquam ſynonyma coniungit *beneficentiam, liberalitatem, bonitatem*: & *lib. I. cap. 16.* quam virtutem prius vocarat *benignitatem*, eam paulo poſt appellat *bonitatem*. Idem *lib. II. cap. 18*: *Gratiſſima eſt liberalitas*, inquit, *eoque eam ſtudioſius plerique laudant, quod ſummi cuiusque BONITAS commune eſt perfugium omnibus.* Idem in *Oratione pro Ligario*, capite vltimo: *Nihil eſt tam populare, quam BONITAS. - - Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalute hominibus danda.* Pari modo Phaedrus *lib. IV. fab. 25. v. 17:*

- - *Olim ſenio debilem*
Fruſtra adiuuare BONITAS videtur tua,
Cum iam deſierit eſſe BENEFICIVM vtile.

Idem Curtii verbis ineſt ſenſus *lib. VI. cap. 5: Hoc vno torqueor, quod praecipiti ſenectute diu frui tua BONITATE non poſſum.* Sic & Horatius *lib. I. ſat. 2. v. 51.* pro ſynonymis coniungit tres iſtas voces, *munificus*, *BONVS*, *atque benignus.* Ac Virgilius *AEn.* I. 99. *Aceſten* vocat *bonum*, hoc eſt, vt adiecta hiſtoria exponi iubet expoſuitque Minellius, *beneficum.* Idem libri eiusdem verſu 738. Iunonem appellat *bonam*, id eſt, interprete Taubmanno, *propitiam.* Nec praetermittendus Cornelius Nepos eſt, qui Miltiadem *cap.* VIII. teſtatur *eam*, quam habebat, *poteſtatem bonitate retinuiſſe*, hoc eſt, benigno & ciuium amantiſſimo imperandi genere. Sic & Curtius *lib.* VI. 8. 22. *bonitatem* regis opponit *crudelitati.* Ac Eutropius *lib.* VII. 13. 5. ſcribit, fuiſſe Veſpaſianum *placidiſſimae bonitatis, vt qui maieſtatis quoque contra ſe reos non facile puniret vltra exilii poenam.* Qui & de Traiano *lib.* VIII. 2. 29: *Adeo*, inquit, *in eo gloria bonitatis obtinuit*, *vt*, caetera.

Habemus igitur hunc ſenſum Pauli, *neminem oppetere mortem pro homine quantumuis pio bonoque, ſed a quo tamen nihil boni in ſe profectum ſit; illud autem contingere poſſe, vt homo pro eo moriatur, quem ob accepta beneficia tenerrime amet;* (ſic notae ſunt hiſtoriae de ſeruis pro domino,

mino, de vxoribus pro marito, mortem subeuntibus:) *at nos homines a Deo impensissime amatos esse, cum tamen nec essemus δίκαιοι, sed* (v, 8.) ἁμαρτωλοί & (v. 6.) ἀσεβεῖς: *neque* ἀγαθοὶ, *quippe cum Deo* (ne vllius quidem beneficii capaci) *non solum nihil boni praestiterimus, sed, quantum quidem in nobis fuit, maleficiis eum affecerimus, tanquam hostes*, v. 10. Ex quo Apostolus colligi vult summum ac plane sine exemplo amorem, quo Deus in nos feratur.

IV.

Rom. VI. 7.

Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας.

Hammondus & Anonymus Germanus *lib. de medio statu animae cap. V. §. 8.* & *9. p. 111.* exponunt hunc locum de morte spirituali. Sed haec interpretatio a scopo Apostoli aliena est. Paucis dicam, quod sentio. *Iustus* dicitur homo vel positiue vel remotiue. Positiue iustus est, qui opera Deo grata tanquam fidei suae fructus largiter profert, peccatisque summa cura abstinet. Talis viuat necesse est. Contra remotiue iustus est, qui nil mali perpetrat, etsi nec boni quicquam agat. Tales sunt homines demortui, qui cum peccare amplius non possint, hoc sensu iusti vocantur, quod non sint iniusti iniustasque haud edant actiones. Conf. *Psal.* VI. 6. & *Iesaiae* XXXVIII. 18. Posteriore hoc sensu capi verba apostoli iubet tota orationis series, eo-

rumque adeo hic (l) ſenſus eſt: *Qui mortuus eſt, is non amplius peccat.* Addo, ſermoni Paulino aliquid Hebraismi ſubeſſe: quam in rem vid. celeb. *Danzius interpr.* §. 174. *fin. p.* 273. *not. b.* Eodem ſenſu accipiendum eſt peruulgatum illud: *Quilibet habetur pro bono*, (id eſt, pro *non malo*,) *donec probetur contrarium.*

V.

Rom. X. 6. 7.

Μὴ εἴπῃς ἐν καρδίᾳ σȣ· Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν ȣ̓ρανόν; τȣ͂τ᾽ ἔςι Χριςὸν καταγαγεῖν. Ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τȣ͂τ᾽ ἔςι Χριςὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.

Hic primum illud ſtatuendum eſt, neque literalem neque myſticum dicti Moſaici (*Deut.* XXX.) ſenſum a Paulo proponi, ſed, vti verba Moſis prouerbii ſpeciem habent, ita ab Apoſtolo liberrime & adagii inſtar ad propoſitum ſuum accommodari, nulla ſcopi Moſaici ratione habita: id quod poſt *Lutherum* & *Flacium* agnoſcit *Glaſſius*, vir ſacrae philologiae conſultiſſimus, *Philol. S. p.* 2060. 2116. & 2122. Deinde formulam illam τȣ͂τ᾽ ἔςι, accipiamus ſenſu maxime obuio, reddamusque: *hoc eſt*, ſubiuncto commate. Porro recordemur, ſolere Graecos pro Gerundiis Latinorum, finem indicantibus, vſurpare infinitiuum, ipſis quoque Latinis iſtum dicendi morem inter-

(l) Hanc interpretationem etiam *Clericus* ad h. l. proponit & approbat.

interdum (m) imitantibus: id quod vel ex illo (n) *Virgilii* liquet:

--- --- Conuenimus *ambo,*
Tu calamos inflare *leues*, *ego* dicere *versus.*

Ac proinde verba Pauli ita reddemus: *Quis in coelum adscendet, hoc est*, (siue *scilicet*) *ad Christum inde deducendum*, siue *vt Christum inde deducat? Quis descendet ad inferos, hoc est*, (siue *scilicet*) *ad Christum a morte reuocandum?* Porro *Jo dicere in corde suo* stylo Biblico significat cogitationes pessimas, quas ore expromere pudor vetat & honestas. Hinc cum Paulus inquit: *Noli dicere in corde tuo*, non aliud vult, quam vt homo sibi caueat ab impiis iis cogitationibus, vt secum ita quaerat: *Quis Christum de coelo deducet vel a morte reuocabit?* Denique illud postulo vt mihi concedatur, quaestionem affirmatiuam exponendam esse per propositionem negatiuam, adeoque allatorum ab Apostolo impii hominis verborum hanc esse sententiam: *Nemo adscendet in coelum, & Christum inde deducet in mundum: nec quisquam in profundum descendet Christum excitaturus ab inferis.* Quae verba sunt hominis ἐμπαίκτου, ἀπιστίᾳ laborantis, & ita secum cogitantis: *Profecto falsum est, quod Apostoli tradunt, Christum e coelo venisse, eundemque a morte resurrexisse.* Atque ita tandem per gradus quasi quosdam ad veram Pauli mentem peruenimus, quae

(m) Vid. *Vechneri* Hellenolexiae lib. I. cap. 28.
(n) Eclog. V. 1. 2.

huc redit: *Noli pro falsa doctrina habere doctrinam Apostolorum, qua docent, & Messiam siue Christum e coelo in mundum venisse, & eundem morte deuicta in vitam rediisse: sed potius duos hosce articulos fidei, qui sunt religionis Christianae fundamenta, firmo assensu amplexare.* Nam (en ipsum Paulum, sua sensa v. 9. dilucidius repetentem!) *si credideris, Iesum esse verum illum Messiam, adeoque e sinu Patris ad nos descendisse, eundemque resurrexisse a morte, saluus eris.*

VI.

Rom. XI. 15.

Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κόσμου, τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν.

Ἀποβολὴ significat *reiectionem*: id quod non solum patet ex opposita voce προσλήψεως, (die Annehmung,) sed & ex 1. *Timoth.* IV. 4, vbi ἀπόβλητος significat *reiectaneum.* Porro κόσμος praesenti loco per synecdochen totius pro parte maiori sunt *ethnici*: id quod manifestum facit versus 12. vbi κόσμος explicatur & declaratur per ἔθνη. Praeterea cum ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν & ἡ πρόσληψις sibi respondeant, concedendum vtique est, etiam ad posteriorem vocem (πρόσληψις) subaudiri oportere αὐτῶν, scilicet Iudaeorum. Denique *resurgere a morte* Apostolus noster alibi quoque dicit eos, qui expergiscentes e spirituali peccatorum somno nouam eamque spiritualem vitam viuere coeperunt. Sic hac ipsa in episto-

la, *cap.* VI. 13. Christianos vocat ἐκ νεκρῶν ζῶντας, vt alia loca, e.g. *Ephes.* II. 5. silentio praetermittam. Iam locum nostrum hoc modo reddendum censeo: Denn wenn die Verwerfung der Jüden denen Heyden gereichet ist zu ihrer (Bekehrung und) Versöhnung mit GOtt: was würde (vel wird) wohl ihre (der Jüden) Wiederaufnahme anders seyn, als eine rechte Auferstehung der todten? Significatur his verbis simul, miraculi ac prodigii simile visum iri, cum Iudaei, de quorum ad Christianam religionem reditu vulgo desperatum est, eam tandem amplexabuntur, nec minus mirum hoc fore, quam si mortui resurgant e sepulcris suis. Videtur etiam Paulus respexisse visionem Ezechieli factam *cap.* XVII, quae pleniori sensu de spirituali sensu quo minus exponatur, nil obstare video.

VII.

Rom. XVI. 25. 26. 27.

Haec verba, sua quippe luce radiantia, pluribus explanare nolo. Caeterum cum disputetur a doctioribus, quo iure haec verba locum hunc teneant, hic paulisper sistamus gradum. *Knatchbullus* tres hosce versus fini capitis decimi quarti annecti iubet. Ac video, consentientes eum habere non solum *Theophylactum* & *Erasmum*, verum etiam, qui acriter pro hac sententia propugnat, *Millium*. Mihi aliquando visi sunt optime collocari post *capitis* XV. *versum* 13, vbi connexio se offert & cum antecedentibus &

cum ſubſequentibus. Ac ſane & *Theodoro Bezae* hanc coniecturam occurriſſe probatamque eſſe, e *maioribus* ipſius ad N. T. *annotationibus* didici. Verum omnibus rite perpenſis ad extremum ſtatui, tres iſtos verſus ſuo loco haudquaquam mouendos eſſe. Scilicet cum apoſtolus hanc epiſtolam non ipſe exararit calamo, ſed dictitarit excipiente (*Rom.* XVI. 22.) *Tertio*, hinc crediderim, apoſtolum, poſt finitam *verſu* 24. ſcriptionem *Tertii*, ſua ipſum manu adieciſſe tres illos verſus: quem in modum & ſua manu adiecit duos poſtremos verſus poſteriori ad Theſſalonicenſes epiſtolae, vt ſcilicet de vero auctore epiſtolae omnem dubitationem eximeret αὐτογραφίᾳ. Hoc admiſſo, cura quaerendi trium iſtorum verſuum cum praecedentibus connexionem euaneſcit, omnisque tollitur dubitatio.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

V.
HEBDOMAS (a) PETRINA
HOC EST
EXPLICATIO SEPTEM PETRI APOSTOLI LOCORVM.

(a) Diſputatio 1743. d. 26. Ianuarii habita, Reſpondente *Henr. Conr. Zach. Roſenhagenio*, S. Theol. Cultore, nunc Bilanae Eccleſiae Paſtore.

D. G.

Δυσνόητα qui nonnulla Paulinis inesse in epistolis (a) testatus est, PETRVS, nec ipse in suis nulla Christianae posteritati reliquit *δυσνόητα*. Horum nunc septem contemplabimur, quae vt iusta interpretatione illustremus, *δώη* (b) *ἡμῖν ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας.*

I.

1. *PETRI V. 13.*

Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου.

Tam intolerabilis visus est nonnullis hic locus, vt, eum esse a librariis corruptum, credentes ita rescribendum censerent: *Ἀσπάζονται --- οἱ --- συνεκλεκτοί.* Inter hos Lutherus est, ita ista verba reddens: Es grüßen euch, die samt euch auch auserwehlet sind zu (c) Babylonia. Verum cum nullo in MS. codice quicquam sit diuersitatis, iniustam esse hanc violentiam, merito putamus: praesertim cum infra simus cognituri, verbis

(a) *2. Petri III. 16.*

(b) *Eph. I. 17. 18.*

(c) Caue corrigas Lutherum & Babylon rescribas. Nam non solum regio, sed etiam vrbs eius princeps, nominabatur subinde *Babylonia*. Obseruatu praecipue dignum, quod eodem loco Curtius *V. 1. 44. & 45.* & vrbem & regionem appellat *Babyloniam*.

bis Graecis, quae omni tempore omnibus fuere in codicibus, ſenſum tribui facillimum. Eadem tamen, quae Luthero, mens fuit plerisque omnibus, illud certe ei aſſentientibus, loqui apoſtolum de *Babylonica eccleſia.* Iam vetus ille interpres ita: *Salutat vos eccleſia, quae eſt in Babylonia coëlecta.* Quam verſionem & ſuam fecit (d) Hieronymus. Ac ſecuti poſtea hoc exemplum ſunt (e) Eraſmus, Beza, Hammondus, Ven. Langius, Zeltnerus, (f) Schoetgenius, alii.

II.

Nos haud perfunctorie hunc locum conſideraturi initio conſtituemus, quae vrbs *Babylon* hic ſignificetur. Duas (g) enim vetus terrarum orbis habuit Babylones, alteram clariſſimam illam Chaldaeorum regiam, alteram caſtellum quoddam AEgypti a Babyloniis conditum. Poſteriorem hic nominari, nemo crediturus fuiſſe videtur, niſi fama fuiſſet vulgata, prioris Babylonis Petri aetate nihil ſuperfuiſſe, certe nullos prorſus ei fuiſſe incolas. Hanc certe, cur ita ſentiat, cauſam affert (h) Clericus, ducem ſe ſequi profeſſus

(d) In libro *de ſcript. eccl. cap. 8.*

(e) In *Paraphraſi.*

(f) Ad Boſii librum *de ellipſi Graeca p. 64.*

(g) Vrbs *Seleucia* etiam cognominata fuit *Babylonia:* ſed ſubſtantiuum nomen *Babyloniae* vel *Babylonis* nunquam accepit. Quare ne potuit quidem hanc ſignificare Petrus.

(h) In *Hiſt. eccl. ſaec. I. p. 413.* & in annot. ad Hammondi *Praemonitionem in hanc Petri epiſtolam.*

Eodem

fessus Pearsonium. Ac est Glassius (i) quoque noster hac in opinione, itemque (k) Schilterus. Sed facile coargui potest hic error. Testis enim est (l) Sttabo, qui eodem, quo Petrus, tempore vixit, & Diodorus (m) Siculus, qui perpaulo ante, ac testis hi sunt αὐτόπται, Babylonem Chaldaeam sua aetate adhuc *habitatam fuisse*, etsi *exigua ex parte*. Plinius (n) idem testatur, cum, *durasse* sua aetate *Babylone templum Iouis Beli*, scribit, etsi vrbs ipsa *redierit in* (o) *solitudinem*. Ac Pliniano illo aeuo a Traiano *Babylonem* aeque, vt Seleuciam & Ctesiphontem, captam fuisse, cum Eutropius (p) docet, satis manifestum facit, eam illo adhuc tempore habitatam

Eodem argumento se permotum ita sentire, fatetur etiam Bon. Corn. Bertramus in *Lucubr. Franktal. cap. 9.*

(i) *Philol. sacrae lib. IV. tract. III. obs. 19.* vbi & Costerum Pontificium ita docet sensisse.

(k) *Lib. I de libert. Eccl. Germ. cap 10. § 9* Caeterum de hac AEgyptia Babylone plura nosse qui cupit, inspiciat Menagii *Commentarium ad Diog. Laertii lib. IX. § 49* & Liebii librum de nummis *Perdam Babylonis nomen* inscriptis *§. 47. sqq.*

(l) *Lib. XV.*

(m) *Lib. II. cap. 9.*

(n) *Lib. VI. cap 26.*

(o) Significat hic *solitudo* infrequentiam & paucitatem hominum: quo sensu, Alexandrum *in Asia solitudinem fecisse vincendo*, scribit Curtius *IX. 2. 24.* Vocabulum etiam ἔρημος subinde eo sensu vsurpatur in sacro codice, e. g. *Matth. III. 1.* Vid. Rechenbergii Diss. *de voce* ἔρημος.

(p) *Lib. VIII. 2. 7.*

tatam fuiſſe, etſi nihil eſſet ad veterem illam Babylonem. Et quam locuples teſtis Ioſephus eſt, ſuo tempore *Babylonem habitaſſe magnam Iudaeorum multitudinem*, diſerte (q) ſcribens! Quae Iudaeorum multitudo Babylonica incitamento quin fuerit Petro, vt, cum iuſſus eſſet ad propagandam Chriſtianam religionem vniuerſum peragrare orbem, etiam Babylonem peteret, dubitari vix poteſt. Iure proinde meritoque, hanc Babylonem indicari a Petro, cenſuerunt Eraſmus, Beza, Druſius, Iac. Cappellus, (r) Suicerus, (s) Witſius, (t) Fabricius, (tt) Deylingius, Ven. Langius, &, qui certis pro hac ſententia pugnarunt argumentis, Iacobus (u) & (x) Samuel Basnagii. Relinquamus iam ſuam ſententiam Papiae, viro (y) σφόδρα σμικρῷ τὸν νοῦν, quem Euſebius (z) refert exiſtimaſſe, *Romam* a Petro τροπι-

(q) *Lib. XV. cap. 2.* Vid. & *lib. XVIII. cap. 9. §. 1.*

(r) In *Theſ. eccl. T. I. p. 613.* & *T. II. p. 914.*

(s) *T. II. Miſcell. ſacr. Exerc. VIII. §. 28. p. 222.*

(t) *Biblioth. Graecae lib. IV. cap. 5. §. 20. p. 165.* vbi & Scaligerum, Salmaſium, ac Petrum de Marca adducit idem ſentientes. Ac Salmaſius quidem ita in libro *de caeſarie & coma p. 495*: *Ab Antiochia Babylonem migrauit, vbi etiam infinita fuit Iudaeorum multitudo.*

(tt) *Obſ. ſacr. P. III. cap. 50. §. 4. & 5.*

(u) *Hiſt. Iudaeorum lib. II. cap. 22. §. 16. p. 626. ſqq.*

(x) *Annal.* ad a. 46. *§. 26. ſqq.*

(y) Ita de eo iudicat Euſebius *Hiſt. eccl. lib. III. cap. 39.* ac ſimul iudicium hoc ſuum pluribus confirmat exemplis.

(z) *Hiſt. eccl. lib. II. cap. 15.* vbi non *appellat*, ſed *appellet*, ſcribere debebat interpres Valeſius.

πικώτερον, hoc eſt, *figurate*, appellari *Babylonem.* Cui ſententiae cum non adiiciat ſuum calculum Euſebius, tamen Hieronymus (a) ob oculos habens Euſebianum hunc locum pro ſuo in allegorias amore fidenter Papiae aſſentitur. Cuius auctoritati ſuccumbentes Eccleſiae Patres permultos cum idem ſentire videret Valeſius, tanta id opinionis comprobat fiducia, vt impudentiam diſſentientibus impudenter (b) obiiciat. Nec vero mirum eſt, Papicolas id pro certo habere, cum alias fateri ipſis neceſſe ſit, Petrum eo tempore non fuiſſe Papam Romanum. Idcirco non ſolum Baronius ac Bellarminus, duo illa cardinalia fulcra Romanae eccleſiae, acerrime propugnant pro hac ſententia, ſed Caniſius plane ſymbolicam facere auſus eſt, inſerens eam *Catechiſmo* (c) ſuo *Catholico.* Illud magis mirum, inter Proteſtantes quoque fuiſſe (d) nonnullos, qui ſententiae huic ſubſcriberent. Quid enim, quaeſo, permouere Petrum potuit, vt praeter epiſtolicum morem Romae inderet nomen aenigmaticum? Quae res cogit nos (e) figuratam atque inuſitatam Petro hic tribuere dictionem? III.

(a) In *Catal. ſcript. eccl. cap. 8.*

(b) In annot. ad Euſebii *lib. II. cap. 15.*

(c) *Pag. 37.*

(d) Hi quidem perpauci ſunt. Nobis quidem nemo occurrit praeter Hammondum, Grotium, Horneium *Comp. Hiſt. eccl. lib. I. cap. 8. p. 50.* & in Praef. ad ſuam *Expoſitionem literalem prioris Epiſtolae Petri;* & Millium *Prolegom. ad N. T.* §. *59.*

(e) Iuſtis euincit argumentis in annotatione ſua ad hunc Petri

III.

Similem errarunt errorem, qui, quem *filium suum* hic loci nominauit Petrus, eum non naturalem eius fuisse filium, sed spiritualem, arbitrati sunt. An vero mirum videri debebat, de filio suo loqui Petrum, quem in matrimonio vixisse constat? Cur igitur non manetur in sensu verbi ordinario inque recepto loquendi vsu? Et quam praeceps sit illorum interpretum iudicium, inde quoque elucet, quod ab apostolis filii spirituales τέκνα vocari solent vel τεκνία, τέκνα item ἐν πίστει vel κατὰ πίστιν, at υἱοὶ nunquam. Quo igitur, quaeso, iure tribuitur Petro haec nouitas siue (vt recentioris fabricae vocabulo vtamur,) singularitas? Nonne saltim υἱὸν ἐν Χριστῷ vocaturus erat, si de filio, cuius spiritualis erat pater, loqui vellet? Maneat nunc, Petrum de filio sibi ex coniuge nato loqui: quem facile ex hoc ipso loco cognoscimus fuisse socium paternorum itinerum & simul συνεργὸν ἐν Χριστῷ.

IV.

Nunc etiam plana nobis redditur via ad agnoscendam τὴν συνεκλεκτήν. Δυσνόητον vero & hoc nomen fecerunt interpretes, nescio quo fato in eam sententiam conspirantes, nihil hoc in versu scripsisse Petrum nisi ἐν αἰνίγματι. Quare

Petri locum Erasmus, non nisi veram Babylonem ab eo hic nominari: itemque Sam. Basnagius indicato loco, ac e nostratibus Calouius.

re *ecclesiam* ab eo nominari putant συνεκλεκτὴν, ſupponentes, verbum ἐκκλησία omitti poſſe. Quonam autem, quaeſo, id ſibi perſuaſerunt argumento? An vllum huius ellipſeos repererunt exemplum? Nullum. An praecedit verbum ἐκκλησία, vt commode huc poſſit retrahi? Non praecedit. Imo tota haec ſatis longa epiſtola ne ſemel quidem habet id verbi. Nec altera in epiſtola Petrus vsquam vocabulo ἐκκλησίας vſus eſt. Patiamur itaque Petrum loqui more aliorum hominum: &, quemadmodum Ioannes (g) Cyriam appellauit ἐκλεκτὴν, itemque ſororem eius, ita nec Petrum dubitemus de muliere quapiam Chriſtiana loqui, eamque eodem ſenſu nominare συνεκλεκτὴν, quo primi capitis primo in verſu omnes, ad quos ſcribebat, Chriſtianos ἐκλεκτοὺς appellauit. Συνεκλεκτὴ igitur vocatur, quae vna cum aliis Iudaeis perducta fuerat ad religionem Chriſtianam.

V.

Quid vero, inquies, eſt hoc mulieris? Et quo iure ſalutationem eius defert Petrus ad illos, quibus dicabat hanc epiſtolam, Chriſtianos? Ad vtrumque in promtu eſt reſponſio. Primum igitur nihil facilius eſt ad credendum, quam Petrum,

(g) In *ſecunda epiſtola v. 1. & 19.* Mulierem illam, ad quam data eſt haec epiſtola, proprium nomen *Cyriae* geſſiſſe, ſatis demonſtraſſe non ſolum mihi, ſed viris me doctioribus, videor in *Poeciles Tomo II. p. 421. ſqq.*

trum, cum filium itineris ſui ſacri comitem nominaſſet, etiam mulierem nominare ſecum peregrinantem. Non enim alia cauſa ſubeſſe poteſt, cur & filii ſui & mulieris huius ſalutationem illarum regionum Chriſtianis renuntiet Petrus, quam quod vna cum ipſo inter eos verſati eſſent. Iam vero aliam, quam vel vxorem vel filiam, ſecum duxiſſe Petrum, prorſus incredibile eſt. Ac duxiſſe ſecum Petrum in apoſtolicis itineribus vxorem, iam docuit nos (h) Paulus. Ne autem noſtrum locum de filia Petri capiamus, plura prohibent. Videtur namque tum hanc mulierem vocaturus fuiſſe *filiam ſuam*, vti *filium ſuum* appellauit Marcum. Deinde prius nominaturus erat filium, quam filiam. Denique filiam non potuiſſet nominare ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴν, hoc eſt, *in vrbe Babylone vna cum aliis conuerſam*, quae, ſi modo filiam habuit Petrus, haud dubie diu antea, quam venit pater Babylonem, Chriſtiana fuit. Relinquitur igitur, vt ſtatuamus, loqui apoſtolum de vxore (i) ſua, Babylone natam, ac tum, cum ibi verſaretur Petrus, vna cum aliis vtriusque ſexus Iudaeis in eccleſiam CHRISTI traducta. Hoc enim volunt ſibi haec verba:

ἡ

(h) *1. Cor. IX. 5.*

(i) Vxorem ſuam a Petro hic ſignificari, nemo, quod nos quidem ſciamus, animaduertit praeter Ioannem Millium. Quod ſi quis dixerit, ſecundae Petri vxoris nullam fieri mentionem in ſcriptis veterum, eum cogitare iubemus, nullum vetuſtum ſcriptorem de vita Petri ad nos perueniſſe, adeoque hoc ſilentium aduerſus nos vrgeri imperitiſſime.

ἡ ἐν Βαβυλῶνι (k) συνεκλεκτή. Loquitur enim, id quod etiam in alterius epiſtolae *cap. I. 10.* fecit, de electione ad gratiam, hoc eſt, de conuerſione ad religionem Chriſtianam: in qua qui perſeuerat, electus etiam eſt ad gloriam ſiue aeternam beatitudinem. Quis nunc non videat, Petrum hanc νεόφυτον, ſingulari haud dubie pietate & prudentia conſpicuam, duxiſſe in matrimonium, comitemque poſtea habuiſſe ſacrorum itinerum? Ex quo ſequitur, priorem vxorem, (cuius *Lucae IV. 38.* mentio,) e qua ſuſceperat Marcum, fuiſſe exſtinctam.

VI.

Supereſt aliquid, quod ex hoc Petri loco diſcamus. Primum igitur cognoſcimus hinc, quod aliunde non conſtat, Babylone etiam fuiſſe Petrum, magnamque ibi meſſuiſſe CHRISTO meſſem. Deinde & hoc inde apparet, Petrum invitante ipſa locorum propinquitate e Babylonia tranſiſſe in Pontum, Cappadociam, caeteraſque in epiſtolae exordio nominatas regiones, ac verſantibus ibi Iudaeis (l) ſuum monſtraſſe Meſſiam, plurimoſque eorum in caſtra CHRISTI traduxiſſe.

(k) Errant manifeſto, qui ex hoc loco colligunt, Babylone ſcriptam eſſe hanc epiſtolam: id quod & Salmaſius fecit in libro *de caeſarie virorum & mulierum coma p. 495.*

(l) Idem iam vidit Erasmus in annotatione ad hunc locum.

xiſſe. Qua occaſione cum harum terrarum Chriſtiani cognouiſſent vxoris Petri pietatem, ſapientiam & prudentiam, & cum ea ipſorum vxores (quis dubitet?) familiaritatem contraxiſſent, quid miremur, ſalutationem eius ad illarum regionum recentes Chriſtianos Chriſtianasque adiunxiſſe Petrum ſuae epiſtolae? Imo iure colligebat, ſuae vxoris ſalutationem ipſis futuram eſſe periucundam! Quae eadem cauſa erat, cur & filii ſui ſalutationem, quippe nuper ſatis cogniti & (quod valde probabile eſt,) ſtrenui paternae in conuertendis ad CHRISTVM Iudaeis induſtriae aemuli, iisdem nuntiaret, moleſte etiam laturis, ſi & ab vxore & a filio Petri, nouis ſuis, & in CHRISTO quidem, amicis, manſiſſent inſalutati. Facile item credimus, non diu poſtea, quam his terris exceſſiſſet, Petrum has literas dediſſe ad nouos hosce Chriſtianos, vt ſcilicet eorum erga CHRISTVM fidem corroboraret: id quod etiam a Paulo factum diligenter & ſtudioſe fuiſſe, nemo ignorat.

II.

1. PETRI IV. 15.

ἀλλοτριοεπίσκοπος.

Erasmus & Beza curioſitatem hic notari putant (m) eorum, qui *aliena curant*, vt ait Comicus, *eaque, nihil quae ad ſe attinent*. Poſterior, Bezam dico, poterat errorem ſuum agnoſcere, &

(m) Eadem in ſententia Tertullianus eſt, cui in *Scorp. cap. 12.* ἀλλοτριοεπίσκοπος eſt *alieni ſpeculator*.

& cum Syro interprete fateri, se, quid sibi id verbi velit, ignorare. Obseruat namque, Petrum de iis loqui criminibus. quae affici solent poena ciuili eaque grauissima; at *curiositatem* non solere poenis vindicari. Hammondus tamen hoc argumento permotus istam interpretationem repudiat: quanquam nec ipse meliorem incidit in sententiam. Nam reprehendi ab apostolo eos iudicat, qui zelotas se praebeant seditiosos, & imperium ethnicorum detrectantes pacem perturbent publicam. Verum, Gtaeco id significari vocabulo, cum plane non appareat, merito infelicibus Hammondi interpretationibus, quae permultae sunt, hanc adscribimus sociam. Clericus, ἀλλοτϱιοπϱαγμοσύνην, quam Plato vocat, hic vituperari, credit, hoc est, eorum vitium, qui aliena munera in rep. inuadunt. Verum πϱάγμων quantum ab ἐπίσκοπος distat, tanrum a veritate recedit haec opinio. Quis enim non videt, id non cadere in Christianos, qui tum nullius erant in rep. numeri? Nec velim detur Petro interpres Cicero, *peregrini & incolae officium esse*, (n) iudicans, *nihil praeter suum negotium agere*, *nihil de alieno anquirere*, *minimeque in aliena esse rep. curiosum*. Nam nec hoc puniri solet, nisi forte talis curiositas erumpat in seditiosa facta.

Nos simplicitate duce facilius veram Petri sententiam inuestigabimus. Ἀλλότϱιοι scilicet vo-

(n) *Lib. I de offic. cap. 34.*

cantur (o) ii, quos pro *suis* habere non poterant Christiani, quippe *alienos* a sacra sua societate, hoc est, ethnicos. Hoc sensu τῶν ἀλλοτρίων κατηγορεῖν, *aliarum religionum cultores vituperare*, dixit Iosephus *lib. II. contra Apionem cap.* 33. Eodemque modo ἀλλότρια dicuntur ea, quae fiunt ab ethnicis religioni suae convenienter. Ἐπίσκοπος autem quis initio statim Ecclesiae vocatus fuerit, nemo nescit. Illud videlicet erat *episcopi* negotium, vt Christianas traderet doctrinas, erroresque pariter ac mores religioni Christianae aduersos forti zelo prosequererur. Habemus nunc, quid sit Petrinus ἀλλοτριοεπίσκοπος. Eos scilicet hoc titulo describit apostolus, qui *episcopi* esse (*) affectabant *ethnicorum*, religionis ethnicae errores audientibus ipsis insectantes & exagitantes, eorumque Deos Deasque & sacra omnia mordaci sermone exponentes ludibrio. Hoc igitur ad inconsideratum DEOque minime gratum zelum pertinere, docet Petrus, quippe cum ita irritentur ctabrones, probabilisque ethnicis hoc pacto suppeditetur causa, Christianos

(o) Sic *Matth. XVII.* 25. οἱ ἀλλότριοι sunt, qui non sunt de domo & familia. Paulus 1. *Cor. V.* 12. τοὺς ἔξω vocat, opponitque τοῖς ἔσω, hoc est, *domesticis*.

(*) Adeo placebat haec mea interpretatio Theologo Halensi, *Ioachimo Langio*, vt, cum illo ipso tempore, quo *Disputationem* hanc a me acceperat, *Biblia* sua *parenthetica* ederet, huic Petri loco adscriberet meam interpretationem, eiusque rei me certiorem faceret.

ſtianos vexandi acerbiſſime, & curſum diuinae religionis ſufflaminandi. Eodem modo Chriſtianos vetat Paulus τοὺς ἔξω (hoc eſt ethnicos, quos etiam τοὺς ἀλλοτρίους vocare potuiſſet,) κρίνειν (p) 1. *Cor. V.* 12: quod praeceptum grauiſſimis verbis repetit *Tit. III.* 2. & alibi. Sic igitur & Petrus vult, ethnicis, quorum ſub imperio viuant, non exprobrari debere a Chriſtianis errores ſuos, ſed ſanctae prudentiae eſſe, tacere & in ſinu ſuo gaudere, liberam ſibi permitti ſuae religionis profeſſionem. Quod ſi quis dixerit, taceri tum tamen non poſſe, cum ethnici magiſtratus ex ipſis quaerant, quibus doctrinis conſtet Chriſtiana religio; etiam, hoc ſi accidat, quid faciendum ſit Chriſtiano homini, praeſcribit Petrus 1. *epiſt. III.* 15. Iubet ſcilicet eos indicare ingenue eccleſiae Chriſtianae doctrinas & mores, ita tamen, vt id faciant μετὰ πραΰτητος, hoc eſt, eum in modum, vt non ſimul inceſſant religionem ethnicam vitamque ethnicam conuiciis. Exempla ſcilicet imitari debebant Petri & Pauli, qui nulla leguntur in epiſtola vel concione ſceleſtiſſima Neronis, tum imperantis, praefectorumque prouinciarum, & aliorum ethnicorum, facta caſtigaſſe, memores videlicet, ſe *eccleſiis Chriſtianis* datos eſſe a CHRISTO *epiſcopos*, non *ethnicis*. Ac eundem in modum ſuis ſe geſſerunt in epiſtolis Ioannes & Iacobus: quorum hic in τοὺς ἀλλοτριο-

(p) Acute ad h. l. Flacius in *Clauis P. II. p. 365*: *Non eſt veſtrum*, inquit Paulus, *in eos inquirere ſcrupuloſius, eosque reformare velle; ſed domeſticos tantum fidei caſtigare.*

επισκόπους in suae epistolae *cap. III. 13 - 17.* acriter inflammatur, ad vltimum (*v. 18.*) docens, Christianos, si leniter se gerant erga ethnicos, nec maledicentia in ipsorum religionem eos offendant, fruituros pace ac tranquillitate, quieturumque ethnicorum erga ipsos odium. Apparet autem e tam graui Iacobi oratione, multos Christianorum stulto illo zelo tum temporis peccasse, pulchrumque putasse, religionem ethnicam quauis afficere contumelia. Concludimus vero & hoc inde, non placitura fuisse apostolis satyrica scripta, quae in religionem ethnicam secuto tempore effusa sunt a Minucio Felice, Tertulliano, Arnobio, aliisque ditioni & imperio ethnico subiectis. Hoc enim non nisi ea in rep. liberum est iustumque, in qua vera religio regnat, nec vllum ciuis officium insectatione & irrisione inanium religionum violatur. Quare non id, quod solis prophetis licebat, sed quod permissum erat vniversis Hebraeis, fecisse Ieremiam (q) & (r) Iesaiam existimamus, cum satyricis verbis idololatriam exagitarent. Nec iustae ac tempestiuae huius libertatis exemplum nobis non praeiit poëta ille Hebraeus, qui sub Dauidis regno, vt videtur, *psalmum CXV.* composuit. Contra, cum in captiuitate Babylonica essent Iudaei, idem facere non erat iustum.

(q) *Cap. X. 3 - 15.*
(r) *Cap. XLIV. 2 - 20.*

III.

2. PETRI III. 11. 12.

ποταπὲς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρεσίαν τῆς τε Θεε ἡμέρας.

Lectores horum verborum attentos facile offendit verborum compositio. Videtur enim post ὑμᾶς exhibendum signum interrogationis. Nec, qui dicit: Ποταπὲς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς; *quales vos esse oportet?* eius his verbis quicquam deesse, credimus. Ac sententiam hanc loca similia confirmant, quae occurrunt *Matth. VIII. 27. Marci XIII. 1. Lucae I. 29.* & *1. Ioan. III. 1.* Sed quid cessamus? Omnino ita legendum: Ποταπὲς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς; Ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρεσίαν τῆς τε Θεε ἡμέρας. Malae, quam nunc habemus, interpunctioni locum fecit antiquus mos scribendi sine interpunctionibus. Quare correctae iam sunt a Theologis multae sacri codicis (s) interpunctiones: qua de re vel Mastrichtii inspicias, quaeso, *Prolegomena ad N. T. p. 66.* & *67.* Flumen nunc suum reddit sermoni Petrino haec animaduersio. Quaerit enim Petrus: Πο-

(s) En locum alium similiter corrigendum coniungendo ea, quae mala versus diuisio distraxerat. Scilicet *1. Cor. IX. 9. 10.* ita legi oportet: Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ, ἢ δι' ἡμᾶς πάντως λέγει; *Vtrum Deus his verbis prospicit bobus, an potius hominum bono id dixit?*

ταπὰς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς; Tum (t) reſpondet: Ἐν *ἁγίαις ἀναςροφαῖς* ϗ *εὐσεβείαις*, (ſubaudi *δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς*,) *προσδοκῶντας* ϗ *σπεύδοντας τὴν παρȣσίαν τῆς τȣ̃ Θεȣ̃ ἡμέρας.* Similem errorem obſeruo *Iac. III. 14.* vbi pro ſigno interrogationis ſimplex punctum exhibetur. Verba autem Iacobi hoc modo fluere: Ἐι *δὲ ζῆλον πικρὸν* --- *μὴ κατακαυχᾶσθε* --- *ἀληθείας*; gemellus locus perſuadet *cap. II. 2.* & 4. Ἐὰν *γὰρ εἰσέλθῃ* --- ϗ *ȣ̓ διεκρίθητε* --- *πονηρῶν*; Video vero nunc laetus in Wolfii *Curis criticis*, iam ante me viros aliquot doctiſſimos acutiſſimosque loco Iacobi priori adſcribendam cenſuiſſe interrogationis notam. Quo facilius mea hac in ſententia acquieſco. Sed redeamus ad Petrinum, ſuum nunc redactum in ordinem, locum, vbi, *σπεύδοντας* quid ſit, primus intuitus vnumquemque dubitare iubet. Paſor in *Lexico N. T.* & Glaſſius in *Phi-*

(t) Minime eſt inſolens, quaeſtioni reſponſionem ſubiiei ſine alia reſponſionis nota. Vel ſummus orator ita facere non dubitauit. En *Milonianae cap. V: Cur ſenatus incendium curiae contra remp. factum eſſe decreuit? Quia nulla vis vnquam eſt in libera ciuitate ſuſcepta inter ciues non contra remp.* Et rurſus *cap. XXI: Cur igitur victus eſt? Quia non ſemper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore, occiditur.* Sed praeſtat loquentem ita ſacrum ſcriptorem audire, Ezechielem *cap. VIII. 6: Videsne, quid hi faciant? Abominationes ſunt magnae, quas hic facit domus Iſraël.* Vbi quidem aeque, ac Petrino in loco, peccauit vetus interpres, ita, omiſſa interpunctione, reddens iſta verba: *Vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas.* Recte vero vertit hunc locum Zeltnerus,

Philologiae sacrae lib. III. tract. VI. can. 5. p. 1038. ſubintelligi εἰς putant. Verum acutius vidit Raphelius, certisque veterum ſcriptorum exemplis docuit, σπεύδειν τι eſſe *exoptare & vehementer appetere aliquid.* Ac merito ducem hunc ſuis in *Curis criticis* ſecutus eſt Wolfius. Addo duo ſimilia loca e Plutarchi *de educ. liber. cap.* XIII. 2. & ex AEliani *Var. hiſt. lib.* II. *cap.* 13.

IV.

1. PETRI I. 9.

κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίςεως ὑμῶν, σωτηρίαν ψυχῶν.

Hanc Petrus epiſtolam ad conuerſos Iudaeos ſcribens, *v. 8.* ait, eos *nunc*, poſtquam agnouerint, IESVM eſſe Meſſiam, *tanto perfundi gaudio, vt verbis id exprimi nequeat:* quod ipſorum gaudium vbique (u) *praedicari*, adiicit. *Nunc*, inquam. De praeſenti enim illo tempore loquitur, non de futuro: id quod etiam plerique obſeruarunt interpretes. Illos vero Iudaeos Chriſtianae eccleſiae inſertos *nunc* ait κομίζεϑαι τὸ τέλος *ſuae fidei*, hoc eſt, compotes nunc eius beatitatis eſſe, ad quam ſpectarit & anhelarit adhuc ipſorum fides. Scierant namque, proxime venturum eſſe Meſſiam, eiusque aduentum exſpectarant auide. Haec ipſorum ſpes nunc impleta erat, & nunc habebant exſpectatam a ſe & a ſuis maioribus σωτηρίαν ψυχῶν, hoc eſt, CHRI-

 STVM,

(u) Δεδοξασμένῃ, inquit. Similis dictio *1. Theſſ. III. 1* & *Lucae IV. 25.*

STVM, ſaluatorem animarum. Is enim vocatur iam *Gen. XLIX. 18.* ישועה ſiue, vt priſcus ille interpres Graecus bene reddidit, σωτηρία. Hic namque eſt, in quo ſolo, vti *Act. IV. 12.* ait Petrus noſter, ἡ σωτηρία, vocaturque & a Simeone *Lucae II. 30.* & a Paulo *Act. XXVIII. 28.* τὸ σωτήριον τȣ̃ Θεȣ̃. Ac erat commune hoc Iudaeorum, cum de venturo loquebantur Meſſia, vocabulum: nec poſtea eo vti deſierunt Iudaei ἄπιςοι, quorum aliquot loca nuper in medium protulit Celeb. Schlaegerus in Diſſ. *de Diis ſeruatoribus p.* 7. Vero nos ſenſu capere hunc Petri locum, verſus confirmat ſubſequens, in quo veteres prophetae dicuntur vaticinari περὶ ταύτης σωτηρίας, & (vti *v. 11.* additur,) tempus aduentus eius ſcrutati eſſe. Nec dubitamus, eodem ſenſu *v. 5.* dici σωτηρίαν, *quae reuelanda ſerat* ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ. *Tempus* enim *poſtremum* appellari tempus aduentus Meſſiae, ſatis conſtat: ſimiliterque ἐσχάτην ὥραν vocat Ioannes *I. epiſt. II. 18.*

Illud non omittendum, eam interpretationem, quam nobis expreſſit attentior huius loci inſpectio, iam clariſſimo illi Sueuiae Theologo, Ven. Schelhornio, in mentem veniſſe, ab eoque expoſitam eſſe in *Bibliothecae Bremenſis Tomo quarto p. 782. ſqq.* Nec impugnaturus eam erat deſideratiſſimus noſter Wolfius, niſi praeconcepta opinione & Schelhornianae ſententiae nouitate oculos ipſius praeſtringente abſtinuiſſet a longiori meditatione.

V.

2. PETRI I. 1.

ἐν δικαιοσύνῃ τῦ Θεῦ.

Res ipſa loquitur, δικαιοσύνην hic ſignificare *gratiam & benignitatem*. Hoc ſenſu δίκαιος occurrit *Matth. I. 19.* & *1. Ioan. I. 9.* & *Pſal. CXVI. 5.* ac δικαιοσύνη *Pſal. LI. 16.* & *CXLIII. 1.* & *11.* & *CXLV. 7.* & *2. Cor. IX. 9.* & *10.* In Vorſtii *de Hebraismis N. T.* libro plura, ſi placet, exempla vide *p. 45.* & *46.* Quod ſi δικαιοσύνην hic reddis *iuſtitiam*, crucem ipſe tibi figis, haud facile refingendam. Vide, quaeſo, quam haeſitent ad locum hunc Hammondus & Horneius. Beauſobrius in annotatione ad *Verſionem* ſuam *Gallicam* vidit, δικαιοσύνην hic eſſe poſſe *miſericordiam*: certius viſurus, verum omnino eſſe hunc ſenſum, ſi attendiſſet diutius. Erasmus in *Paraphraſi* rectiſſime reddidit *per bonitatem Dei*: ſed non ſatis ſibi conſtat, adiungens quippe mentionem *iuſtitiae*. Non autem licet vni vocabulo duos tribuere eodem loco ſenſus. Germanice iam ſic hunc locum reddimus: **Die einen eben ſo theuren Glauben,** (τὴν ἴσην δωρεάν, *Act. XI. 17.*) **als wir, empfangen haben durch die Güte unſers GOttes.**

VI.

1. PETRI I. 12.

εἰς ἃ ἐπιθυμῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι.

Male ſolet hic locus accipi de ſancta quadam curioſitate angelorum, *myſteria Euangelii accuratius*

tius & perfectius cognoscendi: vti Quenstedius loquitur in *Syst. Theol. p. 6.* fortasse illud *Matth. XIII. 17.* ob oculos habens: *Multi prophetae* ἐπεθύμησαν ἰδεῖν, *quae vos nunc videtis*. Facile vero deprehendi potest verus sensus. Loquitur enim de iis apostolus, *quae tum ab apostolis fiebant*, (ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν, inquit,) *prospero successu docentibus, venisse filium DEI in mundum, & nunc coeli portam patere omnibus*. Hoc tempus sancti Hebraei diu summo desiderio appetiverant: cumque iam CHRISTVS aduenisset in mundo, traditaque ab eo religio post eius ad Patrem reditum per vniuersum orbem propagaretur, *angeli cupide id intuebantur cumque summa voluptate*, laetissimi progressu Euangelii: quos ipse CHRISTVS dixit (x) *laetari resipiscentia peccatorum*. Quemadmodum scilicet summo efferebantur gaudio angeli, cum natus Bethlehemi esset Messias, *Lucae II. 13. 14*; ita eorum augebatur laetitia, cum CHRISTI regnum viderent tanta capere incrementa. Dicuntur autem παρακύπτειν, hoc est, deorsum vel de coelo inspicere, quae fiunt ab apostolis ad amplificandam CHRISTI gloriam. Quod autem ἐπιθυμέω παρακύψαι significet *cupide inspicio*, (ich schaue mit Lust,) similibus nunc docendum est locis aliquot. *Ioan. VI. 21*: ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, *cupide eum receperunt in nauem*: vti recte interpretatur Glassius *lib. III. tract. III. can, 36. p. 860. sq.* Sic & *Ioan. VII. 17*: ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, *si quis libenter facit eius voluntatem*

(x) *Lucae XV. 10.*

luntatem. Et *1. Petri III. 10:* ὁ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, *qui cupide amat felicitatem.* Recte hunc in modum etiam illud *Lucae XVI. 21.* interpretatus est Ven. Elsnerus: ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι, *qui cupide & suauiter satiabatur.*

VII.

1. PETRI IV. 6.

Εἰς τοῦτο καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη, ἵνα κριθῶσιν μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι.

Illo tempore pluribus Christianis ob religionem suam subeundam fuisse mortem, & constat satis inter omnes, & a Petro etiam docetur *cap. III. 17.* & *IV. 13. 15. 16. 19.* & *V. 9.* Qui igitur Christiani mori pro CHRISTO cogebantur, hos ad constantiam adhortabantur fratres, proponendo iis constantiae ptaemium, felicitatem viuendae in coelo vitae aeternae. Et hoc ipsum tradit sexto hoc in versu Petrus, quem hisce verbis reddimus: *Eum in finem* (vt ad mortem vsque constantes essent, qui religionis causa ducebantur ad supplicium,) *etiam iis, qui nunc sunt* (tyrannorum crudelitate) *mortui, illa solatii plena doctrina fuit* (a fratribus eorum supplicio praesentibus) *proposita, quod secundum carnem quidem* (nunc) *apud homines damnati sint ad mortem, sed secundum spiritum* (siue animam) *apud DEVM viuant in perpetuumque victuri sint.* Docuerat id suos iam CHRISTVS *Matth. X. 28.* Versio Germanica iam ita debet fluere: Zu dem Ende

(das

(damit nemlich die Christen biß in den Tod beständig bleiben möchten,) ist auch denen, die (um der Religion willen) gestorben sind, (bey ihrem Tode) die tröstliche Vorstellung aus dem Evangelio geschehen, daß sie zwar dem Fleische nach bey den Menschen zum Tode verurtheilet sind, dem Geiste aber oder der Seele nach bey GOtt leben und in alle Ewigkeit leben werden. Ad agnoſcendam huius interpretationis veritatem duo duntaxat demonſtrari oportet, primum, ἵνα poni poſſe pro ὅτι, deinde, νεκρὸν vocari poſſe, qui nunc (y) inter mortuos eſt, ſed tum, cum fiebat id, quod de eo narratur, adhuc in viuis erat. Ad prius confirmandum propterea vnum tantummodo locum affero, quia noſtro ſimillimus eſt ipſo argumento. Scilicet *1. Cor. IV. 3.* ita Paulus ait: Ἐμοὶ εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν, ἵνα (id eſt, ὅτι) ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας. Poſterius fit quoque in libello *de Rutha I. 8.* & *II. 20*: vbi *beneficentia erga mortuos* ſine dubio illa eſt beneficentia, quae exercebatur erga illos, qui nunc mortui ſunt, cum in vita adhuc eſſent. Ac eodem modo Petrus noſter *1. epiſt. III. 19.* τοὺς ἐν φυλακῇ vocat eos, qui nunc ſunt in carcere, hoc eſt, inferno, tum autem, cum ad emendandos mores exſtimularentur., adhuc viuebant.

Falſas huius loci, ad primum certe intuitum perobſcuri, interpretationes cognoſcere qui geſtit,

(y) Hunc loci Petrini ſenſum iam vidit Flacius in *Clavis* ſuae *P. II. p. 273.* & *356.* & *394.* & *401.*

ſtit, Ittigii, Theologi multis meritis clariſſimi, ſingularem inſpiciat eamque longam de eo Diſſertationem, a. 1699. editam. Mirum vero, eum inter tot vias deuias non fuiſſe delatum in rectam, cum tamen in §. *V.* pulchre docuiſſet, de mortuis proprie dictis hic loqui Petrum, & in §. *LXVIII.* tres eruditiſſimos viros produxiſſet, qui ad rectam viam ipſi praeiuerant. Ipſius quidem interpretationem qui cum Petri verbis attentius inſpectis contulerit, non poterit non eius agnoſcere falſitatem. Hunc autem tribuit huic loco ſenſum: *Euangelium hominibus ſpiritualiter mortuis, hoc eſt, peccatoribus, eum in finem eſt annuntiatum, vt patiantur carne varias aerumnas, ſpiritu autem viuant ſecundum DEVM: ſiue, vt a ſpirituali morte excitati, non amplius ſecundum carnis deſideria, ſed ſecundum DEI voluntatem viuant, nec a ſanctimoniae ſtudio perverſis hominum iudiciis aut aliis aduerſitatibus revocentur.*

APPENDIX VARIA.

I. Quod *1. Petri V. 13.* de Petro legimus, eum abiiſſe Babylonem, ibique multos feciſſe Chriſtianos: cuius quidem rei, ſi hic locus non ſuppeteret, foremus ignariſſimi; id hanc vim habet, vt facillime credamus, Matthaeum, Bartholomaeum, caeterosque apoſtolos, quorum acta non ſunt nacta hiſtoricum, per omnes terras diſcurriſſe, docendoque Euangelium maximam homi-

hominum multitudinem in ouile CHRISTI deduxisse. Etsi igitur non habemus specialiter cognitas conuersiones ab iis factas, generatim tamen satis cognoscimus, strenue eos functos esse munere apostolico, &, si quis cuique obtigisset Lucas, nos habituros nunc fuisse aeque magnos libros *Actorum Matthaei*, *Thomae*, *Bartholomaei*, caeterorumque apostolorum, ac magnus est ille liber, quem reliquit Lucas *de Petri & Pauli actis Apostolicis*.

II. Diabolum, CHRISTI tentatorem, personam induisse hominis, augustiorique forma mentitum esse *angelum*, vel ex eo cognoscimus, quod *Matth. IV. 9.* haberi voluit *archangelus*, a DEO nactus imperium orbis terrarum. Atque hoc ipsum a Paulo 2. *Cor. XI. 14.* doceri credimus: vbi factum quoddam singulare Diaboli commemorat, quo princeps hic tenebrarum personam induit boni angeli, siue *angeli lucis*. De visibili enim praesentia Diaboli loqui Paulum, attentus lector facile agnoscit. Nec aliam historiam, in quam haec apostoli verba quadrent, in sacro codice reperimus. Praesenti autem vti Apostolum, non praeterito verbi tempore, si miraris, scias, esse hoc in historicis narrationibus frequentissimum: id quod & Glassius docet *lib. III. tract. III. can. 48. §. 1.* Atque id commodissime fit, cum sermo est de re iam cognita & quasi ob oculos nostros versanti, e. g. *Hebr. II. 16.*

III.

III. Librum *Interim* a Louanienſibus Theologis fuiſſe compoſitum, fere perſuadet mihi narratio Melanchthonis, quae in *Epiſtolarum* eius a Peucero editarum *libro ſecundo p. 443.* exhibetur. *Carolo V. dicitur*, inquit, *liber de doctrina ecclesiae a Louanienſibus ſcriptus eſſe, quem putant propoſiturum eſſe tanquam normam doctrinae & concordiae.* Scripſit hoc Melanchthon a. 1547. d. 25. Auguſti. Hunc librum recognoſcendum comprobandumque dediſſe videtur Carolus tribus Germaniae Theologis, *Pflugio, Sidonio*, & *Agricolae*, & quaſi ab his confectum publicaſſe, ne grauarentur Proteſtantes ſuſcipere librum ab exteris concinnatum Theologis Germaniae Proteſtanti inuiſis. Aſſentimur itaque Curayerio, haec *libro tertio* Sarpii *p. 553.* (edit. Baſil.) adſcribenti: *Il n' y a nulle apparence, qu' il ait été composé par les trois Theologiens nommés par l' Empereur. - - Ils firent des changemens & des alterations: & c' eſt peut être ce, qui les en a fait regarder comme Auteurs.*

IV. Non inepte creditur, PAVLVM SARPIVM (qui *Paulus* Romano *Petro reſtitit in faciem, Gal. II. 11.*) potuiſſe, ſi voluiſſet, fieri *Venetorum Lutherum*, hoc eſt, vniuerſam remp. Venetam ſubducere ditioni imperioque Papae, & Proteſtantibus aſſociare. Cur hic Theologus, qui (vt vere ſcribit Boſſuetus,) *cuculla ſua obtexerat verum Proteſtantem*, id non fecerit, ſi quaeris, reſponſum cape ex ipſomet: *DEVS*, inquienti, *mihi non dedit Spiritum LVTHERI.* Vid. *Acta*

eruditorum a. 1686. p. 243. & *Vita Sarpii* a Curayerio nuper scripta *p. 62.* & *64. sqq. editionis Basileensis.*

V. Dissensuum Theologicorum haec potissima caussa est, quod plerique Theologi cupiunt, *suam sententiam esse veram.* Quod si cuperent, (id quod quidem fieri oportebat,) *veram sententiam esse suam*, hoc est, veritatis possessionem non praesupponerent, sed omisso praeiudicio rite eam quaererent, futurum erat, vt omnes sentirent idem, si non de vniuersis dogmatibus, (hoc enim vix fieri potest per humani intellectus imbecillitatem,) certe de plerisque deque grauissimis. Docet id *Historia Reformationis.* Pontificis enim Theologi, *suam doctrinam cupientes esse veram*, inueteratos ecclesiae errores caeca fide probabant propugnabantque: imo in Tridentino Concilio suis doctrinis circumdabant auctoritatem infallibilitatis. Contra pii Reformatores, Lutherus & Zuinglius, eorumque *συνεργοὶ*, *veram CHRISTI & Apostolorum doctrinam cupiebant esse suam*, ideoque ad lucem sacrae Scripturae examinabant maiorum suorum dogmata. Hinc fiebat, vt vtrique grauissimos ecclesiae Romanae errores aeque agnoscerent, ac de vno duntaxat dissentirent dogmate: id quod apparebat a. 1529. in *Colloquio Marpurgensi:* cuius historiam a Brentio, qui interfuit, descriptam inter *Acta ecclesiae Wirtembergicae* exhibet Ven. Pfaffius *p. 203. sqq.*

VI. Facile est, fieri Theologum theoreticum: practicum fieri Theologum, difficillimum est,

est. Caro enim e scientia theologica sperare potest honores, opes, & voluptates. Eadem vero Theologiam practicam (hoc est, praxin theologicam,) fugit & auersatur tanquam hostem suam capitalem, quae cruci ipsam est affixura, & lenta morte, vt mori se, diu multumque sentiat, affectura. Non itaque est, quod miremur, *historiam Academiarum* docere, plerumque eas longe maiorem valde doctorum, quam valde piorum Theologorum habuisse numerum.

VII. Mich. Foertschius, qui denuo edidit a. 1698. *libros tres Ambrosii de officiis*, in Praefatione Ambrosium *referendum esse* iudicat *in optimorum disciplinae moralis auctorum censum.* Ego vero, hoc Ambrosii opus (quod se scribere ad ministros ecclesiae, ait *lib. II. cap. 6. p. 148.*) pium quidem, at minime eruditum esse, deprehendi. Atque etiam ita iudicaturum fuisse doctissimum Foertschium, opinor, si non praeiudicasset, eximium esse oportere, quicquid compositum sit ab antiquo & Sanctis adscripto doctore ecclesiae. Ipse Ambrosius *lib. I. cap. 25. p. 61.* ait, *se artem fugere* in hoc opere, hoc est, methodum Logicam. Nec quisquam moralis vel philosophiae vel theologiae consultus hos tres *de officiis* libros sobrie legerit, quem non & pigeat legisse & poeniteat, si scilicet sperauit, se hic reperturum vel philosophiam vel theologiam moralem iustae soliditatis. Adeo verum est, quod ipsemet Ambrosius *lib. I. cap. 1.* fatetur, *se hic docere, quod non didicerit*, hoc est, se magi-

ſtrum doctrinae moralis eſſe auſum, cum nunquam fuerit in ſchola morali diſcipulus.

VIII. Polydorus Vergilius de Pontificiorum ſacerdotum caelibatu *lib. V. de inuent. rerum cap.* 4. locutus, hanc erumpit in concluſionem: *Tantum abfuit, vt iſta coacta caſtitas illam* (veteris eccleſiae ſacerdotum) *coniugalem vicerit, vt etiam nullius delicti crimen maius ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impreſſerit, inuſſerit, attulerit, quam ſacerdotum libidinis labes. Proinde forſitan* (hoc *forſitan* omitti poterat ac debebat,) *tam e re publica Chriſtiana, quam ex ordinis* (ſacerdotalis) *vſu eſſet, vt tandem aliquando ius publici matrimonii ſacerdotibus reſtitueretur: quod illi ſine infamia ſancte potius colerent, quam ſe ſpurciſſime eiusmodi naturae vitio turpificarent.* Scribit ita Vergilius tanquam bonus Catholicus, non tanquam bonus Pontificius. Reſtituto enim ſacerdotibus iure matrimonii regnum Papae corruat neceſſe eſt: id quod demonſtrari poteſt facillime. Quanta vero erat Poſſeuini caecitas, in *Biblioth. ſelectae lib. VI. cap. 21. credentis, matrimonium ſacerdotum in Eccleſia Graeca non minimam fuiſſe cauſam, cur DEVS Orientem hoſti Chriſtianae fidei* (Imperatori Turcico) *ſubiecerit*!

IX. CVRAYERIVS, quas eccleſiae Romanae doctrinas vel veras vel falſas eſſe, liberrime nunc Londini pronuntiat in *Notis ad Hiſtoriam Sarpianam*, eas iam ipſi, cum Lutetiae degebat,

veras

veras esse visas vel falsas, dubitari non potest. Poenae igitur professoribus veritatis in ecclesia Romana subeundae metus eum in patria fecit Nicodemum. Tales Nicodemos Galliam tot ferme habere, quot viros habet ingenio pollentes & eruditione, non nisi is dubitauerit, qui negat, plures in Gallia esse Curayerio pares & ingenio & eruditione. Apparet hinc, quod Gallia manet Pontificia, ex eo fieri, quod aut Pontificium manere aut mortem vel morte grauiorem poenam subire necesse est vnicuique, quodque ibi regnum religionis habet Papa, suumque crudeliter exercet *Sic volo, sic iubeo.*

* *

VI.

HEBDOMAS (a) IOANNEA

HOC EST

EXPLICATIO SEPTEM LOCORVM PRIMAE IOANNIS EPISTOLAE.

(a) Disputatio, in Georgiae Augustae auditorio theologico 1743. d. 30. Martii habita Respondente *Ioanne Petro Eberhardo*, Altonauiensi, S. Theol. & Math. Cultore, nunc Medic. D. & Philosophiae Professore in Academia Halensi.

D. G.

PROOEMIVM.

Dulcissima piis mentibus est haec IOANNIS epistola, tam suaui varietate tamque varia suauitate commendantis amorem DEI & proximi atque intimam cum PATRE & FILIO coniunctionem, vt, cum eadem vbique praecipiat, tamen diuersa videatur tradere ob miram Spiritus illius, qui per ipsum loquitur, facundiam. Verissime Marsilius (a) Ficinus: *Inest huic epistolae absque verborum fuco nectarea dulcedo sensusque diuinus.* Quantam enim hoc habet dulcedinem, quod Apostolus hic amabilissimum in modum deducit Christianos ad firmam mundique victricem in CHRISTVM fidem, ad communionem cum DEO & eius filio, ad lucem vitae sanctissimae, ad flagrantissimum amorem DEI nascensque hinc fidele ac filiale obsequium, ad amicitiam cum fratribus sinceram, ad gaudium solidissimum e fuga peccati & studio virtutis perpetuo prognascens, ad certissimam spem aeternae post hanc vitam felicitatis, coniunctam cum παῤῥησία obviam olim procedendi nouissimi diei iudici! Brevius dici potest, hanc epistolam esse *paraenesin ad fideles in communione cum Patre, ac praecipue cum Filio, constanter retinendos tendentem:* id quod non ita pridem in singulari Dissertatione docuit & vberrime exposuit Venerandus noster Oporinus: qui simul demonstrauit lucidissime, non

(a) In libri *de religione Christiana* cap. 35. p. 464.

non esse scriptam hanc epistolam ἀφοριστικῶς, (quae nonnullorum interpretum fuit sententia,) sed omnia huius epistolae a capite ad calcem esse connexissima.

Admixtum autem esse summae huius epistolae dulcedini nonnihil amari, negari non potest. Ea dico loca, quorum sensum non statim capimus, & quae etiam saepius relecta nostram fugere videntur intelligentiam. Hinc tantae interpretum discordiae. Nos autem clauem hanc harum obscuritatum esse putamus, vt obseruetur, realem magis, quam verbalem, esse Ioannis eloquentiam. Quare, eam qui legit, non tam ad ipsa verba, quam ad scopum eius, ad antecedentia & consequentia, ad rem ipsam, quae tractatur, intentissimam tenere debet mentis suae aciem. Quo pacto multa tandem euadent dilucida, quae initio videbantur obducta caligine. Nos quidem nunc (b) septem huius epistolae loca contemplabimur, quorum sensum diu multumque vestigauimus, tandemque (ita certe persuasum habemus,) fauente DEO assecuti sumus.

(b) Alia duo huius epistolae loca iamdudum sumus interpretati. Iam a. 1711. ad *cap. V. 20.* prodiit mea Disputatio: quam postea perdiligenter recognitam adiunxi *Parergis* meis *Criticis:* in qua Deitatem CHRISTI vindico aduersus obscurantes eum locum Socinianos. A. 1721. ad *cap. II. 20.* edidi Dissertationem, insertam postea *Bibliothecae Bremensis* Tomo quarto *p. 991. sqq.* Nuper etiam in singulari Dissertatione causam exposui, cur careat haec Ioannis epistola inscriptione & salutatione.

Antea tamen, quam ad rem ipſam progredimur, occurrit aliquid, quod nobis lectoribusque noſtris reuocandum videtur in memoriam. Scilicet *doctae ſapientiae* eſt, operam dare, vt tota haec IOANNIS epiſtola intelligatur, tota quippe nobis ſcripta omnique Chriſtianae poſteritati. *Piae ſapientiae* eſt, plus operae dare, vt praeſtemus, quae hic praecepit nobis Ioannes perſpicue, quam vt intelligamus, quae hic ſunt obſcura. Iis, quae *obſcura* ſunt, debetur ſane (c) *attentio:* iis, quae *clara* ſunt, debetur *obedientia,* & quidem promtiſſima & perpetua. Poſterior facit pios lectores, prior doctos & eruditos. Gratiorem autem DEO facit hominem multa pietas, quam multa eruditio. Haec enim eſt ornamentum hominis Chriſtiani, illa eſſentiale eius criterium. Ac debemus Chriſtiani eſſe omnes, non debemus omnes eſſe Theologi.

I.

CAP. V. 16.

Ἔϛιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον. Οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ.

Illaudatum hic praeterire non poſſumus magnum illum & moralis & polemicae theologiae antiſtitem, Ioannem Placetium, quod ingenue (a) fatetur, ſe nondum perueſtigaſſe, quid ſit Ioannis *peccatum ad mortem.* Rara profecto in Theologis virtus:

(c) Debemus enim ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς *Ioan. V.* 39.

(a) *Theol. mor. P. VI. p.* 81. verſionis Germ.

virtus: quorum maxima pars nihil nescire sibi videtur, omniaque certa ratione audacter definit, ac praeterea iis, qui assentiri grauantur, irascitur vehementissime. Huius ab ipso Paulo haud obscure (b) commendatae virtutis & nos cultores praestamus, liberaliter fatentes, in sacri codicis lectione permulta nobis occurrisse loca, quorum sensum quantacunque adhibita industria perspicere nobis non licuerit. Nec vero propterea segniores facti sumus in studio exegetico, sed contenti γινώσκειν ἐκ μέρους, obscura loca multa reddere perspicua conati sumus nec tempori parcentes nec labori. Itaque, quod aliis multis accidit, qui industriae hermeneuticae pias adiunxerunt preces, nos quoque subinde hoc impensissimi laboris tulimus praemium, vt obscurissimis locis suus a nobis redderetur sensus vel plane certissimum vel saltim probabilissimum in modum. Ac ad locum quidem hunc Ioannis quod attinet, multos quoque annos sine successu eum inspeximus, libenterque fassi sumus, nos, quid sibi velit Ioannes, haud habere cognitum. Nec tamen labor toties irritus nos finem coegit imponere nostrae meditationi, sed, quoties ad eum delati sumus, denuo intendere mentis aciem nobis iucundum fuit. Cumque tandem verum eius sensum inuenisse nobis videamur, nostram interpretationem nunc publice exhibemus, ea tamen vtentes modestia, vt, si, & nos errasse, demonstratum fuerit liquido, errorem simus haud ae-

(b) 1. *Cor. XIII.* 9. 10. & 12.

gre agnituri, certioremque & clariorem, quae prolata fuerit, interpretationem amplexaturi.

Antea vero, quam nostram expromimus sententiam, tres doctissimorum virorum, qui & ipsi hunc locum attentissime considerarunt, proferre interpretationes, curque eas reiiciamus, docere libet. Primum teneat locum, qui eorum est novissimus, Harduinus, mirabilis verius, quam admirabilis ingenii vir, cuius nuper prodiit Paraphrasis in *Nouum Testamentum* stipata annotationibus. Hic igitur hunc Ioannis versum cum versu postremo connectit, ac ita παραφράζει· *Qui vestrûm scit, fratrem suum actum aliquem idololatriae efficere, qui tamen propterea nolit a DEO & CHRISTO penitus deficere, hoc est, transire ad castra idololatrarum, & ibi vitam omnem agere vsque ad mortem; petat a DEO, & dabitur ei, vt frater resipiscat ab illo actu idololatriae, in quo noluit vsque ad mortem perseuerare. Est enim defectio a DEO & CHRISTO, quando quis transiens ad castra infidelium, DEO & CHRISTO derelicto, statuit in ea infidelitate vitam finire. Non pro illo dico fore, vt, si roget quis, quod rogabit, impetret.* Haec interpretatio cum solo hoc fundamento nitatur: *Harduinus* ἔφα, iure ab iis, qui vocem eius non habent pro oraculo, sine mora reiicitur.

Audiamus nunc Werenfelsium, virum iudicandi facultate instructissimum. Hic in *Sylloge Dissertationum Theologicarum* (c) significari putat eius-

eiusmodi peccatum, quod DEVS decreuerit punire *morte temporali*, idque ſine vlla ſpe remiſſionis. At cum talia DEI decreta ſcire non ſit hominis, concedit, Chriſtianos illo ipſo Ioannis tempore ignoraſſe, quaenam peccata ſint eius generis, adeoque & neſciuiſſe, quando hae preces faciendae, quando omittendae ſint; hinc ex euentu demum eos cognouiſſe, peccatum alicuius fratris, pro quo orarunt, fuiſſe peccatum ad mortem. Nobis vero haec interpretatio ſe probat minime: imo abunde ſe prodit eius falſitas. Clare enim ſupponit Ioannes, eos, ad quos ſcribit, ſciuiſſe, quid ſignificet nomine *peccati ad mortem.* Clare item docet, eos pro iis, quos *videant peccare ad mortem*, orare non debere.

Probabilitatis plus prae ſe fert eorum ſententia, qui, *mortem ſpiritualem* innui ab apoſtolo, exiſtimant. Inter hos eſt Wolfgangus (d) Franzius, ſignificari credens peccata proaeretica & habitualia: qui tamen ipſemet ſuam hanc ſubruit ſententiam, cum tandem (e) concedit, fas omnino eſſe pro huiusmodi peccatoribus orare; incer-

(c) *P. 470. ſqq.* Placuit haec interpretatio ψευδωνύμῳ Amelio *T. II.* Erörterung der dunkelſten Schrift-Stellen *p. 880. ſqq.* & Infantio ad nouam *Verſionem N. T. Gallicam.* Defendit eam & D. Nic. Nonnenius, interpres alioquin egregius, in ſingulari Diſſ. Bremae 1743. maiori, quam feliciori, conatu.

(d) In libro *de interpretatione Scripturae ſacrae*, *Orac. VII. p. 127. ſqq.* Eadem eſt Zeltneri ſententia, Grotii item & Hammondi.

(e) *P. 130.*

incertum autem esse, an preces pro iis DEVS sit exauditurus. Non multum diuersa est Ioannis (f) Creyghtoni, Theologi Franekerani, sententia. Hic enim & ipse mortem hominis spiritualem describi putat, negarique, pro iis orandum esse, qui vsque adeo sint in peccatis mortui & indurati, vt, cum nulli adhortationi locum relinquant, merito desperentur. Optare quidem fas esse, adiicit, vt peccator talis ad sanam mentem redeat; sed cum fiducia tamen pro eo precari Christianos non posse. Annon autem hoc ipso adversus se pugnat vir doctissimus? Quod optare licet, nonne id & precibus a DEO petere licet? Iam vero id fieri vetat sanctissimus Apostolus.

Venimus ad eos, qui de *peccato in Spiritum S.* loqui censent Apostolum nostrum. Iam olim ita sensit Beza, postea nostrorum Theologorum multi, Hunnius, Gerhardus, Hemmingius, Calouius, Horneius, Wolfius, Ven. Langius. Ac Baierus, Ienensis quondam Theologus, a. 1688. singulari (g) Disp. tuitus est hanc sententiam. Nec nobis falsa videtur haec interpretatio. Manifestum est enim, describi ab Ioanne peccatum irremissibile. Ob id ipsum enim pro tali peccatore orari vetat, quia non sit spes veniae. Ex quo sequitur, hoc peccatum non agnosci a peccatore,

(f) In *Comment. ad hanc Ioannis epistolam*: vnde haec repetuntur in *Actis eruditorum* anni 1705. *p. 271*

(g) Idem in *Comp. Theol. posit. P. II. cap. 3. §. 24. p. 551.* ita docet.

catore, adeoque eius eum non agere (*) poenitentiam, nec a DEO, vt ſibi ignoſcat, ſuppliciter petere: quale peccatum non poteſt non ſequi mors aeterna. Aſſentimur igitur, de peccato in Spiritum S. loqui hic Apoſtolum. Non autem debebant hic acquieſcere iſti Theologi, ſed inueſtigare praeterea occaſionem, qua delatus eſt Ioannes ad huius peccati mentionem, itemque circumſpicere, quo de genere peccati in Spiritum S. loquatur Apoſtolus. Vtrumque erant inventuri, ſi ſatis longe (h) reſpexiſſent ad ea, quae antea diſſeruerat Ioannes. Verum, id quod multis aliis exegeticis erroribus locum fecit, extra contextum hic locus ab ipſis conſideratus fuit. Id proinde negotii nobis nunc damus, vt, quosnam peccatores in Spiritum S. ob oculos habeat Apo-

(*) Nam qui non eſt μεταμελητικὸς, eſt ἀνίατος, *inſanabilis*, vt ait Ariſtoteles *Ethic. Nicom. lib. VII. cap 7.*

(h) Inter noſtri loci interpretes etiam Ven. Rusmeierus obſeruauit *p.* 410, reſpici a Ioanne illos haereticos, quos ſupra dixerat negare, Ieſum eſſe Chriſtum: ſed non ſatis diu meditationi huic inhaerens, deinceps alio diuertit, *p. 415. ſqq.* putans, eos ſignificari homines, qui, cum Ieſum agnouiſſent filium DEI, poſtea ab eo defecerint. Haec vero non eſt hoc loco Ioannis ſententia. Ac iam antea Ven. Langius in *Comm.* Latino in hanc *Epiſtolam* p. 645. iſtum Ioannis reſpectum animaduerterat, ſed nec ipſe ſatis longe in hac meditatione progresſus. Nouam huius loci interpretationem protulit celeb. Oederus in der Hamb. Vermiſchten Bibliotheck *T. III. p. 504. ſqq.* ſed eam improbabiliſſimam.

Apoſtolus, inſpecta tota hac epiſtola cognoſcamus.

Scripta ſcilicet haec eſt epiſtola ad confirmandos in vera fide veraque pietate Chriſtianos. Iam cum illa tempeſtate exorti eſſent, qui docerent, verum quidem prophetam fuiſſe IESVM, ſed non item verum Meſſiam, non aeternum DEI filium: quae quidem doctrina ipſum Chriſtianae religionis fundamentum euertebat: Ioannes acerrimo zelo in hos inuehebatur, ac tanquam antichriſtos a ſocietate Chriſtianorum hominum remouebat longiſſime. Haec, quae diximus, proferuntur *cap. II. 18.* & *22. IV. 1. 3. 14. 15. V. 1. 5. 9-13.* Hoc ipſo vero peccabant iſti doctores peccatum in Spiritum Sanctum. Cum enim docerent Apoſtoli, verum Meſſiam atque aeternum DEI filium eſſe IESVM, perque hos id doceret Spiritus ſanctus, quo agitante eos docere manifeſtiſſimum faciebant miracula a Spiritu ſancto per eos patrata, non minus hi *ψευδοδιδάσκαλοι* peccabant in Spiritum ſanctum, quam antea peccarant Phariſaei, qui CHRISTI miraculis non fuerant permoti ad agnoſcendam doctrinae eius veritatem diuiniſſimam. Non quidem illud ipſum peccatum in Spiritum ſanctum peccabant, quod peccarant Phariſaei, ſed tamen ſimillimum. Phariſaei namque reiiciebant doctrinam ab ipſo IESV miraculis firmatam, quorum repraeſentatione Spiritus ſanctus mouere ipſos ſtudebat ad IESVM pro Meſſia amplexandum: hi doctrinam ab Apoſtolis ita traditam, vt editis miraculis, ſe a DEO miſſos

missos esse, sua lingua Spiritum sanctum loqui, demonstrarent clarissime, nihilominus contemnebant, suaeque rationis somnia coelestibus anteferebant oraculis. Omnem itaque in corda sua aditum praecludentes Spiritui sancto irreuocabiliter ruebant in suum interitum, adeoque ipsi suum peccatum reddebant irremissibile. Illud enim appellatur peccatum in Spiritum sanctum, cum quis vltimo conuertendi conatui Spiritus sancti resistit, nec ab eo se flecti patitur. Iam vbi ne miracula quidem mouent hominem, omnis spes conuersionis euanescit: cum miraculis ad persuadendum nihil sit efficacius, &, qui miracula videns DEVM non videt, hoc ipso doceat, caecitatem suam esse immedicabilem. Pro eo igitur, qui Apostolorum, IESVM esse Christum & filium Dei vnigenitum, docentium doctrinam non suscipiat, orari vetat Ioannes, eosque numero Christianorum excludit. Nec igitur negligendum, quod *fratri* peccatum non ad mortem peccanti opponens peccatorem ad mortem, hunc non vocat *fratrem*, hoc est, Christiani gregis ouem, & hoc ipso, ecclesiae esse membrum, negat. De quo & *v. 10.* ait, eum, dum non habeat fidem apostolis miracula certissime diuina patrantibus, ipsum DEVM habere pro mendaciloquo, adeoque (*v. 12.*) carere vita spirituali, propterea que nec aeternae illius vitae futurum esse consortem. Quo ipso sermone etiam CHRISTVS ad ἀπίστους Iudaeos vtebatur *Ioan. VIII. 24: Si* mihi tanta edenti miracula (vid. *Ioan. V. 36.* & *X. 37. 38.*) *non creditis, me esse Messiam, in peccatis vestris moriemini*, hoc

est,

est, non potestis non mori. Nec est, quod dubitemus, hoc ipso e loco (videlicet *Ioan. VIII. 21. & 24.*) petiisse Ioannem appellationem suam *peccati ad mortem.* Addimus exemplum talis in Spiritum sanctum peccatoris ex *2. Tim. IV. 14.* Alexandrum, obstinatissime reiicientem ac respuentem Paulinam doctrinam: pro quo non orat Paulus, cum pro fratribus, qui peccatum non ad mortem peccauerant, *v. 16.* pium votum emittat, ac DEVM, vt his ignoscat, precetur.

Nunc igitur haud est difficilis paraphrasis loci nostri, quae ita fluat necesse est: *Si quis videt, fratrem suum, hoc est, Christianum ac doctrinae Apostolicae addictum, peccare tale peccatum, quod non consistit in ἀπιςίᾳ, qua IESVS negatur esse Messias & filius DEI, quippe quae mortem affert in hac vita spiritualem, futura in vita aeternam; sed eiusmodi peccatum, quod peccatum mortale esse agnoscit, & eius agens poenitentiam implorat DEI misericordiam; pro eo fratre & ipse precabitur DEVM, vt commissum ab eo peccatum propter Christum (1. Ioan. II. 1.) propitius remittat. Et audiet has preces DEVS, ac talibus poenitentiam agentibus peccatoribus ignoscet. Est autem peccatum quoddam, quod, quia eius non poenitet peccatorem, sed is in peccato suo perseuerat securissime, non remittitur, sed aeterna morte punitur, cum videlicet quis in CHRISTVM ab Apostolis praedicatum non credit, sed, IESVM esse Christum, negat. Absurdum igitur est pro tali peccatore rogare DEVM, vt ipsius peccato ignoscat.*

Respon-

Reſpondere nunc etiam poſſumus ad obiectionem, quam Baierus (i) profert, ac ſimul haud obſcure fatetur, ſe nec ſibi nec lectoribus ſatisfacere poſſe. Ioannes ſcilicet clare ſignificat, a fratribus cognoſci eos poſſe, qui ad mortem peccent. Iam vero vulgo docetur, quis in Spiritum ſanctum peccet, cognoſci, niſi ex euentu, non poſſe. Falſo videlicet id ſtatuitur. Nam qui docente CHRISTO peccabant in Spiritum ſanctum, manifeſti erant. Nec, qui Ioanne apoſtolicum munus adminiſtrante id peccati peccabant, erant obſcuri, ſatis quippe in hac epiſtola indicati. Pto talibus proinde non erat orandum, cum, quia doctrina eorum erat ſectaria, a qua non ſolet recedi, nulla ſpes relinqueretur, eos ad veritatis agnitionem peruenturos eſſe.

II.

CAP. V. 6.

Οὗτός ἐςιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος, Ἰησȣ̃ς ὁ Χριςός· οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι· καὶ τὸ πνεῦμά ἐςι τὸ μαρτυρȣ̃ν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐςιν ἡ ἀλήθεια.

Non poſſumus hunc locum non habere pro perobſcuro, cum & oculatiſſimi Theologi hic non videant vnum idemque, ſed diuerſiſſimas interpre-

(i) In Diſp. ſupra laudatae §. 32. *ſqq.*

pretationes (a) proferant propugnentque. Omnium primus audiatur, qui omnium vetuſtiſſimus nobis occurrit huius loci interpres, Tertullianus. Hic in libri *de baptismo* capite XVI. his verbis ſuam explicat ſententiam: *Venerat Dominus per aquam & ſanguinem, vt aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfoſſi lateris emiſit, quatenus, qui in ſanguinem eius crederent, aqua lauarentur; qui aqua lauiſſent, etiam ſanguinem potarent.* Cenſet igitur, Ioannem de duobus baptismis loqui, baptismo videlicet fluminis & baptismo ſanguinis, ſeu de baptismo CHRISTI & Chriſtianorum deque vtrorumque cruento (b) martyrio. Non eſt, quod hanc piiſſimi viri ſententiam (c) pluribus refellamus: cum ſatis appareat, huius interpretationis matrem non eſſe profundam meditationem exegeticam, ſed arripuiſſe Tertullianum, quod primum in mentem venerat hunc locum conſideranti.

Nec

(a) Nouiſſima viri cuiusdam docti interpretatio huius loci, quae quidem ſubſcriptores habitura non videtur, profertur in *Nouis literariis Gottingenſibus* anni 1740. *p.* 687. & in *Lipſienſibus* anni 1741. *p.* 313.

(b) Priorius in *annot. ad h. l.* putat, loqui Tertullianum de baptismo & ſacra coena. Melius vero vidit Rigaltius, non ſacram coenam ab eo ſignificari cenſens, ſed martyrium.

(c) Mirum, foueri hanc ſententiam etiam a Clerico in ſua *Verſione N. T. Gallica.*

Nec aliorum, quas proferemus, ſententias longa proſecuturi ſumus cenſura, credentes quippe, lectori cuiuis attento manifeſtam fore ipſarum imbecillitatem & ἀσάφειαν. Vulgatiſſima videlicet eſt illa ſententia, qua de duobus N. T. ſacramentis, baptismo & ſacra coena, hic loqui Ioannes creditur. Eorum, qui ita ſentiunt, principes tantum aliquot viros nominare libet, eosque extra palaeſtram exegeticam tum verſatos, (id quod eos ſeueriori cenſurae ſubtrahit,) (d) Danhauerum, (e) Quenſtedium, &, qui nimis acriter pro hac ſententia (f) pugnat, Wernsdorfium. Viderunt autem alii noſtratium, longe a veroſimilitudine recedere hanc ſententiam. Quare illud duntaxat largiti ſunt, alludi his Ioannis verbis ad N. T. ſacramenta. Inter hos Spenerus eſt & Ven. Rusmeyerus. Ipſe Calouius, *aquam* de baptismo capiens, *ſanguinem* non de ſola ſacra coena interpretatur, ſed primario de morte Chriſti cruenta. Ac Horneius quoque, *aquam* ſignificare ſacramentum baptismi, *ſanguinem* paſſionem & mortem Chriſti, exiſtimat. Qua in ſententia Tirinus etiam eſt, Iac. Cappellus, Ven. Bengelius, & Cl. Schoetgenius. Cocceius

(d) In *Hodoſophia Chriſtiana p.* 714. & 744. edit. 1749.

(e) *Syſtem. Theol. P. III. p.* 268. & *P. IV. p.* 86.

(f) In *Diſp.* a. 1722. edita de *diſſenſu Lutheranorum & Reformatorum in articulo de ſacra coena p.* 74. *ſqq.* vbi & alios huius interpretationis patronos laudat.

per *aquam* intelligi (g) vult *id, quod in ſe purum eſt & purificandi vim habet,* atque haec verba Apoſtoli: *Non in aqua tantum, ſed in aqua & ſanguine,* ſic interpretatur: *Non tantum in ſanctitate perfecta, ſed etiam in pretio perfecto, quo liberemur a reatu, & purificemur a peccatis. Nam ad typum ſanctitatis exhibendum poterat DEVS quemuis hominem condere; ſed ad eccleſiam ſanguine ſuo redimendam non poterat mitti, niſi Filius DEI.* Mutata paulisper applicatione Hemmingius (h) iudicat, per *aquam* non ſignificari baptismum Chriſtianorum, ſed eorum ſanctificationem internam, alluſione facta ad purificationes Moſaicas per aquae adſperſionem: per *ſanguinem* ſymbolice ſignificari expiationem peccati & imputationem iuſtitiae Chriſti. A qua ſententia non longe recedit illa (i) Speneri, cum in V. T. peccatoribus opus fuerit duabus rebus, vt ſcilicet & aqua lauarentur & ſanguine ſacrificii reconciliarentur, Ioannem baptiſtam tantum per *aquam* veniſſe, cum baptizaret poenitentes, CHRISTVM autem etiam veniſſe per *ſanguinem*, factum pro nobis in cruce ſacrificium. Ven. Rusmeyerus Vatabli, Hammondi, & Zeltneri ingresſus

(g) Hanc interpretationem nuper Theologus quidam noſtras *ἀνώνυμος* ſuam fecit in dem Ober-Lauſinitziſchen Beytrage zur Gelahrheit *T. I. p. 145. ſqq.* Eſt haec & Grotii ſententia.

(h) *Comment. in N. T. Epiſtolas p. 791.*

(i) *Comment. in hanc epiſtolam.* Eandem ſententiam illuſtrat Ven. Wollius in libro *de parentheſi ſacra p. 103. ſqq.*

ſus ſententiam, reſpici a Ioanne putat deſcriptum ab ipſo in *Hiſtoria CHRISTI* (k) fluxum ſanguinis & aquae e IESV modo mortui latere. Simul tamen eo ſpectare credit Apoſtolum, quod CHRISTVS pro nobis cruenta ſit factus victima. Denique nec excludi vult duo N. T. ſacramenta.

Vidimus adhuc plures ſententias inſtabilibus coniecturis (l) maiori iure adſcribendas ſocias, quam interpretationibus certae veritatis & clara luce radiantibus. Proferri vero nobis videtur poſſe certior interpretatio, ſi, quae paulo poſt in Ioannis epiſtola ſequuntur, intueamur (m) con-

(k) *Cap. XIX. 34.*

(l) Plures cognoſcere qui geſtit, ad Cornelium a Lapide adeat, qui ad h. l. plurimas exhibens interpretum diſſenſiones lectorem animi incertum dimittit incertiorem.

(m) Frequentior cauſa tot infelicium interpretationum eſt interpretum feſtinatio. Fatetur hoc peccatum ingenue Dan. Heinſius in ſuis *ad N. T. Exercitationibus.* Statim primo earum capiti hunc titulum praeſcripſit: *Primum Matthaei caput obiter percurritur.* Ac pluribus in titulis ſuarum annotationum hoc *percurrendi* verbo vſus eſt, e. g. *p.* 39. 54. 62. 70. 76. 89. 101. 105. 120. &c. Exegetae ſcilicet oculus minime debet eſſe curſorius, ſed defixiſſimus, & ad inſpiciendum ac circumſpiciendum indefatigabilis. Cum prima hora non ſuccedit interpretatio, alio tempore noua hora eſt impendenda. Si nec tum certam peruenimus ad interpretationem, aliud otium huic exegetico labori dicandum. Tandem vincit labor, ſi non ſemper, certe perſaepe.

ſiderantius: id quod nemo fecit eorum, quos modo nominauimus, interpretum.

Scilicet quid hic loci ſibi velit Ioannes, nono docet verſu decimoque. Cum enim eſſent, qui, IESVM pro propheta quidem, ſed non item pro Meſſia DEIque filio habendum eſſe, docerent, (quos hanc epiſtolam ſcribendi occaſionem praebuiſſe Apoſtolo, conſtat,) horum errorem Ioannes hic loci coarguit nulli exceptioni obnoxio teſtimonio, eoque triplici, ipſius DEI. *Hominum ſpectatae fidei*, inquit, *teſtimonia non reiicimus: quanto maior fides habenda ipſius DEI teſtimonio, quo docuit, IESVM eſſe filium ſuum! Certe qui DEO fidem non habet, accuſat eum (proh nefas!) mendacii, non habens videlicet fidem illi teſtimonio, quod DEVS de filio ſuo ipſemet edidit.* Vides nunc, lector, verſu ſexto exhiberi teſtimonia DEI, quibus apertiſſime teſtatus eſt, IESVM eſſe filium ſuum promiſſumque priſcae eccleſiae Meſſiam.

Diſcernit autem Ioannes haec DEI teſtimonia pro diuerſitate temporis, priora duo ſcribens edita eſſe eo tempore, quo CHRISTVS fuit in hoc mundo, tertium dicens edi adhuc illo tempore, quo hoc ſcribebat. De prioribus enim vſurpat *praeteritum* (u) ἐλθών, de tertio *praeſens* ἐςί.

Acce-

(u) Etiam Ven. Bengelius in *Gnomone* ſuo *N. T. p.* 1062. obſeruauit, hoc verbum ἐλθών reſpectum ſigni-

Accedamus nunc ad tria illa, quae a Patre de Filio edita esse Ioannes ait, testimonia. Οὗτός ἐςιν, inquit, ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος vel ἐν τῷ ὕδατι. Quae verba, indicante versu nono, non possunt alium, quam hunc, habere sensum: *Hic est, qui esse* ὁ ἐρχόμενος (o) *demonstratus est per aquam ipsius DEI testimonio.* Nec articulus nihil nos docet, cum dicitur ἐν τῷ ὕδατι. Clare enim significat, de *certa aqua* hunc esse sermonem. Iam ad nullam aquam DEVS de filio suo edidit testimonium praeter illam, qua baptizatus est a suo prodromo. Tum enim haec vox (p) e coelo resonabat: Οὗτός ἐςιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Habemus nunc primum DEI testimonium, quo indicabatur hominibus, venisse nunc in mundum, qui tam dudum promissus fuerat, Messiam.

Alterum testimonium DEVS edidit δι' αἵματος, hoc est, vti ipse interpretatur Ioannes, ἐν τῷ αἵματι. Nec hic articulus τῷ caret emphasi. Innuitur enim *sanguis* ille (q) *omni pretio maior,*

significare ad praeteritum tempus. Apparet hinc liquido, errare eos, qui hunc locum de vtroque N. T. sacramento, quorum vsus hodieque praesens est, interpretantur, cum de eo loquatur Apostolus, quod est praeteritum.

(o) Hoc est, Messias. *Matth. XI. 17.* & *Ioan. XI. 27.* Consuetam hanc Messiae appellationem Iudaicam a Ioanne respici, etiam Ven. Wollius animaduertit in libro *de parenthesi sacra p.* 103.

(p) *Matth. III. 17.*

(q) 1. *Petri I. 19.*

quem victima piacularis (r) pro humano genere factus DEI filius profudit; sanctissimus ille sanguis, quem *DEI sanguinem* appellat (s) Paulus; sanguis ille, ob quem ab vtriusque Testamenti (t) prophetis CHRISTVS vocatur *heros cruenta veste indutus*. Testimonium hoc de IESV, quod sit DEI filius, aliquid singulare & plus admirabilitatis habere, significat noster Apostolus, dum mentioni huius *sanguinis* haec verba subiicit: *non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Videbatur scilicet supplicium & mors IESV luculentissime demonstrare, eum non esse DEI filium, non esse Messiam, sed pseudomessiam & (u) πλάνον. At vix exstincto eo miraculis insignibus tam manifestum faciebat tamque perspicue testabatur DEVS, suum hunc esse filium, vt etiam ethnicus quidam spectator in hanc vocem (x) erumperet: *Profecto DEI filius erat hic.* Quae inter miracula hoc etat supremum atque eminentissimum, quod necatus in cruce homo hic paulo post resurrexit, & in magnae multitudinis conspectu in coelum adscendit, eodem tempore descendentibus de coelo duobus angelis, ac docentibus, rediturum aliquando e coelo esse hunc IESVM, & iudicium exerciturum in vniuersos homines.

Quam,

(r) *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi*: *Ioan. I. 29. & 36.*

(s) *Act. XX. 28.*

(t) Iesaia scilicet *cap. LXIII. 1. 2.* & Ioanne nostro *Apoc. XIX. 13.*

(u) Ita tum Iudaeorum proceres eum appellabant *Matth. XXVII 63.*

(x) *Matth. XXVII. 54.*

Quam, quaeſo, clarum hoc erat & illuſtre DEI de filio ſuo ἐν τῷ αἵματι (hoc eſt, eo tempore, quo ſanguinem effudit ſuum vitaque priuatus eſt,) teſtimonium!

Progredimur ad tertium DEI de IESV teſtimonium, quo teſtatus eſt, eum eſſe filium ſuum & praedictum illum a prophetis Meſſiam. *Etiam* (y) *Spiritus ſanctus*, inquit Ioannes, *id nunc adhuc teſtatur. Iam vero* (z) *Spiritus ſanctus eſt ita verax, vt vere dicatur ipſa veritas.* Τὸ *etiam* tertium hoc teſtimonium prioribus adiungit ἐμφατικῶς. Hoc enim ſibi hoc verbulo vult Ioannes: *Protuli duo DEI de filio ſuo teſtimonia, tum edita, cum adhuc in mundo verſaretur IESVS. Adiicio nunc tertium, quod ſublato eo in coelum DEVS edidit per Spiritum ſuum, & ne nunc quidem edere ceſſat.* Tam facile apparet, Ioannem de Spiritu S. loqui in Apoſtolos effuſo perque eos patranti miracula, vt interpretum pars maior ita (a) ſentiat. Quam certum vero eſt hoc teſtimonium, cum ſolus miraculorum auctor ſit DEVS, adeoque miracula, ab iis, qui

(y) Merito hic καὶ reddimus *etiam.* Ac hoc modo verba haec cum prioribus iunguntur commodius.

(z) Hic loci ὅτι ſignificat, ſequi nunc cauſam, cur Spiritus S. ſit habendus teſtis fide digniſſimus. *Etiam Spiritus*, inquit, *huius rei teſtis eſt. At quantus eſt hic teſtis! Eſt enim ipſa veritas.*

(a) Etiam nouiſſimus in hanc Ioannis epiſtolam commentator, Ven. Rusmeyerus, agnoſcit, hunc omnino eſſe horum verborum ſenſum.

docent, IESVM esse filium DEI, edita, realis vox DEI sint, clarissime loquentis, doctrinam eorum hanc esse verissimam!

Nunc igitur tandem in promtu est huius loci paraphrasis, quae ita fluit: *Hic est ille, qui tanquam promissus Messias venit in mundum, seque esse* τὸν ἐρχόμενον, *demonstrauit per aquam & per sanguinem. Ac sufficere poterat DEI de eo testimonium in baptismo eius de coelo clara voce editum, vt homines agnoscere possent, ipsum esse Messiam. At etiam tum DEVS id testatus est, cum IESVS penderet in infami cruce, & sanguinem suum pro salute mundi effunderet. Tum enim, eum non esse pseudomessiam, quo nomine crucifixerant eum Iudaei, sed verum Messiam & filium DEI, manifestum DEVS fecit iis editis miraculis, ad quae etiam ethnicus quidam vir obstupescens ita exclamabat: Profecto hic fuit is, qui haberi voluit, hoc est, filius DEI. Accessit vero miraculum hoc maximum, quod crucifixus hic homo resurrexit & in coelum adscendit. Accedit duobus his, quod IESVS sit Messias, ipsius DEI testimoniis tertium. Testatus enim id etiam DEVS est & adhuc testatur Spiritum suum in CHRISTI Apostolos tanta mensura effundens, vt similia magistri sui miraculis large patrarint atque adhuc patrent miracula. Spiritus autem DEI miraculis se manifestans ipsissima est veritas, cum non possint, nisi a DEI Spiritu, vera patrari miracula: vt adeo, qui miracula videt, videat opera Spiritus DEI, certoque (si sana est mente,) cognoscat,*

doctri-

doctrinam illam religiosam, quae ab istis miraculorum editoribus traditur, esse religionem diuinam, solamque veram.

Duo supersunt ad hunc locum obseruanda. Primum praeuidemus, fore, qui dicant, nos in satis apricum protulisse, quo sensu CHRISTVS dicatur *venisse in aqua*, itemque quo sensu *Spiritus de eo testis esse* dicatur; at infirmiorem minusque lucidam videri nostram interpretationem *sanguinis*. Respondemus igitur, omnino difficillimum intellectu futurum fuisse, quid sibi hic velit mentio *sanguinis*, si fuisset exhibita sola. Verum id, quod praecedit, idque, quod sequitur, (cuius vtriusque sensum, reflexo ad nonum decimumque versum oculo, facile assequimur,) lucem affert ei, quod inter haec duo interiectum est: vt adeo optimus loci illius de *sanguine* interpres sit Ioannes ipsemet.

Deinde mirabitur fortasse quispiam, non item productum fuisse ab Apostolo nostro illud testimonium, quod in monte DEVS edidit colloquentibus cum CHRISTO Mose & Elia, quodque & Petrus αὐτήκοος in altera suarum epistolarum (b) commemorauit. Verum idem acquiescendum sibi putabit, vbi hanc nostram responsionem acceperit. Ioannes scilicet ea hic proferre constituit DEI de filio suo testimonia, quae edita erant ad magnam hominum multitudinem, nec ad solos Apostolos caeterosque CHRISTI discipu-

(b) *Cap. I, 17.*

ſcipulos, ſed ad Iudaeos etiam ἀπίϛȣς, nempe vt illi in fide ſua confirmarentur, hi ad agnoſcendum DEI filium permouerentur. Iam vero illud in monte editum (c) teſtimonium non erat in publico editum, vti caetera tria, quae Ioannes profert, ſed intra priuatos, vt ſic loquamur, parietes, tribus tantum diſcipulis audientibus, quibus praeterea CHRISTVS ad certum tempus imperauit (d) ſilentium. Iam, cur nec illa vox coeleſtis, de qua *Ioan. XII. 29.* legimus, hoc loco memoretur, perſpicuum eſt. Primum enim haec vox non teſtabatur diſerte, IESVM eſſe filium DEI. Deinde ad ſolos diſcipulos ea vox emittebatur, non ad vniuerſam multitudinem. Hinc alii aiebant, alii negabant, veram & articulatam hanc eſſe vocem.

III.

CAP. V. 21.

Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτȣς ἀπὸ τῶν εἰδώλων.

Vix quisquam hunc verſum legerit, quin miretur, eo finiri hanc epiſtolam. Non enim quadrat, vt ita loquamur, ad ea, quae praecedunt. Nec videtur praeterea metuendum fuiſſe, ne quis eorum, ad quos ſcribit Apoſtolus, reverteretur in ethnicorum caſtra. Scribit namque, id quod e *cap. II.* 13. 14. 20. & 27. ſatis apparet, ad Chriſtianos nominis veriſſimi fideique firmae & inuictae. Quare non poſſumus aſſenti-

(c) *Matth. XVII. 5.*
(d) *Matth. XVII. 9. Lucae IX. 36.*

ſentiri (a) Heideggero, qui, cauenda eſſe idola, ideo moneri putat a Ioanne Chriſtianos illos, quod antea *v.* 20. ſcripſerit, eos ad cognitionem veri DEI perueniſſe. Accedit, qnod iſtic non de DEO Patre loquitur, (quod quidem Sociniani volunt,) ſed de CHRISTO. Magis mira eſt Erasmi paraphraſis, hisce verbis profluens: *Filioli, ſi vere nouiſtis verum Deum, cauete a falſis Diis & ſimulacris inanibus, quae colit mundus. Idolum colit, cui nummus Deus eſt. Idolum colit, cui Deus venter eſt. Idolum colit, qui ob mundanos honores Dei praecepta negligit. Multa ſunt huiusmodi ſimulacrorum genera. Vos ab omnibus cauete, ſi manere vultis in cultu veri Dei.* Videbatur ſcilicet Erasmo repetere Ioannes hic breuiter admonitionem ſupra *cap. II.* 16. exhibitam. Verum plane fortuita eſt haec viri optimi coniectura, non adſtricta iuſtis regulis interpretatio.

Nos quidem non poenitet illius interpretationis, quam protulimus iam olim in *Parergis* (b) *criticis*, quamque poſtea ſuam fecit ſub *Theophili Alethaei* nomine latens Laurentius (c) Mullerus, itemque Wolfius. Scilicet inualuerat nonnullis in eccleſiis mos frequentandi conuiuia ethni-

(a) *Enchir. Bibl. lib. III. cap.* 25, §. 7. *p.* 633. Ei ſubſcribit Salomo Tilius in *Opere analytico*, in quo Heideggerianum *Enchiridion* illuſtrat, *T. II. p.* 728.

(b) *P.* 190.

(c) In der Erläuterung der dunkelſten Oerter der H. Schrift *T. I. p.* 694. *ſq.*

ethnicorum ſacra, adeoque idololatrica. De Pergamena eccleſia deque Thyatirana teſtem habemus ipſum Ioannem noſtrum *Apoc. II.* 14. & 20. Epheſia autem eccleſia, ad quam ſcriptam fuiſſe credimus hanc epiſtolam, adhuc intacta erat ab hoc peccato: cuius rei teſtis & ipſemet eſt Apoſtolus noſter *Apoc. II. 6.* Huius igitur eccleſiae Chriſtianos hic adhortatur, vt etiam poſthac ab iſto peccato ſibi caueant. Ἐίδωλα autem ἐμφατικῶς dicit pro εἰδωλόθυτα, vt periculum huius facti repraeſentet viuidius. Ad *idolothyta*, inquit, qui accedunt, ad ipſa accedunt *idola*, cultusque falſorum Numinum ſe reddunt quodammodo participes. Eadem ſermonis emphaſi Paulus vtitur, cum *1. Cor. X.* 14. 19. 20. 21. 28. vetans Corinthios intereſſe religioſis ethnicorum epulis, φεύγετε, inquit *v.* 14. ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. Quem cum de idolothytis loqui manifeſtum ſit, merito eum adſciſcimus Ioanneae dictionis interpretem. Ac ſane occaſione talium conuiuiorum poterant Chriſtiani reuocari ad mores ethnicos: quo facto non ſolum doctrina Chriſtiana futura erat inutilis, (bene enim qui credit, & male viuit, non eſt magis in filiorum DEI heredumque vitae aeternae numero, quam homo ethniciſſimus,) ſed etiam via ad reditum in ethnica caſtra ſatis late aperiebatur.

Reſtat, vt, quomodo haec admonitio cum praecedentibus cohaereat, vel potius, cur non cohaereat, diſpiciamus. Noua ſcilicet allocutio, Τεκνία, nouae index eſt admonitionis & cum iis,

quae

quae praecedunt, non connexae. Apparet nunc statim, *Postscriptum* (d) hoc esse huius epistolae: quod ideo breue est, quia saepius eos Ioannes huius rei admonuerat, sibique semper dicto audientes habuerat: id quod supra ex *Apoc. II. 6.* cognouimus. Quare tribus duntaxat verbis id eis in memoriam reuocat, ne posthac, id vt faciant, se adduci vnquam patiantur. *Noua* igitur admonitione opus erat, quia res haec erat momenti maximi. *Breuis* autem sufficiebat admonitio, quia Ephesiorum Christianorum nemo adhuc id peccauerat. Iam non dubitamus ita παραφράζειν haec Ioannis verba: *Pergite, quaeso, carissimi mei in CHRISTO filii, fugere idololatricas epulas, & exemplum boni moris praebere caeteris ecclesiis.*

IV.

CAP. I. 1. 2. 3.

Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ

(d) Id iam obseruauit Ven. Rusmeyerus, ita scribens: Diesen Vers hat man anzusehen als einen Anhang dieser Epistel. Cum vero idem τεκνία huius loci interpretatur *infantes in Christianismo*, hoc est, Christianos νεοφύτους & adhuc fidei infirmioris, summo iure ab eo dissentimus. Nihil enim causae suppetit, cur hanc appellationem alio hic sensu capiamus, quam capi eam voluit Apostolus noster *cap. II.* 1. 12. 28. & *III.* 7. 18. & *IV.* 4. quibus singulis locis Christianos affatur in vniuersum, quos *cap. II.* 7. & *III.* 13. ἀδελφοὺς appellat.

καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. 2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη, καὶ ἑωράκαμεν, καὶ μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν αἰώνιον, ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. 3. Ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ὑμεῖς κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν. καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Hactenus in eo fuimus, vt tria postremi capitis loca, quae prae caeteris interpretum exercuerunt ingenia, iusta ratione interpretaremur, suumque Ioanni vindicaremus sensum. Nunc e prioribus quatuor capitibus totidem seligemus loca disceptationis aliquid habentia: quae vt itidem ex vero interpretemur, adsit nobis coelestis gratia!

Accedimus igitur ad huius *Epistolae* initium modo exhibitum, grammaticum lectoribus eius eulsuri scrupulum. Grammatico scilicet hunc locum intuentibus oculo perobscura minimeque concinna videbitur horum verborum constructio. Nec dubitabat (a) Zegerus *structuram horum verborum* vocare *non parum horridam*. Ac Erasmus quoque, valde laborans, vt verba haec redigeret

(a) Theologus Louaniensis, cuius *Annotationes ad N. T.* inseruerunt *Criticis* suis *sacris* Angli. De ipso pluribus disserit Rich. Simonius in *Censura* (*Critique*) *Bibliothecae ecclesiasticae Dupinii T. II. p.* 99.

ret ſub grammaticorum regulas, ne ipſi quidem ſibi ſatisfaciebat. Poteſt tamen durities dictionis Ioanneae emolliri, ſi primum *verſui primo* id ἀπαγγέλλομεν, quod in *v.* 2. & 3. reperimus, tacite (b) adiungas; deinde a verbo περὶ vsque ad ἐφανερώθη ἡμῖν parentheſin (c) agnoſcas; tum ante περὶ τȣ͂ λόγȣ comma ponas, ac deinde *loquor* (d) ſubaudias; denique *v.* 3. poſt ἀκηκόαμεν adiicias (e) *inquam*, tanquam indicem ſubauditi in *verſu primo* verbi ἀπαγγέλλομεν. Quod ſi quis ne nunc quidem acquieſcat, ſed, hanc ipſam loquendi formam eſſe inuſitatam caliginisque plenam, contendat, hunc in modum reſpondemus reſpondendumque cenſemus. Ioannes in hoc exordio totus pio affectu ardens (id quod, qui iterum tertioque, imo decies deciesque, hunc locum pie contemplatus fuerit, facile aſſentiet,) magis res, quam verba, loquitur, minusque adeo eius verba ſunt exigenda ad normam

(b) Hoc faciendum putant Calouius, Iac. Cappellus, Langius, Infantius, Wolfius, Rusmeyerus; Clericus item in Gallica ſua N. T. verſione.

(c) Iam dudum agnita hic fuit parentheſis: ſed initium eius demum a verbis καὶ ἡ ζωὴ factum eſt.

(d) Ita fecit Glaſſius *Philol. ſacr. lib. III. tract. I. can.* 21. *p.* 607. itemque Rusmeyerus *p.* 35.

(e) Haec eſt Vatabli ſententia, Camerarii, Er. Schmidii, Piſcatoris, Bezae, Hammondi, Iac. Cappelli, Calouii, Langii, Infantii, Clerici, Rusmeyeri, Schoetgenii, Harduini. Obſeruamus denique, hoc ipſo noſtro in capite etiam *verſui decimo* non poſſe non inſeri hoc *inquam*.

mam grammaticam. Etsi autem a grammatica loquendi consuetudine paulisper videtur recedere, facile tamen, quid sibi velit, si ad res magis, quam ad verba, attendimus, intelligemus. Id quo clarius appareat, en nostram huius loci paraphrasin:

Quod (f) *existebat ab initio, hoc est, ab aeterno, quodque tandem factum est hominibus conspicuum, & a nobis (a me scilicet reliquisque apostolis) auditum nostrisque oculis est conspectum, attente quoque consideratum ac manibus contrectatum, (loquor de verbo illo viuo & substantiali, quod est ipsa vita: nam* (g) *vita haec venit in orbem visibilis, nosque eam vidimus, adeoque idonei testes sumus: & vobis nunc annuntiamus vitam hanc substantialem ab aeterno existentem, quae, cum ab aeterno fuisset apud Patrem, nouissimo tempore nobis se praebuit conspiciendam:) quod, inquam, vidimus & audiuimus, quodque ex ipso illo verbo aeterno*

(f) Ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς est idem ὁ λόγος, *qui erat* ἐν ἀρχῇ, *Ioan. I. 1.* Caue offendat te, quod Socinianos offendit, neutrum ὅ. Nam & infra *cap. V. 4.* τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ est *homo ex Deo natus*: & *Ioan. III. 6.* τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς est *homo carnalis*. Plura huius generis loca si quaeris, inspice Glassii *Philologiam sacram lib. III. tract. 1. can. 21 p. 605. sq.*

(g) Recte καὶ hoc reddit Beza *nam*, obseruans, Hebraeorum hunc morem esse, vt saepe ו vsurpetur pro כי. Assentiuntur ei Vatablus, Horneius, Schoetgenius.

terno auribus accepimus, id vobis notum facimus, atque id vos tum voce viua, tum etiam scriptis, edocemus, vt & vos communionem habeatis nobiscum, communionem scilicet illam, quam nos apostoli habemus cum Patre & cum filio eius, IESV CHRISTO.

V.

CAP. II. 16.

Ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί.

Rectiſſime hunc locum Grotius interpretatur in *Iure* (*a*) ſuo *belli & pacis*, ita ſcribens: *Primum membrum voluptatum deſideria, ſecundum habendi cupiditatem, tertium vanae gloriae conſectationem cnmplectitur.* Eſt haec quam vſitata & plerorumque interpretum communis, tam certa atque erudita interpretatio, maxime quod ad *oculorum cupiditatem* attinet. Hac enim appellatione *auaritiam* ſignabant Hebraei, quorum ſtylo quis miretur vti Apoſtolum noſtrum? Imperitiam igitur ſuam Hebraei ſermonis Auguſtinus (b) prodidit, *concupiſcentia oculorum* ſignificari ratus *nugacitatem ſpectaculorum.* Quam a vero ſenſu aberrationem cum & in aliis nonnullis deprehenderimus, libet φράσιν illam Hebraeam

(a) *Lib. II. cap. 20. §. 29. n. 3.*
(b) *Lib. III. de ſymbolo cap. 1.*

braeam reddere confirmatiorem, praesertim cum Wolfius in *Curis* suis huius rei curam non habuerit.

Iam cum e prouerbiis cuiusque nationis potissimum peti singulares eius loquendi formulae soleant, in manum sumemus veterem *librum selectarum margaritarum*, (c) ספר מבחר הפנינים, quem Latinum conuertit in sermonem & *Apophthegmata Ebraeorum* inscriptum a. 1591. edidit Ianus Drusius. Hic in *libro tertio* (d) *n. 251.* haec reperitur gnome: *Nemo est pauperior eo, qui non contentus sorte sua oculum habet insatiabilem, hoc est. homine auaro.* Et *primo* in *libro* (e) ista occurrit: *Cui haec tria adsunt, oculus bonus, spiritus contritus, & animus deiectus, is est discipulus Abrahami. Contra cui adsunt oculus malus, spiritus elatus, & animus amplus, is est discipulus impii Balaami.* Ad quem locum obseruat Drusius, ex Maimonidae sententia *oculum malum* hic esse *sollicitudinem circa diuitias:* ac ipsemet ita iudicat: *Oculum bonum habere dicitur, qui contentus est sorte sua, quam αὐτάρκειαν Graeci vocant. Huic opponitur oculus malus, id est, auaritia vel inuidia.* Indicari vero *auaritiam*, satis manifestum facit *Balaami* mentio. Vid. 2. Petri II. 15. & Iudae epist. *v.* 11.

In-

(c) Huius libri nulla mentio in Wolfii *Bibliotheca Hebraea.*

(d) *Pag.* 398. editionis Fabricianae, quae 1714. prodiit.

(e) *Pag.* 332. *n.* 12.

Ingrediamur vero nunc ipſum ſacrum codicem, vbi gnomas reperiemus prioribus ſimillimas. En Salomonis illam *Prov. XXVII. 20: Oculi hominis non ſaturantur*, hoc eſt, auaritia nunquam ſatis habet, ſed *quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.* Hoc ſibi velle Salomonem, alibi ipſe docet clariſſime, ita ſcribens *Cohel. IV. 8: Oculi hominis non ſatiantur diuitiis.* Eodem modo, cum *cap. V. 9.* dixiſſet, *auarum non ſatiari argento*, ita *v. 10.* deſcribit eius miſeriam: *Quid commodi ei inde, praeter adſpectum oculorum?* Vbi Geierus haec adſcripſit: *Oculos paſcit, quando tot nummorum aureorum argenteorumque cumulos, tot ciſtas, tot aceruos frumenti, tot agros, domos, hortos intuetur.* Addo *tot ſeruos, tantam armentorum pecorumque multitudinem. Mille (f) greges illi, totidemqueque armenta per herbas errant.* En denique & Siracidae gnomen *cap. XIV. 9*: Πλεονέκτȣ ὀφθαλμὸς ὀυκ ἐμπίπλαται μερίδι vel, vt eſt nonnullis in editionibus, μερίδος. *auari oeulus non expletur parte*, id eſt, portione ſua. Nec vero hiſtoricos Hebraeos ab hoc loquendi modo abhorrere, illud docet, quod *1. Regum XX. 6.* legimus: *Hoſtis tibi eripiet omne concupiſcibile oculorum tuorum*, hoc eſt, vt Flacius in *Claue* (g) interpretatur, *quidquid habes pretioſum & tibi valde earum.* Pertinet huc & illa Satanae ars, qui, cum (h) experiri vellet, an IESVS, quem & voluptate & ambitione ſuperio-

(f) Ouidius *Metamorph. IV. 635.*
(g) *P. I. p. 788.*
(h) *Matth. IV. 8.*

periorem esse iam cognouerat, *auaritiae* sit succubiturus, *oculis* eius omnes mundi opes subiiciebat.

Nunc igitur satis cognoscimus, apud Ioannem nostrum τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν non aliud esse, quam *auaritiam*, quae bona consectatur *visibilia*, cum sit sapientis, animum convertere ad venturae vitae bona, quae sunt adhuc *inuisibilia*. Ac sequitur hic Ioannes magistrum suum, CHRISTVM, *Marci IV. 9.* docentem, tria esse, quae, quo minus homines fiant regni DEI ciues, impediant, primo *curam splendoris mundani*, deinde *diuitiarum studium*, denique *voluptates*. Illud vero etiam firmat nostram interpretationem, quod Ioannes nominare hic se ait πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, non autem nominasset πᾶν, si mentionem omisisset *auaritiae*, *radicis* illius, vti Paulus (i) loquitur, *malorum omnium*. Ex quo apparet, istam Ioannis φράσιν de *auaritia* nobis interpretandam fuisse, si vel nesciremus, Hebraeam esse eam loquendi rationem. Quare & Patribus ecclesiae (k) veteribus hunc sensum assequi facile fuit, aliisque posterioris aeui interpretibus.

Augustini vero interpretationem supra allatam refelli necesse nunc non est, nec aliorum, qui

(i) 1. *Tim. VI.* 10.

(k) Cyrilli Alexandrini ac Theophylacti loca profert Suicerus in *Thes. eccl. T. I. p.* 1166.

qui nupet (l) existimarunt, *spectaculorum* (m) *delicias* ab Apostolo nostro significari. Posse eas hac appellatione signari, facile largimur. Verum inquirendum primum erat, quae vis & notio huius appellationis fuerit Ioannis aeuo, ita loquentis, vti loqui moris tum erat populo Iudaico: deinde cauendum, ne ταυτολογία tribueretur Apostolo, iam complexo spectaculorum voluptates sub *cupiditate carnis.* Nec a Gussetio non possumus dissentire, qui (n) a Ioanne respici arbitratur matrem nostram communem, auide spectantem pulchritudinem fructuum arboris vetitae. Ac sane *Gen. III. 6.* vocatur haec *oculorum concupiscentia.* Addimus, *Ezech. XXIV. 16.* caram vxorem nominari *desiderium oculorum.* Clare enim discernit Ioannes *cupiditatem oculorum* a *cupiditate carnis*, hoc est, voluptatum amore & studio.

(l) Etiam Erasmus in sua *Paraphrasi* putat, innui ab Ioanne *varia spectaculorum genera*: & in *annotatione* ad h. l. sua *ostentatiouem imaginum & nobilitatis* adiungit.

(m) Hanc opinionem nuper Theologus quidam ἀνώνυμος refutauit in den früh aufgelesenen Früchten *anni* 1740. *p.* 124. id potissimum vrgens, quod hac e sententia sequatur, non pertinere monitum Ioannis nisi ad clarissimarum vrbium incolas. Ipse vero non affert sententiam magis probabilem, censens, *cupiditatem oculorum* hic esse vitia puerilis aetatis, *cupiditatem carnis* vitia iuuenum, *superbiam vitae* vitia virorum senumque.

(n) In vltima pagina *Emendationum*, suis *Commentariis de lingua Hebraea* affixarum.

VI.

CAP. III. 20.

Ὅτι, ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, καὶ γινώσκει πάντα.

Primam hic difficultatem parit repetitum ὅτι, quod non ferendum rati quidam vel delendum cenſuerunt vel in ἔτι mutandum. Prius Grotio & Pricaeo placuit, idque eo magis, quod id verbuli neque Vulgata verſio habet nec vetuſtisſimus MS. codex Britannicus: cui alium deinceps adiunxit Millius. Nec poſterius diſplicebat Pricaeo, ante quem iam Henr. Stephanus legendum eſſe coniecerat ἔτι. Atque huic ſententiae fauebat etiam Eraſmus Schmidius, & nuper Io. Alberti, Theologus nunc Leidenſis, in *Periculo* ſuo (a) *critico.* Verum vanas eſſe hasce coniecturas, probe docuerunt alii. Scilicet prius ὅτι (quod hoc loco *nam* ſignificat, vti *cap. II. 16.* & *III. 9.* & *V. 6.* itemque *1. Cor. XIV. 37.*) a Ioanne repeti, adeoque adiiclendum ab interprete eſſe *inquam*, obſeruarunt acute Beza, Cocceius, Calouius, Ven. Langius, Rusmeyerus, & Bengelius, itemque Antonius (b) Blackwallus. Ac egregias his fert ſuppetias Thomas Wopkenius, nec praeſtantiſſimos Romani ſtyli artifices ab hoc pleo-

(a) *Cap. X. p. 35.*

(b) In *Criticae N. T.* Tomi prioris *P. II. cap. II. p.* 118.

pleonasmo abhorruisse, pluribus (c) docens exemplis.

Nunc ad ipsum textum accedimus, quem ita reddidit vetus ille Latinus interpres: *Quoniam, si reprehenderit* (rectius Lutherus *condemnat,*) *nos cor nostrum, maior est DEVS corde nostro, & novit omnia.* Recentiores quidam locum hunc ceperunt de statu tentationis piarum mentium, Seb. Schmidius, Spenerus, Ven. Langius, Zeltnerus, Wolfius, Bengelius. Obscurius hanc sententiam exhibet Ven. Rusmeyerus, istam proferens paraphrasin: **Wenn uns das Herz verdammet, so beziehet sich der Glaube auf GOtt, und, weil derselbe größer ist, als unser Herz, und alle Dinge erkennet, so stellet er demselben das Gericht und die genauere Untersuchung anheim.** Nobis vero antiquiorum huius loci interpretum placet opinio, Augustini, Vatabli, Bezae, Clarii, Hemmingii, Hunnii, Calouii, (d) Glassii, Piscatoris,

L 5 Tiri-

(c) In editis a. 1730. *Lectionibus Tullianis*, vbi *lib. I. cap. 6. p.* 30. hunc locum Ciceronis profert: *VT, si qui tremerent & exalbescerent, nihil VT esset,* caetera; & hunc eiusdem: *Quid est, CVR, cum domus sit omnium, vna. CVR is, quid ex quoque eueniat, perspicere non possint;* & hunc Liuii: *VT, quoniam --- deduci non potuisset, VT M. Liuium,* caetera; & hunc Gellii: *VT, quisquis haberet eum possideretque, VT is cum omni domo deperiret;* & hunc Flori: *SI, quod Poenum illum dixisse ferunt, Annibal SI, quemadmodum sciret vincere, sic vti victoria scisset.*

(d) *Philol. sacrae lib. V. tract. I. cap. 8. p.* 1613.

Tirini, Horneii, Cornelii a Lapide, Hammondi, & Erasmi Schmidii: qui postremus sensum Ioannis his verbis (e) exprimit, *Si condemnet nos cor nostrum seu propria mala conscientia, multo magis nos condemnabit DEVS, qui corde nostro maior est, & omnia nouit, ideoque etiam corda nostra* (f) *rectius, quam nos ipsi, nouit.*

Adhaerescunt hi verbis Apostoli simplicissime: id quod nostra haec ostendet paraphrasis.

V. 19. *Ex eo cognoscimus, nos esse veros Christianos, si vere amamus fratres, amoremque hunc ostendimus beneficiis: ac tum tranquillam habemus conscientiam, atque adeo pleni fiduciae DEO nos sistimus.*

V. 20. *Contra, si fuerimus hypocritae, ac nostra ipsorum conscientia nos condemnet, sique ipsimet sciamus, carere nos sincero & in beneficia effuso amore fratrum, multo magis*

(e) En similem & gemellam paraphrasin Harduini nuper editam: *Quoniam, si reprehenderit nos cor nostrum, quod verbo tantum & lingua, non factis & re ipsa, diligamus fratres, longe DEVS cor nostrum superat, intimos illius omnes recessus magis acute penetrat, & nouit multo melius, quam nos ipsi.*

(f) Huc pertinet illud *psalmi XC. 8: Posuisti iniquitates nostras coram te, absconditum nostrum ad luminare vultus tui*, hoc est, vt bene Fesselius *Aduers. sacr. lib. VII. cap. 3. §. 7.* interpretatur, *DEVS omnia peccata nostra, etiam minutissima & reconditissima, absque vlla obuelatione palam cognoscit & accurate obseruat.*

gis DEVS nos condemnabit, quippe qui (g) *omnia cognoscit intime, adeoque & animum nostrum penitius cognoscit, quam ipse se novit animus noster.*

V. 21. *Quod si igitur, carissimi fratres, ita sumus affecti, vt nostra nos conscientia non accuset ac damnet, o nos beatos, qui nullo metu damnationis perculsi summam habemus fiduciam* (h) *ad DEVM accedendi, cui nos tanquam obedientissimos filios scimus gratos esse & caros!*

Simul elucet ex hac paraphrasi, non esse hic locum siue ellipsi siue aposiopesi, quae nonnullis in mentem venit. Horneius enim in *Expositione literali* huius *Epistolae* ita capienda censet haec verba Ioannis: *Si nos condemnet proprium cor & conscientia, nihil relinquitur bonae spei apud DEVM, quia ille maior est corde nostro, & omnia nouit.* Calouius autem hoc modo putat supplendum esse apostoli hunc locum: *Si reprehendat nos cor uostrum, scire debemus, quod maior est DEVS*, caetera.

VII.

CAP. IV. 20.

Ἐάν τις εἴπῃ· Ὅτι ἀγαπῶ τὸν Θεὸν, καὶ τὸν ἀδελφὸν ἑαυτοῦ μισῇ, ψεύστης ἐστίν· Ὁ γὰρ μὴ

(g) Verba haec: καὶ γινώσκει πάντα, rectissime sic redduntur: *quippe qui cognoscit omnia.* Saepe enim καὶ est caussalis particula.

(h) Vid. & *cap. II.* 28.

μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτȣ̃, ὃν ἑώρακε, τὸν Θεὸν, ὃν ȣ̓χ ἑώρακε, πῶς δύναται ἀγαπᾷν;

Non eſt in his verbis obſcuritas grammatica, ſed logica. Verba omnia ſtatim intelliguntur ab omnibus: at, cum hic ſyllogismum (a) aliquem exhibeat Apoſtolus, de vi & forma huius ſyllogismi non idem omnes ſentiunt. Imo dolendum, plerosque eam Ioanni tribuere ratiocinationem, quae ipſo eſt indigna, imbecillam videlicet & ad perſuadendum non ſatis idoneam. Apparet vero hinc, non ita facilem eſſe huius argumentationis inueſtigationem: id quod inde quoque colligi poteſt, quod multi interpretes de hoc Apoſtoli ſyllogismo plane ſilent, nec, qua ratione credant argumentatum eſſe Apoſtolum, indicant.

Dedimus igitur operam haud perfunctoriam, vt veram inueniremus Ioannis argumentationem. Enimuero diu multumque inſpecto hoc loco hunc tandem deprehendimus Ioannis ſyllogismum: *Qui non amat eum, quem ob oculos habet, & cuius amore oſtendere quemque DEVS iubet amorem ſuum & obſequium erga ſe, is hoc ipſo prodit, ſe non amare DEVM, cui tanquam inuiſibili aliam ſuum*

(a) Venit aliquando in mentem Diſſertationem componere *de ſyllogismis ſacri codicis obſcurioribus.* Praeter eum, quem nunc tractamus, altioris indaginis ſyllogismi occurrunt *Matth. XXII.* 20. 21. *Ioan. VIII.* 47. *Gal. III.* 16.

suum amorem praestandi occasionem non habet. Consequentia haec satis manifesta est. Amoris enim erga DEVM naturalis & necessarius effectus est obedientia erga ipsius mandata, *Ioan. XIV.* 23. & 1. *Ioan. V.* 3. *Ergo, qui ait, a se amari DEVM, nec tamen amat fratres, mentitur, & id iactat, quod est a veritate remotissimum.* Non est, quod dubitemus, Ioanni haec scribenti ob oculos etiam esse versatam illam orationem CHRISTI, quam Matthaeus literis mandauit *cap. XXV.* 35 -- 45. vbi Saluator docet, se vltimo in iudicio ita allocuturum esse impios: *Vos me fame sitique laborantem nec cibastis nec potastis*; eisque responsuris: *O Domine, quam libenter cibum potumque tibi praebituri eramus, si te VIDISSEMVS sitientem esurientemque!* sic responsurum: *Si me amassetis, amassetis & meos, quos amari iussi. Iam, dum non amastis nec beneficiis prosecuti estis meos, hoc ipso demonstrastis, nec me a vobis amatum esse.*

Nunc etiam lucem accipit liquidissimam ille locus, qui 1. *Ioan. IV.* 11. 12. occurrit: ad quem & ipsum ita haeserunt multi interpretes, vt eius sensum minime perspexerint. Verba scilicet haec, *Si tam valde DEVS dilexit nos, etiam nos debemus alter alterum amare. DEVM enim ipsum nemo vidit quisquam;* hunc habent sensum: *Nos debemus amare inter nos. DEVS enim non est visibiliter nobis praesens: neque adeo immediate ipsi amorem demonstrare possumus nostrum. Quare amorem nostrum erga DEVM manifestare debemus aman-*

amando eius in CHRISTO filios, eius effigies ad imaginem DEI creatas.

Recitare nunc liceat aliorum quorundam de ſyllogismo Ioannis, *cap. IV. 20.* propoſito, opiniones. Horneius ita eum (b) argumentatum eſſe credit: *Qui non facit id, quod eſt facilius, is non debet credi id facere, quod eſt difficilius. Atqui fratrem amare eſt facilius, quippe cuius neceſſitates nobis ſunt cognitae: DEVM autem amare difficilius eſt, vtpote cuius cognitio a ſenſu remotior eſt. Ergo, qni non amat fratrem ſuum, is multo minus DEVM amare credendus eſt.* Annon aperte falſa eſt minor propoſitio? Annon amare DEVM ob tot ac tanta beneficia tum praeterita, tum praeſentia, tum futura, longe facilius & procliuius eſt, quam amare proximum, non nos afficientem beneficiis, ſed noſtrae opis indigum, noſtrasque facultates redditurum minores?

Ieiuna quoque eſt illa argumentatio, quam Ioanni tribuit (c) Erasmus. *Cum impii quoque,* in-

(b) Eadem argumentatio & Hammondo placuit, itemque Ven. Rusmeyero, ita ſcribenti: Wenn man eher dasjenige lieben kan, was man ſiehet, als was man nicht ſiehet, ſo folget, daß, ſo wir GOtt lieben, wir auch die Brüder lieben müſſen. Nun aber iſt es unſtreitig, daß man eher dasjenige lieben kan, was man ſiehet, als was man nicht ſiehet. Darum folget, daß, ſo wir GOtt lieben, wir auch die Brüder lieben müſſen. Und daher, ſo jemand ſaget: Ich liebe GOtt, und haſſet doch ſeinen Bruder, der iſt ein Lügner.

(c) Hunc eundem ſyllogismum Apoſtolo noſtro affingit in ſua ad h. l. annotatione Iſidorus Clarius.

inquit, *affectu quodam amplectantur proximum, vel quia cognatus est aut affinis, vel quia notus ac familiaris, vel quia homo denique videt hominem esse, quomodo DEVM diliget, quem non vidit vnquam, cum oderit proximum, quem videt?* Melior, sed nondum perfecta, est Nicolai Hemmingii interpretatio ratiocinationis Ioanneae, haec videlicet: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, hoc est, filium DEI, gestantem patris viuam imaginem, is sane nec DEVM patrem diligit. Qui enim fieri potest, vt patrem ames, & eius imaginem, quam vult a te diligi, odio habeas?*

ΠΑΤΕΡ ἡμῶν, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σȣ.

VII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE PRORECTOR ET COMES PALATINVS CAESAREVS CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS

S. THEOL. D. EIVSQ. ET HIST. LIT. PROFESSOR PVBLICVS.

Sunt

Sunt etiam ſua diſciplinis ingenia. Melius aliae viris conueniunt, aliae feminis. Seueritatis & grauitatis quae plus habent, ob id ipſum viriles ſunt: quarum maxima occupatio exornatio eſt & placendi oblectandique ſtudium, haud iniuria muliebres vocabuntur. Poſterioris generis diſciplinae, quas inter POESIS locum tenet principem, ab iis, ſiue viris ſiue feminis, excoluntur felicius, qui virile decus coniungunt cum elegantia & venuſtate muliebri. Quo in genere MARO ac NASO eminent, aurei poëtae aetatis aureae: quorum alter eum in modum temperat virile ingenii robur pulchritudine muliebri, vt illud tamen hac dicendum ſit eſſe maius, vtque Herculi ſimilis ipſe videri poſſit Omphales induto ornamentis; alterius in maſculo carmine praefulget atque oculos ad ſe rapit virginalis & mollities & formoſitas. Virilis itaque & heroici ingenii poëta inter Latinos ſummus ſummo merito ſemper habitus ille eſt, hic feminei; id quod poſterius vel muliebres illae querimoniae, nouem *Triſtium* libros implentes, faciunt manifeſtum: cum prior ille *arma virumque* canens tam longo in carmine nihil proferat, quod non armis viroque illo, quem canit, ſit digniſſimum. Efficitur hinc, iuſtiſſimum inter carminum artifices locum ſibi vindicare mulieres haud paucas, corporis an mentis ſuae venuſtas atque elegantia ſit admirabilior, relinquentes dubium, certisque documentis oſtendentes, muliebri ſe corpori incluſum cor virile gerere. Non eſt huius ſpatii, ho-

noris

noris caussa nominare Graecas & Romanas & Teutonicas poëtrias. Nec id fieri necesse est, cum docto cuique satis eae sint cognitae. Nihil tamen quicquam a poëtriis arbitror fieri virilius, quam si suam facultatem poëticam DEO, poëtici ingenii fictori, consecrent, MIRIAMAMque ac DEBORAM, MARIAM atque ELISABETAM imitantes vnice Numen celebrent suis versiculis, pia concinnantes cantica, virtutesque ac vitia suis ita describentes coloribus, vt lectori amorem illarum, horum odium inspirent & insinuent. Sunt quidem certe hae dignissimae, quarum mori vetentur nomina, quarumque capitibus imponatur corona gloriae publicae. Nec nostra aetas tam bonae notae poëtriarum inops fuit vel incuriosa, sed plures vidit in Parnasso incedentes coronatas. Eodem hoc honore cum iam aliquot abhinc annis (*in Historia Gymnasii Gottingensis cap. IV. §. 16. p. 270. sq.*) dignam iudicarim Matronam Nobilissimam,

ANNAM MARGARITAM PFEFFERIAM

Summe Reuerendi CHRISTIANI SPECHTII, Antistitis quondam Aulae Guelferbytanae primarii simulque Abbatis Riddagshusani, filiam; Summe Reuerendi IOANNIS GEORGII PFEFFERI, Dioecesis Seesensis Superintendentis Generalis, coniugem, sed marito optimo iam orbatam: quam adhuc puellam scio iam Latinas, imo Latinissimas, composuisse epistolas, Latinorum-

que poëtarum delicias patrium inuehere coepisse in sermonem; nunc accepta ab INVICTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE

CAROLO SEXTO

(quem DEVS seruet omnique felicitate beet!) potestate cupidissime vtor ad hoc exornandum caput corolla poëtica. Quam multa ab hac Matrona, quam docta & venusta, quamque item pia, contexta tam longo temporis tractu fuere carmina! Vel quae proxime ab ea ad me peruenerunt, quantae mihi sunt delectationi, quantae admirationi! Facio proinde, quod facere & licet & decet, vt publico hoc diplomate ipsam (a) creem ac renuntiem

POETRIAM CAESAREAM

impertiamque omnibus iuribus illis ac priuilegiis, quibus laureata talia capita frui gaudereque voluerunt Imperatores maximi sacratissimique. Sit hoc felix tibi, PFEFFERIA, Poëtria & gente & mente nobilissima, CHRISTIque eadem discipula & assectatrix fidelissima! felix, inquam, hoc tibi sit faustumque ac iucundum! virtusque tua poëtica posthac etiam aliis tui sexus nobilibus ingeniis incitamento sit, vt & poësin colant & ita colant,

(a) Ipsum creationis actum demandaui *Rud. Aug. NOLTENIO*, ICto Guelferbytano: cuius actus solennitas describitur in Kohlii Berichten von gelehrten Sachen 1739. *p.* 720. und 1740. *p.* 170. *sqq.*

colant, vt carmina effundant DEVM honorantia, virtutem & ſapientiam laudantia, pietatisque cultum vtroque in ſexu reddentia inflammatiorem.

Floreat in ſexu coeleſtis vtroque POESIS,
Nec, niſi quod ſanctum eſt proficuumque, canat.

Gottingae d. VIII. Oct. cIↄ Iↄ cc xxxix.

(L. S.)

VIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE PRORECTOR ET COMES PALATINVS CAESAREVS CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS

S. THEOL. D. EIVSQVE ET HISTORIAE LITERARIAE PROFESSOR PVBLICVS.

Tanto propinquitatis ac viciniae vinculo coniunctae ſunt *Theologia & Poeſis*, vt vel inter ethnicos vetuſtiſſimos, qui poëtae eſſent, a prae-

cipuo suo officio nominarentur *Theologi*. Pars videlicet religionis habebatur non postrema, hymnis celebrare Numen ac venerari: ideoque, qui Theologos inter nomen profiteatur suum, eundem esse hymnologum oportere, haud inepte credebatur. Subscriptores haec sententia nacta est pios omnis aeui. Ac de Hebraea quidem Ecclesia id ignotum est nemini, in qua eminentissimus & Poëta & Theologus erat DAVID, dux vtique & choragus vocandus sacri gregis poëtici. Nouo quoque in Testamento cum religione Christiana statim nascebatur Christiana poësis, ac iam Paulinis in epistolis ψαλμοὶ καὶ ὕμνοι καὶ ᾠδαὶ πνευματικαὶ laudantur: quae inter carmina fuisse noua quaedam, a Christianis composita, cur dubitem, nihil habeo. Secuti temporis Ecclesia, cuius doctores *Patrum* hodie appellantur titulo, quot quamque bonos habuit Poëtas Theologos! GREGORIVS Nazianzenus, AMBROSIVS, PAVLINVS Nolanus, PRVDENTIVS, quam illustria sunt in hoc genere nomina! Caeteros liberaliter nominauit in libro a. 1714. Neapoli edito *de poesi SS. Patrum, cum Graecorum, tum Latinorum*, Sebastianus Pauli, sacri vir ordinis. Succedentes his in ecclesia multis maculis deformata Waldenses nec ipsi noluerunt esse Poëtae theologici Theologique poëtici. Exstat cuiusdam ex illorum numero Ieremiae threnus, *Lectio nobilis* inscriptus, carmen egregiae cum pietatis, tum venustatis. His hoc etiam in stadio studioque successerunt Papaeorum desertores castrorum, quibus ad vera tradenda CHRISTI Apostolorumque

dogma-

dogmata ſignum auſpicato praetulerat Lutherus noſter. Ac memoratu ſane, imo laudatu, dignum, vix vllum inter primos repurgatae Eccleſiae Theologos fuiſſe, quin pia conficeret cantica: quae quibus hodie ſordent, eorum guſtum admodum vitiatum eſſe, primariarumque deliciarum turpiter faſtidientem, pronuntiare non dubitamus. Habemus LVTHERI ſacra carmina, eaque bene multa: habemus SPERATI, CRVCIGERI, IONAE, CNOPHII, BONNI, EBERI, SPANGENBERGII, MATHESII, GIGANTIS, FISCHERI, BECKERI, SELNECCERI, HELMBOLDI, MELISSANDRI, aliorum, pleniſſima piae iucunditatis carmina. Nec ex illo tempore, quo Lutherus ligato pariter ac ſoluto ſermone docuit, totque ſtrenuos habuit vtriusque doctrinae imitatores, noſtrae defuit Eccleſiae Theologicus Poëtarum chorus: quorum & nomina & carmina iam ſunt ad immortalitatem conſecrata. Non fert huius mei ſermonis breuitas, vel ſingulos vel potiores duntaxat nobilioresque laudari nominatim. Illud huic loco quammaxime conuenit, vt Auum Patremque eius inter Theologos eosdem & Poëtas commemorem, quem nunc produco poëtam in lucem publicam.

GOTTHILFIVM FRIDEMANNVM LOEBERVM

dico, *Ronneburgenſem*, Nobiliſſimum Theologiae Cultorem, eundemque carminum conditorem ſcientiſſimum, B. CHRISTOPHORI HENRICI,

RICI, Superintendentis Orlamundani, Theologi haud gregarii, nepotem; D. CHRISTIANI, Consiliarii nunc Consistorialis ac Superintendentis Generalis Ducatus Altenburgici, viri multis iisdemque magnis & in Ecclesiam & in remp. literatam meritis spectatissimi dudum celebratissimique, (quem & ipsum in ipso adolescentiae flore *Poëtam Caesareum* creauit AHASVERVS FRITSCHIVS, clarissimus ille & Iureconsultus & Politicus & Theologus,) filium, auitarum paternarumque laudum ita memorem, vt per viam virtutis ad easdem tendens dignissimum (a) se praestet & filium & nepotem. Quod igitur felix faustumque sit, doctissimum hunc iuuenem, & Latinorum & Graecorum & Hebraicorum carminum ingenio pariter & venustate commendabilium (vidi ego, vidi & probaui,) artificem, pro ea potestate, quam Prorectori GEORGIAE AVGVSTAE clementissime largitus est INVICTISSIMVS ROMANORVM IMPERATOR ET SEMPER AVGVSTVS

CAROLVS SEXTVS

Dominus meus longe clementissimus, (quem ad prouectissimam aetatem Imperio Romano Germanico, Regnisque suis ac tot praeterea Prouinciis, seruet illa *Maiestas, quae mundum temperat omnem!*) corolla poëtica dignissimum iudico, ac publico hoc diplomate creo ac renuntio

POE-

(a) Est nunc Ecclesiae Altenburgensis Pastor & simul Assessor Consistorii.

POETAM CAESAREVM

impertioque omnibus iuribus illis ac priuilegiis, quibus laureata Poëtarum capita frui gaudereque voluerunt Imperatores ſacratiſſimi: ſimul SVMME REVERENDO ipſius PATRI, conſobrino meo honoratiſſimo, hoc libens libenti delegans negotii, vt mea abſentis ſuſcepta perſona lauru Caeſarea cingat caput Poëtae ſtudia & Aui & Parentis ſtrenuiſſime pariter ac feliciſſime aemulantis, paterna ſimul eum coronans & ſacerdotali benedictione.

Maiorem in fidem literas haſce ſigillo Academico meaeque manus ſubſcriptione corroboro atque confirmo.

Gottingae XXIX. Octobris CIↃ IↃCC XXXIX.

(L. S.)

IX.

OBSERVATIO (a) MORALIS DE DISTINCTIONE IVRIS NATVRALIS IN ABSOLVTVM ET HYPOTHETICVM, ITEM DE DISCRIMINE IVSTI, HONESTI, AEQVI, AC DECORI.

Magnis adhuc inuolutam esse tenebris sanctissimam illam *Iurisprudentiae naturalis* disciplinam, & exploratum est inter doctos, & eo minus mirandum, quod non ita multi (*) ei excolendae expoliendaeque studium suum addixere. Illis ex parte dispellendis accommodata esse sentio ea, quae iam edisserere statui de quibusdam argumentis, a nemine, quod sciam, clare planeque expositis.

Primum

(a) Hanc a. 1712. inserui Tomo quarto *Supplementorum Actorum eruditorum p.* 410. *sqq.* Probabat ea se Gundlingio, in *Via* sua *ad Iurisprudentiam naturalem*, a. 1715. edita, cap. I. §. 18. eam commendanti huius disciplinae cultoribus.

(*) Intellige hoc de illo tempore, quo id primum scripsi.

Primum igitur nouam propono *Iuris naturalis* diuiſionem, eamque neceſſariam & explicandis difficillimis quaeſtionibus idoneam. Ea iſthoc nititur fundamento. Nimirum dupliciter (b) natura humana conſiderari poteſt: *primo* quatenus recte ſe habet, & dictaminibus rectae rationis ſponte obtemperat: *deinde*, quatenus corrupta & morbida eſt, impetusque a ratione auerſos promtius ſequitur, quam monita rectae rationis. Prior ſtatus facile animo repraeſentari poteſt, ad eumque tendere iubet ac viam demonſtrat doctrina Ethica. In poſteriori iam conſtituti ſunt homines ad vnum omnes, &, quamvis alius alio magis morbis mederi ſuis ſtudeat, tolli tamen hi penitus in hac vita non poſſunt.

Hoc nixus fundamento *Ius naturale* diſpeſco in *abſolutum & hypotheticum*. *Illud* voco, quod ſimpliciter praeſcribit, quae ad felicitatem humanae naturae, in ſe, id eſt, ſine corruptione conſideratae, ſpectant. Haec praecepta ſequens homo ſine interpellatione prauarum cupiditatum, quibus quippe carere fingitur, fit omnibus numeris beatus perfectusque. Abſoluti huius *Iuris naturae* praecepta, ex vniuerſali illo principio: *Sectare* (*verum*) *bonum*, emanantia, haec ſunt: *Ama Deum*, *te ipſum*, *& homines alios.*

(b) Neglectam hactenus fuiſſe hanc diſtinctionem magno incommodo, monuit etiam D. Io. Mich. Langius in libri *de nuptiis & diuortiis*, 1716. editi, Praefatione.

Hypotheticum dico, quod naturam deprauatam ac peruersam supponit, adeoque non haberet locum, nisi natura hominum morbis affecta esset grauissimis. Hoc proinde eatenus solum valet, ac tamdiu, quamdiu natura humana non est mutata in melius. Exemplis res fiet clarior. Duo sunt praecepta *Iuris naturae absoluti*, quibus omnia hominum officia mutua continentur. Prius est, vt neminem laedas, id est, malo afficias: posterius, vt cuiusuis commodis seruias, id est, bonum alterius promoueas. Quod si omnes homines vtriusque legis obseruantes essent, nec dominio proprie dicto locus foret nec imperio. Si enim homines omnes mutuo se complecterentur amore, & officia humanitatis, vt quidem debent, inuicem sibi praestarent, proprietatis studium cessaret necesse est. Si item nemo alterum (c) iniuria afficeret, imperio nullo humano, nulla vi externa foret opus, qua a malis mutuo inferendis arcerentur homines. Postea vero, quam neutrum vulgo obseruatur a mortalibus, sane ad mala, ex corrupto hoc naturae humanae statu oriunda, vel mitiganda vel auertenda certis rationibus vti iubet ratio, adeoque praescribit, vt & dominium & imperium introducatur atque sartum tectum conseruetur.

Ex

(c) Quintilianus in *Dialogo* suo *cap.* 41: *Quodsi inveniretur aliqua ciuitas, in qua nemo peccaret, superuacuus esset inter innocentes orator*, (id est, aduocatus,) *sicut inter sanos medicus.*

Ex iam dictis liquet, obligationem *Iuris naturae absoluti* esse absolutam, *hypothetici* hypotheticam. Nimirum Ius illud naturae absolutum cum natura humana simpliciter connexum est, ac proinde immutabili gaudet obligatione, eritque adeo, donec erunt homines. Sed Ius naturae hypotheticum duntaxat pro praesenti statu valet, ac mutationem subit, si ipsa hominis natura mutetur in melius & quasi conualescat. Sic legimus, summo amore inter primos illos Christianos flagrante *quodammodo* cessasse rerum dominium: cuius rei exemplum ipse Christus praeibat, viuens cum duodecim suis discipulis *Ioan.* XII. *6.* in communione redituum. Contra vehementer errant, qui hominibus ita, vt iam sunt, affectis & animatis optime consuli posse putant, antiquato ciuili imperio & introducta bonorum communione.

Cum vero naturae humanae corruptio tribus in vitiis consistat, ambitione, auaritia, & voluptate, iniuriae ex auaritia & ambitione oriturae reprimuntur, ortae tolluntur, per imperium ciuile: incommoda caetera ex auaritia in genus humanum redundantia tolluntur per introductum dominium. Cum vero & libido acrioribus stimulis mortales vrgeat, & ad laedendos alios incitet, idcirco prouidendum etiam fuit, ne vesana libido perturbet societatem. Hoc fine non solum leges erant ferendae, quibus occasio libidinis exercendae, quam fieri potest, longissime remoueretur, sed & grauissimorum suppliciorum metu muniendae. Quoniam autem corruptio

ruptio illa non vnam vel alteram gentem inuasit, sed vniuersos infecit homines, facile apparet, cur eiusmodi leges in omnibus rebuspublicis recte constitutis vigere debeant. Idcirco non modo in republica Iudaica, verum etiam in optima quaque republica aliarum gentium, concubitus parentum cum liberis, fratrum cum sororibus, seuere & propositis exquisitissimis poenis fuit prohibitus. Ex quo apparet, leges has *de incestu* non esse Iuris absoluti, sed Iuris naturalis hypothetici. Etsi igitur naturaliter illicitum non est ducere filiam vel sororem in matrimonium: quorum prius Adamus, posterius liberi eius fecerunt; tamen in rebuspublicis id esse debet interdictum, quia, id si permissum vulgo esset, in hodierno statu corrupto infinitis malis panderetur aditus. En *legem aliquam positiuam vniuersalem*!

Eandem ob causam in omnibus bene compositis rebuspublicis vetitum est, nudum incedere, & partes corporis libidinem excitantes conspectui diuersi sexus exponere: quod quidem in statu perfectae naturae vitii nihil haberet. Imo non solum tegumentis corporis vtendum est, verum etiam diuersam esse formam vestium vtriusque sexus, merito voluerunt legislatores prudentissimi. Ex quo simul patet, morem faeminarum, a libidinosis quibusdam Gallis inuectum, quo corpus suum denudando ac summa pectoris conspicienda & saltim oculis contrectanda praebendo, *pudorem profanant, & comitatem habent*

vul-

vulgati corporis vilitatem: quod de faeminis Perſarum ſcribit Curtius |V. 1. 38, rectae rationi pro praeſenti naturae humanae ſtatu aduerſari: contra ei conuenire, vt ex praecepto Pauli Apoſtoli faeminae mares a conſpectu libidinem irritanti omni modo arceant. Grauiter ac plane philoſophice huiusmodi mulieres alloquitur *Cyprianus*, librc *de habitu virginum cap. X: Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudice: oculos tuos turpi oblectatione nonpolluis, ſed, dum oblectas alios, ipſa pollueris.*

Cum igitur deprauata, id eſt, a ratione auerſa & in vitia procliuis ſit humana natura, Iurisque ſit naturalis, bonum ſectari: ex quo conſequitur, vt etiam duobus e bonis maius eligi debeat; hinc porro efficitur, vt homo ſemper debeat ad maiorem eniti perfectionem. Quaedam enim ita comparata ſunt, vt, ſi ſecus fiat, natura humana malum inde manifeſtum ſentiat, adeoque ad naturae conſeruationem ſunt neceſſaria: quaedam ita, vt, ſi omittantur, natura quidem non deſtruatur, ſed, ſi fiant, melius ſe habeat, & in perfectiorem ſtatum prouehatur. Prioris generis actiones *iuſtas* appelio: poſterioris autem generis omiſſiones quidem & ipſas *iuſtas*, ſed actiones *honeſtas*. Sic verbi gratia, pacta ſeruare, furto & homicidio abſtinere, Deum colere, cibum potumque ſumere, *iuſtum* omnino eſt. Per contrarias enim actiones malum infertur hominibus. Sed vxorem vnam ad tempus vitae ducere, *honeſtum* eſt: quanquam non

ſit

ſit iniuſtum, id eſt, ſalua natura hominis fieri poſſit, vt quis plures ducat vxores & ad certum quamque tempus.

Scilicet *bonum*, quod ſectari iubet natura, (eſt enim haec lex naturae fundamentalis,) eſt vel *conſeruatiuum*, hoc eſt, ad humanam conſeruandam naturam ſimpliciter neceſſarium; vel *perfectiuum*, hoc eſt, pertinens ad humanam naturam in meliore ſtatu conſtituendam. Prius ſectari *iuſtum*, poſterius *honeſtum* dicitur. *Iuſtum* igitur eſt, quod vel faciendum eſt, vt natura conſeruetur, vel, ſi fiat, certe natura non deſtruitur; *honeſtum*, quo facto natura perficitur. Vnde qui *iuſtum* ſequitur, non peccat, ſed recte facit: qui *honeſtum*, laudabilius ac rectius. Quibus verbis dum & *Grotius* alicubi vtitur, (vid. de I. B. P. I. 2. 1. 3; II. 1. 8; III. 3. 6. 3; III. 10. 1. 1.) ptodit, ſe quoque per tranſennam inſpexiſſe, id eſt, obſcure confuſeque animo ſuo repraeſentatum habuiſſe diſcrimen illud inter *iuſtum* & *honeſtum*. Quanquam cum illud minus accurate explicaret, commentatoribus ſuis aſſidue, ſed non ſatis merito, vapulauit. Vt autem in viam redeamus, *iuſtum* Deo, legis naturalis (quae non in cenſum dominicarum vel ciuilium, ſed paternarum, legum eſt referenda,) auctori, placeat, vel ſaltim non diſpliceat, *honeſtum* vero praeplaceat, neceſſe eſt. *Iuſtum* igitur eſt, partim, quod ſimpliciter debet fieri, ita vt aliter ſalui homines eſſe non poſſint; partim, quod licet facere, ita vt non deſtruatur, ſed ſalua permaneat humana

mana natura. *Honeſtum* autem eſt, quod homines & reddit & arguit perfectiores. Ex quo ſimul apparet, virtutem certos habere gradus, per quos ad perfectionis faſtigium adſcenditur.

Sed illuſtranda vberius eſt haec doctrina aliquot exemplis. Qui vxorem ducit, (en philoſophiam *Pauli* apoſtoli!) *bene*, id eſt, *iuſte*: qui non ducit, *melius* facit, id eſt, *honeſte*. Nimirum ſi quis libidinis ſtimulis concitatus matrimonium init, is facit, quod licet, imo ſaepius facit, quod ad euitandum iniuſtum fieri oportet. Contra qui exemplo Pauli virtute libidinem vicit, nec opus habet coniugii remedio, ac propterea eo abſtinet, is rectius facit. Qui enim ſuauiter & aequo animo in coelibatu viuit, is neceſſe eſt libidinem naturalem ſuperarit, & perſpexerit, nimis leue eſſe hoc bonum, quam vt eo capiatur mens generoſa. Pari modo *iuſtum* erat, cum Apoſtoli quidam ſtipendium ab eccleſiis acciperent: *honeſtum* vero erat, cum Paulus ad euitandam offenſionem id facere recuſaret, proprio ſibi labore victum comparans. Sic & *iuſtum* eſt, vt ante diximus, vxorem ducere ad certum tempus, vel plures eodem tempore adſciſcere in matrimonium: *honeſtum* vero eſt, vnam vxorem amare, idque per omnem vitam. Sic *iuſtum* quoque eſt, ſaepius cum coniuge rem habere, quam procreatio ſobolis poſtulat: ſed *honeſtum* eſt, *concubitum non appetere vltra generandi cupiditatem*, vt loquar cum Lactantio *lib*. V. *cap*. 8. *n*. 7. *Iuſtum* pariter eſt, occidere inuaſorem violentum:

ſed

ſed incidunt caſus, vbi *honeſtum eſt*, cadere malle, quam caedere. Eunuchus vxorem ducens non facit iniuſte. Quod ſi enim maritis licet ſaepius cum vxoribus congredi libidinis ſolum reſtinguendae cauſa, vbi non eſt pro fine procreatio ſobolis; quidni idem liceat eunucho (d) eundem in finem? At *honeſtum* huiusmodi coniugium non eſt, neque *decorum*. Quod idem pronuntiandum duco de coniugio duorum ſenum, vel vetulae cum adoleſcente. Vnde nec neceſſe eſt, eiusmodi coniugia in republica prohiberi: quanquam longe abſunt ab ſumma virtutis perfectione.

Obſeruandum hic porro eſt, honeſtam actionem, quatenus ad me ipſum refertur, & immediate meam voluntatem reddit perfectiorem, ſimpliciter & κατ᾽ ἐξοχὴν vocari *honeſtam*: quatenus vero refertur ad alterum, cui regulae honeſtatis aliquid praeſtari iubent, proprio nomine dici *aequam*. Ex quo apparet, *aequum* honeſto non opponi, ſed eſſe aliquam *honeſti* ſpeciem. Sic verbi gratia non eſt iniuſtum, ſi damnum alteri, quem facto quodam citra culpam laeſiſti, non reſarcias: ſin reſarcias, inprimis ſi opibus altero ſis inſtructior, honeſtum id & aequum erit. Ita & Princeps (e) vocatur *aequus*, qui in irrogandis

(d) *Duci poſſe vxorem, ſi non prolis cauſa, tamen ad vitandas vagas libidines*, Melanchthon cenſet ad 1. *Cor.* VII. 2.

(e) Ad ipſum DEVM applicari hoc poteſt. Scilicet ſi peccatores puniret illico, *iuſte* vtique faceret. At *ho-*

gandis poenis interdum de iure ſuo remittit, & paulisper humanae infirmitati indulget. Iuſtus quoque erat ille creditor *Matth.* XVIII. qui debitorem ſuum vendi cum vxore, liberis & caeteris rebus ſuis, iubebat, vt ſibi ſatisfieret: ſed idem id, quod *aequum* eſt, faciebat, cum ſuppliciter roganti debitum condonaret. Pari modo iuſtum eſt, ſi maritus ſponſam adulterii conuictam publice accuſet: ſed aequum ſe praebebat olim Ioſephus, cum in animum induceret, Mariam, eiusdem criminis ſibi ſuſpectam, clanculum dimittere.

Haec cogitatio nos perducit ad inueſtigandum & illud diſcrimen, quod inter honeſtum, iuſtum ac decorum intercedit. De iuſto quidem iam ſatis conſtat. Sed honeſtum nouam admittit diuiſionem. Nimirum honeſtum illud interdum intra latebras animi quaſi reconditum manet, & ſola honeſti viri conſcientia conſtat: nonnunquam vero prodit veluti in lucem & aliorum incurrit in oculos. Poſterius hoc honeſti genus proprio & apto nomine vocatur *decorum*. Maximum enim in virtute (f) *decus* eſt, nec homini

honeſtum & generoſum eſt, hoc eſt, perfectione diuinae naturae dignum, longanimitate vti, & placide ferre mala facinora hominum, iisque indulgere ſpatium temporis ad reſipiſcendum.

(f) *Nihil eſt amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum*, inquit Cicero *de amicitia cap. 8.*

mini maius comparari poteſt ornamentum, quam ſi habeatur pro homine virtutis ſtudio aſſidue dedito, & reliquis hominibus emendatiore ac meliore. Cumque omnis pulchritudo in amorem ſui alios rapiat, hinc fit, vt *decorum* quoque amorem & gratiam aliorum homini conciliet, eoque ipſo odium & inuidiam aliorum vel vincat vel molliat. Ex quo illud porro ſequitur, vt talis homo etiam caeteris magis idoneus ſit ad veram aliorum felicitatem, cum internam, tum externam, promouendam: propterea quod opinio virtutis auctoritatem parit, & fiduciam in aliis excitat. Ergo quicquid homini gratiam & amorem aliorum, nulla quidem violata lege, conciliat, vel auctoritatem ad alios adiuuandos vtilem, id decorum eſt: quae contra ſe habent, indecora ſunt. Hinc & obſeruatio decori partim ad honeſtum circa officia hominis erga ſe ipſum pertinet, partim ad honeſtum circa officia hominis erga alios. Sic v. c. Paulus Apoſtolus ſi duxiſſet vxorem, id, quod iuſtum erat, feciſſet: ſed decorum erat ipſi, abſtinere a matrimonio. Pari modo Lutherus haud ſane iniuſte fecit, vxorem ducens: at decorum vtique fuiſſet, ſi pro illo rerum ſtatu a matrimonio, ſaltim cum Veſtali virgine, abſtinuiſſet. Quantum enim ea re detractum ſit auctoritati eius apud aduerſarios & neutrius partis homines, docet Sleidanus *lib. V. &* *VI.* Apparet hinc etiam, vnam eandemque actionem ſimul interne honeſtam, ſimul decoram eſſe poſſe. Nam *decorum* nihil eſt aliud, quam hone-

honeſtum in luce, ſiue honeſtum (g) externum. Caeterum cum externam honeſti ſpeciem mentiri poſſint & illi, quorum animus virtute non eſt excultus: hinc decorum ſiue externum honeſtum interdum deprehendere licet in eiusmodi hominibus, quibus interna ac ſolida honeſtas curae cordique non eſt, e. g. in Phariſaeis, monachis, & pſeudopoliticis. Vti enim non omne metallum, quod ſplendorem auri prae ſe fert, auri habet naturam; imo & plumbum ferrumue auro poteſt obduci; ita virtutis ſpeciem repraeſentare poteſt homo virtute prorſus vacuum pectus geſtans. Nec illud hoc loco praetereundum eſt, *decorum* non conſiſtere in puncto, ſed magna gaudere latitudine, adeo vt ſaepe nil obſtet, quo minus actiones plane contrariae decorae ſint vtraeque, pro diuerſitate ſcopi, temporis, rerum aliarum. Sic decore faciebat Dominus noſter, cum ciuili more viueret, cumque aliis ederet biberetque. Neque vero minus decorum erat, cum Ioannes baptiſta plane contrariam ſequeretur viuendi rationem. Sic alio tempore Paulus Timotheum circumcidens decorum tuebatur: alio non modo indecorum, ſed plane iniuſtum arbitrabatur, circumcidere Titum.

Ex natura *honeſti* hactenus perueſtigata etiam illud cognoſci poteſt, honeſtum dependere

(g) Graeci *honeſtum internum* vocant ἀγαθὸν, *externum* καλόν. Vtriusque coniunctionem appellant καλοκἀγαθίαν.

a cultura animi, ac tempore opus habere, nec proinde legum positiuarum vi aut coactione obtineri, sed propria cuiusque industria, exemplis aliorum & amicis exhortationibus excitata. Vnde stulte & imperite faciunt, qui homines per saltum quasi quendam ad honestum euehere conantur: id quod vno exemplo demonstrabo. Dixi antea, honestum esse, si quis in coelibatu viuat, nullo Veneris oestro percitus. Cum autem, vt supra itidem monui, hic affectus omnium facillime arcem humanae mentis expugnet, recte vtique facit, qui infirmitatis naturae rationem habens (h) vxorem ducere, quam vri, mauult. Pedetentim enim in coniugio voluptatis istius ignobilitatem agnoscere, ac fortasse plane ad continentiam, exemplo quorundam priscae aetatis Christianorum, peruenire possunt virtutis studiosi coniuges. Quemadmodum enim infantes gressum tentaturi sustentaculo opus habent, alioqui lapsuri: sic homo quoque adultus gradatim ab imbecillitatibus suis liberandus est. Quare infantes temere ac sine serperastris ambulaturos, & sic proruendo caput misere ad terram allidentes, imitantur, hoc est, stultitiam suam produnt, qui Paulo Apostolo intempestiue aemulaturi voto se vel alios ad coelibatum adstringunt. Ex quo luculente patet imprudentia eorum, qui institutorum monasticorum vel auctores vel approbatores se

(h) Scite Grotius de I. B. P. II. 2. 21: *Sine faemina aetatem agere etsi humanae naturae non omnino repugnat, repugnat tamen naturae plerorumque hominum.*

se praebuerunt. Quibus & ii ex veteribus sunt adiungendi, qui nuptias secundas simpliciter vetitas voluerunt esse.

Caeterum nec illud obscurum potest esse, non licere a iusto ad honestum transire, si eo facto alter laedatur, adeoque contra aliquam iusti regulam peccetur. *Honestum* enim *iniustum* est σιδηρόξυλον. Vnde manifesti criminis rei sunt, qui sponso sponsaeue suadent, vt vel inuita parte altera voto se adstringat coelibatui, atque ita matrimonio renuntiet. Sic & Paulus 1. *Cor.* VII. 5. negat, alteri coniugum licere continentiae se addicere nisi impetrato alterius consensu. Ex eadem hac causa non dubito inconsultam pronuntiare illam Ioannis *Gerhardi*, meritissimi caeteroquin Theologi, sententiam, qua *Tomo VII. Loc. Theol.* §. 226. assentiens Papae Innocentio III. docet, si Turca polygamus ad Christianam transeat religionem, eum cogendum esse, vt missis vxoribus caeteris retineat vnam. Nimirum credebat bonus vir, polygamiam simpliciter Iuri naturali repugnare, (hanc enim rationem adiungit,) adeoque dispensationem, ab aliis doctis viris commendatam, hic locum habere nullum. Melius longe philosophatus est Apostolus, qui Iudaeis recens conuersis iniquissimum illud onus non imponebat, sed, vt sensim abrogaretur polygamia, episcopos ac diaconos monogamos esse, exemplumque coniugii honestioris caeteris praeire, iubebat.

Iam facile responderi potest ad quaestionem illam, vtrum etiam simus ad *honestum* obligati, non solum ad *iustum* seruandum. Nimirum omnino iubet ratio, vel potius Deus per dictamen rationis, vt semper tendamus ad altiora. Verum cum, vt dixi, saepe ipsa natura nimis corrupta & imbecillis obstet, quo minus id sine interuallo fieri possit, tunc iustum sufficit & conatus in honesto magis magisque proficiendi. Leges autem ciuiles plane non obligant ad honestum, nisi ex accidenti: quatenus scilicet iustum interdum nimis exiguo spatio ab iniusto seiunctum commode permitti ciuibus & promiscue non potest. Hinc exempli gratia legibus constitutum est, vt matrimonium sit viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitae consuetudinem continens. Eandem ob causam polygamia & quorundam proxime cognatorum coniugia sunt in ciuitatibus prudenter institutis interdicta.

Ne vero quicquam obscuritatis relinquatur ex homonymia *honesti*, eam hic paucis explicabimus. Plerique enim confusissimam *honesti* ideam animo conceperunt. Ac recte obseruauit *Io. Clericus Art. Crit. P. II. Sect. I. cap. 9. §. 9. p. 336.* ethnicos philosophos id *honestum* vocare solitos, cuius rationem reddere nullam poterant. Idem contigit *Pufendorfio*, qui id, quod bonum esse ipsi videtur, nec tamen ex ipsius principiis perspicue deduci potest, *aequum* appellat, & ad hoc asylum in difficillimis quaestionibus confugit. *Honestum* igitur primo dicitur, quicquid

legi-

legibus est conforme. Atque hoc sensu honestum & iustum sunt synonyma. Quando vero honestum iusto opponitur, tunc *honestum interdum* idem significat, quod *decorum:* quo sensu a *Cornelio Nepote* in praefatione, & ab aliis passim, vsurpatur. Huc pertinet, quod hodie *honestum virum* Galli & aliae gentes vocant eum, qui non peccat contra leges & mores ciuiles. Videatur *Clericus T. II. Parrhas. p. 237. sqq. Interdum* id *honestum* dicitur, quod imperfecta; *iustum,* quod perfecta obligatione praestare debemus. Denique *interdum iustum* vocatur, quod si facias, alter de illata sibi iniuria queri non potest, licet per se diuinae voluntati repugnet: *honestum,* quod exacte legi respondet. Hoc sensu e. g. iustum est, vlcisci inimicum, necare obsides, &c. sed non honestum. Huc pertinet Iureconsultorum illud: *Non omne quod licet, honestum est.* Postrema haec distinctio conuenit cum illa *Grotii,* qua iustitiam diuidit in *internam & externam.*

APPENDIX

De legibus positiuis vniuersalibus.

Quod possibile sit, DEVM vniuerso generi humano praescribere leges positiuas, de eo disputari non debet. Quis enim neget hanc possibilitatem? Ac vti Rex aliquis legem dare potest cunctos suos ciues obligantem, sic etiam Rex totius mundi ferre potest legem, quae totum mun-

dum, hoc eſt, omnes ac ſingulos homines obliget. Quaeritur autem, an reuera dederit DEVS tales leges praeter leges naturales, h. e. an toti orbi dederit legem aliquam poſitiuam. Hic certum haberi debet, Deum, ſi tales leges dedit, miſiſſe legatos in omnia terrae loca, qui eas promulgarent omnibus & ſingulis. Lex enim non obligat, niſi promulgata. Deinde & hoc neceſſe eſt, ea in loca, vbi memoria illarum poſitiuarum legum ſucceſſu temporis interiit, a DEO miſſos eſſe nouos legatos iuſtis clariſque diuinae legationis criteriis inſtructos, qui homines illos docerent, velle hoc vel illud DEVM ab hominibus omnibus & ſingulis fieri, vel non fieri. Vbi id non eſt factum, ibi lex DEI ſine hominum tum viuentium culpa eſt ignota. Iam vero lex ignota non obligat. Iuſtiſſima igitur cauſa eſt negandi leges DEI poſitiuas vniuerſales, cum non ſolum earum promulgatio demonſtrari non poſſit, ſed etiam certum ſit, eas non fuiſſe toti terrarum orbi promulgatas. Quod ſi quis ſtatuit, promulgationem earum fieri potuiſſe per ſcripturam, itemque per traditionem oralem; ad prius reſpondeo, nullam ſcripturam olim a Deo datam fuiſſe vniuerſo hominum generi. *Non agit DEVS ad hunc modum cum omnibus gentibus, neque manifeſtauit eis ſua iudicia*, inquit Pſaltes hymno CXLVII. 20. Ad poſterius reſpondeo, hunc non eſſe iuſtum modum patefaciendi legem aliquam diuinam. Quodnam enim erit criterium traditionis verae certaeque? Nonne ſemper prudentioribus in mentem veniet illud: *Narrauere*

pa-

patres, & nos narrabimus omnes, hoc eſt, cum patribus & maioribus noſtris erramus.

Quidam in Kohlii *Nouis literariis* anni 1741. p. 443. ſtatuit, DEVM dediſſe Eccleſiae Hebraeae certas leges poſitiuas in perpetuum valituras: iam vero omnes homines olim debuiſſe ſe aggregare ad Eccleſiam Iudaicam, atque hoc modo ad cognitionem talium legum peruenire: ita igitur has leges factas fuiſſe leges Dei poſitiuas vniverſales. Reſpondeo, eum, qui ſtatuit, homines remotiſſima a Iudaeis loca inhabitantes, e. g. Germanos veteres, amplecti oportuiſſe religionem Iudaicam, cuius vel nullam habere potuerunt notitiam, vel certam de diuinitate religionis Iudaicae ſcientiam aſſequi nequiuerunt, eum, inquam, qui ita ſtatuit, ſtatuere, Deum eſſe iniquiſſimum humani generis iudicem. Quam iniquum enim eſt, exigere aliquid ab aliquo, quod ipſius non eſt in poteſtate poſitum!

Concludo nunc, leges Dei vniuerſales multas fuiſſe hominibus cognitas per lumen naturae omnibus commune, (loquor, vt apparet, de legibus & iure naturae,) at leges Dei poſitiuas vniverſales nemini fuiſſe cognitas. Lex autem incognita non eſt lex. Ergo non dantur leges Dei poſitiuae vniuerſales. Iam quod ad inceſtum attinet, ita ſtatuo. Lege naturali vetantur, qui in ciuitate viuunt, facere, quod ſocietati ciuili noxium eſt eamque reddit perturbatiſſimam. Iam vero concubitus cum parentibus, fratribus, vel

ſororibus, ſtatum reipublicae, pro praeſenti humanae naturae conditione & corruptione, reddit perturbatiſſimum. Ergo in omnibus ciuitatibus interdici debet ſeueriſſime: quae adeo eſt lex ciuilis vniuerſalis, hoc eſt, omnium rerump. communis.

X.

DISSERTATIO (a) DE VOCATIONE DIVINA AD MINISTERIVM ECCLESIASTICVM.

LEMMATA.

Vtilitas & neceſſitas huius meditationis exponitur, I. Deſiderarunt nonnulli accuratiorem huius argumenti pertractationem, II. Vocationis *definitio, III. Eius in* generalem *ac* ſpecialem *diuiſio, & vocationis generalis definitio, IV. E generali DEI vocatione demonſtratur, & LVTHERVM diuinitus vocatum fuiſſe ad reformandam eccleſiam, & Paſtores noſtrae eccle-*

(a) Eſt Diſputatio in auditorio Theologico 1747. d. 28. Martii habita Reſpondente *Leonhardo Heiſſio,* Memmingenſi, Paſtore nunc Eccleſiae patriae.

ecclesiae bonos omnes iure sibi asserere diuinam sui vocationem, V. *Vocatio Pastorum diuina supponit institutionem ordinis sacri diuinam, quae in Nouo Testamento a* CHRISTO *facta*, VI. *Vocatio Apostolorum* immediata, *etiam Matthiae*, VII. *Vocatio Pastorum diuina* mediata *per Apostolos*, VIII. & *per Euangelistas*, IX. *Qualis sit posterioris temporis adeoque & hodierna Pastorum vocatio* specialis, *diuina an humana*, X. *Ius vocandi Pastores Episcopis solis Pontificii tribuunt iniuste*, XI. *Origo huius potestatis Episcopalis*, & *damna hinc illata cum ecclesiae, tum reipublicae*, XII. *Protestantes Principes ius illud iure sibi vindicasse, docetur*, XIII. *Minus accurate specialis hodierna ad Pastoratum vocatio appellari solet* diuina mediata, XIV. *Notatur error eorum, qui ad Pastoratum siue primo siue iterum vocati circumspiciunt diuinae vocationis specialis criteria*, XV. XVI. XVII. *Obseruatio de singulari DEI circa quorundam, e. g.* Lutheri, *operam ecclesiasticam prouidentia*, XVIII. *De certitudine vocationis diuinae ex interno Spiritus sancti testimonio*, XIX. *Conclusiones practicae ex eo deductae, quod* humana *hodie est Pastorum vocatio specialis*, XX. XXI. XXII. *Diuina vocatio asseritur etiam Theologis Academicis, Catechetis item cum ecclesiarum, tum scholarum*, XXIII. *Etiam magistratus, tum supremos, tum inferiores, itemque coniuges, diuinam ad sua officia vocationem habere, demonstratur*, XXIV. *Appendix de* vocatione interna, XXV.

D. G.

D. G.

I.

Maximae dignitatis & sanctitatis est munus eorum, qui doctrinam tradunt Euangelicam & aliis viam praemonstrant certissimam ad DEVM perfectissime fruendum in aeternis illis sedibus. Hi si satis cognitum habent, diuinis auspiciis se id muneris suscepisse, ac DEO fauente in CHRISTI vinea laborare, inter maximos labores iucunde hoc munus obeunt, & ne tum quidem, cum fidam sui muneris administrationem aliqua calamitas excipit, franguntur animis, sed paternae eius, qui ipsos esse iussit pastores sui gregis, curae sese totos permittunt. Accidit autem subinde, vt modo Pastor aliquis de diuina sui ad hoc munus vocatione siue prima siue posteriore dubitet, modo candidatus aliquis Pastoralis muneris haesitet, an, quae ad se peruenit, vocatio sit etiam diuina vocatio. Anxiarum huius generis mentium multa occurrunt exempla in Speneri cum Latinis, tum Germanicis *Consiliis theologicis*. Hi igitur *scrupuli*, quos ille (a) vocat, tolli debent a Theologis, & ad liquidum ita perducenda haec doctrina, vt falsae de diuina Pastorum vocatione opiniones exterminentur, vera sententia firmissimis superstruatur fundamentis. *Magnum est* enim *solatium legitima vocatio*, vt Balduinus

(a) Theol. Bed. *T. V. P. I. p. 352. & 356.* itemque *T. I. P. I. p. 577. sq.*

nus (b) ait: & qui, quae ſit vocatio legitima, cognitum habet, etiam Pontificiis erudite reſpondere poteſt, carere noſtram eccleſiam veris Paſtoribus, occlamitantibus.

II.

Etſi vero clariſſimus ille ſuae aetatis Theologus, Ioannes Gerhardus, praelongum exhibuit (c) de hoc argumento ſermonem; Balduinus (d) etiam *caſus conſcientiae circa vocationem ad miniſterium verbi* ſuſcepit excutiendos: alios vt praeteream; non tamen defuerunt, qui, nondum ſatis eſſe extricatum hoc argumentum, rati accuratiorem deſiderarent eius pertractationem. Ipſe Spenerus, cuius tot exſtant de diuina ad Paſtoratum vocatione diſſertatiunculae, (e) optabat, vt aliquis Theologorum hanc theologiae dogmaticae partem enodaret & omnibus huius generis quaeſtionibus perſpicue ſatisfaceret: qui & ingenue faſſus eſt (f) alicubi, ſe peruenire nunquam potuiſſe ad certam criteriorum diuinae vocationis cognitionem. Agnoſcit item (g) Ven. Weis-

(b) *Caſ. conſc. lib. IV. cap. 5. caſu I. p. 753.* Eodem modo Mart. Chemnitius loquitur in *Loco de Eccleſia T. III. p. 145. b. Certitudo diuinae vocationis*, inquit, *ad hoc prodeſt, vt miniſtri eccleſiae maiori diligentia, fide & alacritate officium ſuum faciant.*

(c) In *Loc. Theol* Tomo ſexto *p. 78-100.*

(d) *Lib. IV. cap 5. p. 752-767.*

(e) Theol. Bed. *T. II. p. 402.*

(f) *T. III. p. 851.*

(g) *Inſtit. theol. exeg. dogm. L. XIV. p. 1061.*

Weismannus, argumentum hoc (quod *delicatum* appellat, hoc eſt, non facile perducendum ad liquidum ſine multorum offenſione,) noua cura indigere. Qui cum ob multas, quibus prae compluribus aliis praeditus eſt, virtutes theologicas maxime ſit idoneus ad hunc veluti labyrinthum permeandum, haud dubie vna cum nobis alii iniucunde legent haec eius verba: *Non licet in praeſentia delicatum hoc argumentum pro dignitate euoluere.* Quod idem ſecum animo dixiſſe videtur alter nouiſſimus *Syſtematis theologici* ſcriptor, Buddeus. Nam nec hic, niſi perfunctorie, tractauit (h) hanc materiam. Audacius igitur facere nos videbimur, aſperam hanc viam ingredientes & ad metam peruenire conantes. Verum cum poſt longam ſatis meditationem deprehenderimus, non ita difficile eſſe ex hoc profundo emergere, ſed, ſi cum ſacro codice rectam Rationem coniungas, & praeiudicia quaedam ac vocabula minus propria abiicias, plana reddi poſſe omnia; non dubitamus ediſſerere hic hoc argumentum, maiorem tamen ſimul in modum precantes, vt perſpicaciores haec noſtra vel illuſtrent magis, vel etiam emendent, vel denique ſuppleant.

III.

Feliciter ſolemus progredi in veritatis indagatione, cum iuſtas praemittimus & definitiones & diuiſiones. Ordiamur proinde & hic a defi-

(h) *Inſtit. theol. dogm. lib. V. cap. 4. §. 4-9.*

definitione *vocationis* atque ab eius diuiſione quadam praecipua. *Vocatio* a *voce* nominatur, hoc eſt, ab expreſſis ſiue ore ſiue ſcripto verbis eius, qui cuipiam munus aliquod demandat. *Vocat* igitur dominus ſeruum ſuum, Princeps ſuum legatum, cum verba emittit, quibus, quid fieri velit, docet perſpicue. *Vocabat* ita DEVS Noachum ad exſtruendam nauem, Moſem ad condendam Hebraeorum ex AEgypto prius educendorum rempublicam. *Vocabat* eodem modo CHRISTVS Petrum & Ioannem, cum fratre vtrumque ſuo, ad diſcipulatum, poſteaque ad munus apoſtolicum. *Vocabat* Ioſephum DEVS per angelum ſuum ad petendam cum Ieſulo & matre eius AEgyptum. *Vocabat* DEVS voce ſua Aaronem in deſertum, ac tum eum per Moſem vocabat ad alloquendum Pharaonem. Facile intelligimus, vtramque vocationem vere ac proprie dici *vocationem*, hoc eſt, non ſolum eam, qua DEVS ipſe vocat, ſed illam etiam, qua per alium DEVS vocat aliquem: quarum illa *immediata* nominari ſolet, haec *mediata*. Apparet hinc, improprie & incommode dici *vocationem*, vbi vox a DEO nulla fuit edita: confuſionique praeberi materiam, cum in vnam claſſem referuntur vocationes Paſtorum hodiernae & vocationes Prophetarum Apoſtolorumque. Hi enim a DEO vocati erant nominatim: illi non ita vocati ſunt a DEO, neque immediate neque mediate: quae quanta eſt differentia!

IV.

Quam polliciti sumus vocationis diuisionem praecipuam, ea est, qua vocatio alia vocatur *specialis*, (quam etiam indiuidualem vel personalem appellare licebit,) alia *generalis*. Prioris exempla aliquot modo produximus. Generalis illa est vocatio DEI, cum declarat voce edita, se velle munus aliquod administrari a certo hominum genere. Hoc modo vocati fuerunt posteri Aaronis ad fungendum summum sacerdotium: hoc modo Leui progenies ad seruitia praestanda ecclesiastica: hoc modo Dauidis posteritas ad gerendum regnum. Eodem hoc modo DEVS omnes homines vocauit ad amplexandum euangelium, iubente CHRISTO apostolos id propagare per orbem vniuersum, ἕως (i) ἐσχάτου τῆς γῆς. Non autem illo solum tempore fieri id voluit CHRISTVS, sed omni tempore, ἕως (k) τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Quare hoc ipso clarissime iussit (l) semper esse doctores Euangelii, praedixitque, nunquam se (m) missurum non esse idoneos operarios. Quicunque igitur ad sacras veritates tradendas idoneus est, iure audit vocem illam DEI generalem, eaque impulsus siue ore siue calamo, idque vel priuatim vel publice, impertire studet alios iusta earum scientia.

V.

(i) *Act. I. 8.*
(k) *Matth. XXVIII. 20.*
(l) *Eph. IV. 11. sq.*
(m) *Matth. IX. 38.*

V.

Agnoſcimus hinc vocationem diuinam (n) Lutheri ad impugnandos errores in eccleſiam invectos & ad reſtituendam doctrinam apoſtolicam. Agnoſcimus item diuinam vocationem omnium Paſtorum, & ſcientium ſatis, quae docenda ſint, & morum ſanctitate ſcientiam ſui gregis facientium practicam. Atque ita quilibet bonus Paſtor certus eſſe poteſt de vocatione ſui diuina, & ſperare ab eo, qui ſe vocauit, tum laboris in hac vita ſucceſſum, tum aeternum operae ſuae fideliſſimae pretium. Eant nunc Pontificii, ob ineptiſſima quaedam praeiudicia, quae iam olim (o) inſectati ſumus, non ſolum Lutherum habentes pro doctore & religionis reformatore diuinitus non vocato, ſed etiam, noſtra in eccleſia eſſe Paſtores veros, hoc eſt, vt Gregorius (p) Magnus

(n) Generalem hanc vocationem ſufficere ad probandum, diuinitus vocatum fuiſſe Lutherum ad eccleſiam reformandam, agnoſcit Buddeus in *Apologia eccleſiae Lutheranae contra Iauorskium p. 94.* & Danhauerus in *Hodoſophia Chriſtiana p. 111.* edit. a. 1649. qui eandem doctrinam in *Lacte* ſuo *catechetico* protulit, ſingularem in *Parte* eius *octaua* exhibens Diſſertationem *de vocatione Lutheri legitima;* itemque Iac. Basnagius in *Hiſtoriae eccleſiarum reformatarum* Gallice ſcriptae *T. II. lib. I. cap. 3. §. 8;* nos denique ipſi in edita 1717. Diſſertatione *de Lutheri vocatione diuina.*

(o) In *Diſſertationis* modo memoratae *P. I. §. 1. & 2.* ac *P. II. § 13. 14. 15. & 16.*

(p) In *Regulae Paſtoralis cap. 1.*

gnus loquitur, *diuinitus vocatos*, perfricta fronte negantes.

VI.

Transituris nunc nobis a generali Pastorum vocatione ad specialem necesse est praefari de diuina institutione sacri ordinis. Supponit namque vocatio doctorum ecclesiae institutionem ordinis eorum siue ministerii ecclesiastici. Iam constat, DEVM in carne manifestatum, IESVM CHRISTVM, esse in N. T. (de veteri enim disputare nunc supersedemus.) conditorem muneris (q) Pastoralis. Cum enim vellet, omnes homines (r) peruenire ad cognitionem veritatis, non poterat non emittere doctores Euangelii. *Quomodo* (s) *enim credent ei, de quo non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicanti? Et quomodo praedicabunt, si non mittantur?* Praescripsit etiam Christus sua Pastoribus officia, tradere eos iubens doctrinam salutiferam, remittere credentibus peccata, & administrare duo illa, quae instituit, sacramenta. Rex autem cum sit ecclesiae CHRISTVS perpetuus, omni tempore prouidit, ne deessent boni doctores. Quare mediis in tenebris aeui medii fuerunt hic illic, qui & docerent vera & pio viuendi exemplo praelucerent

(q) Hoc nomen Christus ipsemet imposuit huic muneri, *Pasce oues meas*, *Ioan. XXI.* 15. 16. 17. ad Petrum inquiens.

(r) 1. *Tim. II.* 4.

(s) *Rom. X,* 14. & 15.

rent suis auditoribus: id quod ex historia (t) ecclesiastica iucundum piis est cognoscere.

VII.

Primum autem demandauit hoc munus viris duodecim ipsemet, eosque post suum ad Patrem reditum, cum antea sua in schola per triennium & amplius profecissent tardius, immisso in eorum pectora Spiritu sancto doctores effecit perfectos & nunquam errantes, ac praeterea miracula patrandi facultate instruxit, ne quisquam iure dubitare posset de diuinis eorum auspiciis. Immediata igitur erat horum vocatio: qualis an & Matthiae vocatio fuerit, qui discipulo apostatae successit vnusque e duodecimuiris factus est, fortasse (u) dubites. Verum breui opus est consideratione, vt intelligas, etiam huius vocationem fuisse immediatam. Cum enim Apostoli fratresque caeteri duos iudicassent ad hanc successionem prae caeteris omnibus idoneos, DEVM precabantur, vt, si alter horum sibi placeret, per sortem ipse eum vocaret & Apostolum constitueret. Quod cum factum sit, a solo (x) Deo vocatum eum esse ad Apostolatum, perspicue cognoscimus. Nec obiicias, quod ante §. 111. diximus, vocationem DEI non esse, vbi *vox* a DEO nulla

 fuit

(t) Pertinet huc Flacianus ille *Catalogus testium veritatis*.

(u) Haesitat & Chemnitius *Exam. Conc. Trid. P. II. L. XIII. Sect. IV.* §. 12. Agnoscit vero & ostendit vocationem *Matthiae* immediatam Bengelius in *Gnomone N. T.* ad *Act. I.* 23. 24. & 26

(x) Hoc etiam Bellarminus vidit *lib. I. de Clericis cap.* 5.

fuit edita. *Vox* enim DEI vti ſunt verba iuſſu eius ſcripta, ſic etiam *vocis* vim habet ſors a Deo recta, perque eam non minus *loquitur*, quam per verba chartae mandata. Omnino autem hic ſupponendum, Apoſtolos hanc ſortitionem feciſſe iuſſu diuino: ne quis putet, quamvis ſortitionem habere eam vim, vt inſtar vocis DEI haberi debeat.

VIII.

Immediatae huic Apoſtolorum vocationi (qualis & Pauli erat vocatio, ad quem creandum Apoſtolum CHRISTVS deſcendebat coelo,) ſucceſſit *mediata*. Poſtea enim Apoſtoli nouos crearunt Paſtores, e. g. Paulus Titum ac Timotheum: quos ab ipſo CHRISTO per Paulum vocatos & doctores conſtitutos eſſe, vel ex *Act. XX. 28.* ſcimus. Duplex eſt autem vocatio mediata. Non enim ſolum illa mediata dicitur, cum DEVS per certum legatum ſuum vocat aliquem nominatim, e. g. Eliſam per Eliam, Saulem ac Dauidem per Samuelem; ſed illa quoque nomen hoc recte gerit, cum Apoſtolorum aliquis tanquam vir θεόπνευςος quempiam, etſi non ſibi nominatim a DEO indicatum, Paſtorem eccleſiae conſtituit. Hoc ex illis CHRISTI verbis (y) ſatis intelligimus: *Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei per vos loquitur*. Quae verba hanc ſententiam complectuntur: *Quem Apoſtolorum aliquis Paſtorem creat, eum non tam Apoſtolus ille creat,*

(y) *Matth. X. 20.*

creat, quam, qui in eo habitat & per eum agit, Spiritus ſanctus.

IX.

Mediata erat etiam illa Paſtorum vocatio, quae deinceps fiebat per Euangeliſtas. Nam & hi diuino inſtinctu id faciebant ſingulare adepti (z) χάϱισμα. Qua de cauſa & hiſtoria CHRISTI ab Euangeliſtis, Marco & Luca, ſcripta non minorem in eccleſia fidem habet hiſtoricam, quam ea, cuius ſcriptores ſunt Apoſtoli, Matthaeus & Ioannes. Titum igitur, qui inter Euangeliſtas erat, per Cretae inſulae vrbes vocaſſe & conſtituiſſe (a) legimus doctores eccleſiaſticos. Idem de Timotheo (b) conſtat.

X.

Vidimus, qualis fuerit Paſtorum vocatio in eccleſia (c) plantanda. Nunc, quomodo ſe res haec habuerit & adhuc habeat in plantata eccleſia, diſpiciendum. Eccleſiis videlicet iam plantatis poſt mortem Apoſtolorum & Euangeliſtarum noui ſubinde dandi erant Paſtores, & ad finem vsque mundi dari debent. Ceſſante iam diuina ſpeciali ſiue indiuiduali Paſtorum vocatione,

(z) *1. Tim. IV. 14.*
(a) *Tit. I. 5.*
(b) *1. Tim. V. 21. & 22.*
(c) Non eſſe hic negligendam hanc diſtinctionem, ſapienter monet Gerhardus in *Loco de miniſterio eccleſiaſtico* §. 103.

tum immediata, tum mediata, (vtramque autem cessasse constat, cum hodie quoque nemo vocetur ad Pastoratum vel ipsius CHRISTI voce vel per aliquem Apostolum aut prophetam,) Christianis ipsis a DEO permissa est libertas adsciscendi sibi Pastores, *diuinae*que vocationi speciali successit *humana*. Certa tamen norma his electoribus praescripta est, quam qui sequuntur, ecclesiis dabunt Pastores bonos, quos seruos suos (d) agnoscet Christus, & nouissimo die vocabit ad fidelitatis suae fructus sine fine percipiendos. Norma illa siue regula exhibetur in Paulinis *ad* (e) *Timotheum* ac (f) *Titum Epistolis*: quorum locorum sensa cum iamdudum (g) pro virili exposuerim, nihil nunc addo. Illud probe monendum, talem *humanam* Pastorum vocationem, si fiat praecepto Apostoli conuenienter, rectissime etiam appellari *diuinam*; &, quem in modum Petrus (h) magistratum ciuilem κτίσιν ἀνθρωπίνην, Paulus (i) διαταγὴν τȣ̃ Θεȣ̃, sic etiam Pastores recte dixeris & esse vocatos ab hominibus, & suo munere fungi diuinis auspiciis. Distingui (k) scilicet oportet inter institutionem siue constitu-

(d) *Non ego agnosco vos*, olim inquiet Christus ad malos Pastores, *Matth. VII. 23.*

(e) *1. Tim III. 2. sqq.*

(f) *Tit I. 6. sqq.*

(g) In Disp. Isenaci a. 1712. habita & in *Poeciles T. I p. 302. sqq.* recusa.

(h) *1. Epist. II. 13.*

(i) *Rom. XIII. 2.*

(k) Ita etiam distinguit Melanchthon in *Loco de Ecclesia*

ſtitutionem *miniſterii*, & inter vocationem *miniſtri*. Qui poſt Apoſtolicum aeuum ab hominibus (l) & per homines vocati fuerunt & adhuc hodie vocantur ſacrumque in ordinem cooptantur, ſunt omnino atque ex vero nominantur *κτίσις ἀνθρωπίνη*. At munus ipſum eccleſiaſticum eſt diuinum inſtitutum, *διαταγὴ τοῦ Θεοῦ*. Huius ordinis, qui ſol ſpiritualis eſt (m) mundi, ſine quo pereundum foret hominibus in ſua caligine, in caecitate ſua, aeque conditor eſt DEVS ac ſolis illius, quem in coelo ſpectamus. Non poſſumus igitur non ſubſcribere Ven. Cancellarii Tubingenſis (n) verbis: *Vocatio ad miniſterium eccleſiae DIVINA in genere dicitur, quia, vt miniſtri eccleſiae conſtituantur, DEVS praecepit: DIVINA itidem eſt, ſi legitime iuxta ſupra poſita requiſita fiat: etſi determinationem certorum ſubiectorum ad certa officia & ad certa loca DEVS hominibus reliquit. Eſt igitur determinatio haec proprie loquendo nonniſi* (o) *HVMANA*. Lyſerus

ſia f. m. 228. b. & ad hunc locum Chemnitius *f. 145.* & *147.*

(l) *Gal. I. 1.*

(m) *Matth. V. 14. & 16.*

(n) Diſp. *de criteriis vocationis diuinae ad miniſterium eccleſiaſticum p. 4.*

(o) *Humanam* eſſe & vocari poſſe hodiernam Paſtorum vocationem, etiam Gerhardus perſpicue docet §. *115. 116. 128. & 374.* Chemnitius quoque *T. III. f. 174. b*, ad quaeſtionem: a quibus fiat hodie ordinaria vocatio, reſpondet, non ab angelis eam fieri, ſed ab hominibus eccleſiam conſtituentibus. Etiam Mayerus in *Muſeo miniſtri eccleſiae P. I. p. 98.* vocationem Paſtorum eſſe ait *actionem hominum*.

Harm. Euang. cap. 38. p. 1409. eam nominat *vocationem MVNDANAM. Nisi ministri nomen,* inquit, *in coelo prius sit adscriptum, mundana vocatio parum ipsum subleuabit.*

XI.

Quod nunc venit quaerendum, cui scilicet ius eligendi praeficiendique Pastores assignari oporteat, non ita facile est explicatu ob sententiarum (p) diuersitatem, quarum quaeque suis patronis verissima videtur & πάσης ἀποδοχῆς ἀξία. Pontificii ius illud Episcopis eorumque primicerio, Papae, asserunt, ac Principibus id audacter abiudicant. *Ad solos Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem, pertinere vocationem ministrorum*, tribus (q) capitibus obnixe docet os illud ecclesiae Romanae, Bellarminus: qui pluribus id edisserit in libro suo *de Pontifice.* Perplexe, vt solet, id eloquitur Tridentina (r) Synodus, docens, *magistratus consensum siue vocationem siue auctoritatem non ita requiri, vt sine ea irrita sit sacerdotum ordinatio.* Peruetus vero est ista cantilena, tam vetus scilicet, quam regnum seu potius tyrannis Pontificis. Iam enim apud (s) Gratianum ita decretum legimus: *Nullus Principum se inserat electioni Episcopi.* Quare &

(p) *Omnibus temporibus fuerunt magna de iure vocationis certamina,* inquit Chemnitius *T. III. f. 145. b.*

(q) *Lib. I. de Clericis cap. 3. & 4. & 7.*

(r) *Sess. XXIII. cap. 4.*

(s) *Dist. LXIII. cap. 1. & 2.*

& Lancelottus (t) ita pronuntiat; *Laicis, etiam si Principes sint, nullo neque consuetudinis neque praescriptionis neque conuentionis iure ad electionem adspirare permittitur.* Enimuero pulchre conuenit haec sententia regno illorum sacerdotali mundano: id quod probe obseruauit Flacius in exordio libri (u) *de electione Episcoporum*: *Papa*, inquiens, *hoc ferme vnico adminiculo regnum suum sustentat*, caetera. Nec id inobseruatum Chemnitio, qui propugnari ideo (x) ait hanc sententiam a Pontificiis, *ne regno ipsorum generetur praeiudicium.* Gerhardus (y) item perspexit, cur Papaea in ecclesia excludantur ab electione Pastorum Principes, *veram causam esse Romani Pontificis dominatum.* Non est iam, cur argumenta, quae pro sua doctrina proferunt doctores Pontificii, studiose refellamus. Verum enim syllogismum silentio praetereunt, qui hic est: Qua doctrina recepta pereat necesse est regnum nostrum sacerdotale, ea est abominanda ac damnanda. Atqui id fiet, si, non solos episcopos, Papam agnoscentes dictatorem suum, ius constituendi ministros ecclesiae habere, credatur & contendatur.

 Ergo

(t) *Instit. Iur. Canon. lib. I. tit. VII. §. 8.*

(u) Hunc librum refutare conatur Bellarminus, sophista Romanae ecclesiae cardinalis, *lib. I. de Clericis cap. 7.*

(x) *Exam. Conc. Trid. P. II. L. XIII. Sect. IV. §. 21.*

(y) §. *107. p. 182.* Etiam Val. Alberti, Theol Lipsiensis, in libri *de Interesse religionum Artic X. Thesi II. §. 7. p. 457.* obseruauit, hanc doctrinam *non esse inter monarchiae Papalis fulcimina postremum.*

Ergo hac doctrina nihil magis est (z) haereticum, nihil magis anathemate dignum.

XII.

Qua via peruentum huc fuerit, vt Episcopi vna cum Papa sibi arrogare ius possent eligendi Pastores, nunc paucis docendum ex Historia ecclesiastica: tumque postea videbimus, quod malo huic tempore Reformationis adhibitum fuerit remedium. Repetendum hic discrimen plantandam inter & plantatam ecclesiam: quod discrimen quanti sit, supra iam docuimus. Quibus enim locis nondum erat ecclesia, iis nemo Pastores dare poterat praeter Apostolos & Euangelistas. Hi cum id facerent instinctu diuino, facile patet, hanc electionem fuisse e re ecclesiae. Postea, quam diuinos hos electores mors eripuisset ecclesiis, illis temporibus, quibus reip. rectores erant ethnici, imo religionis Christianae hostes, curam illam iure suscipiebant Episcopi, vt nunquam deessent Pastores ecclesiis. Cum vero hi alendi essent a populo, facile in societatem electionis admittebant populum, nec eo inuito quen-

(z) Concludunt hinc sophistae illi, nostram ecclesiam non habere veros Pastores. Sed responderunt iis acutissime B. Erythropilus, Hanoueranae ecclesiae aulicae Pastor & Consiliarius Consistorialis optime meritus, in inaugurali sua Disputatione Ienae a. 1686. habita; & Conringius in *Defensione ecclesiae Protestantium*, Helmstadii 1654. edita, *p. 37. sqq.* & Basnagius in *Historiae ecclesiae lib. XXV. cap. 2.* Plures nominari necesse haud est.

quenquam cooptabant ſacrum in ordinem: quanquam non poterat non eſſe ſemper maior Epiſcoporum auctoritas: vt plerumque eligerent Epiſcopi, iudicarentque, τὸν δεῖνα idoneum eſſe ad gerendum hoc munus; populus duntaxat (a) aſſentiretur, ſibique nullam eſſe repugnandi cauſam teſtatus hunc vel illum acciperet Paſtorem ſuum. Hanc eligendi Paſtores facultatem retinere ſtudebant Epiſcopi, cum accepiſſet eccleſia Chriſtianos Principes: & facile retinebant ob indulgentiam & conniuentiam nouorum Chriſtianorum Principum. Tum autem non pendentes amplius ea in re a Principe, paulo poſt populum dedignabantur adhibere in conſilium: atque ita ſacri ſenſim euadebant Reguli. Illa autem indulgentia Principum quam longe receſſerit a prudentia maieſtatica, manifeſtum fecerunt tempora ſecuta, quae paucos Polycarpos ac Cyprianos dabant eccleſiae Chriſtianae; Cyrillos ac Theophilos (b) Alexandrinos multos, h. e. epiſcopos ciuilis imperii appetentiſſimos, falcemque ſuam audaciſſime immittentes in meſſem regiam. Hi igitur de principatu contendebant cum Principibus, ad vltimumque perueniebant ad imperium eccleſiaſticum

(a) Lucide hoc demonſtrant loca illa veterum, quae Gerhardus profert §. 95. & 96. & Grotius *cap. X. de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra* §. 8. & 9. Conf. Zieglerus *lib. II. de epiſcopis cap. 2.* §. 4. & 21. & 23.

(b) Hos Epiſcopos principatum quendam (δυναστείαν) obtinuiſſe & cuncta pro imperio egiſſe, ſcribit Socrates *Hiſt. eccl. lib. VII. cap. 7.* & 13. idem teſtatus *cap. XI.* de Romanis eius ſaeculi Epiſcopis.

cum a ciuili imperio diuersum, & tamen cum eo arcte coniunctum. Quo facto princeps episcoporum, Romanus, quod commune fuerat episcoporum omnium, fauente fortuna ad se rapuit, tandemque & Episcopos & Principes sub potestatem redegit suam. Animaduerterunt postea hunc suum, vel potius maiorum suorum, errorem politicum grauissimum Principes: sed iam nimis arduum iis erat, iuris sui vsum consequi. Fuerunt sane heroës nonnulli, (inter quos HENRICVM LEONEM singulari libro laudat Tobias (c) Eckhardus,) qui fortiter exercentes ius suum ipsimet suis ecclesiis dabant Episcopos. Reges item Galliae fere omnes hic se praestiterunt viros, nec passi sunt eripi sibi ius creandi suae nationi Episcopos. At quam multi Principes iustissimis his ausibus exciderunt, seramque viderunt esse suam sapientiam, Papis & Episcopis recalcitrantibus, & vel seditiones excitando efficientibus, vt Principes quiescerent, aut etiam publice renuntiare suo iuri cogerentur! Tacemus mala hinc nata in ipsa ecclesia. Tanta enim Episcoporum potentia facile opprimi poterant, qui errores publicos Episcopis haud noxios vel etiam fructuosissimos pietate stimulante impugnabant. *Defendebant Episcopi*, vt vtamur verbis (d) Me-

(c) Hic a. 1732. doctissimum emisit librum ita inscriptum: *HENRICI LEONIS auctoritas circa sacra in constituendis atque confirmandis Episcopis ex historiae monumentis exposita.*

(d) In libro *de Episcoporum potestate & iurisdictione*, libris nostris Symbolicis inserto, *p. 355.*

Melanchthonis, *impiam doctrinam, & adiuuabant saeuitiam Papae.*

XIII.

Facta saeculo decimo sexto defectione a Papa & ab eius Episcopis, cum nouam nostra ecclesia & veram summo & nunquam satis digne praedicando DEI beneficio accepisset faciem, Principes & caeteri magistratus supremi ius suum regendi suam quisque ecclesiam Pastoresque ciuibus dandi & agnouerunt & exercere coeperunt. Cum enim eandem cum ciuibus religionem colerent, facile viderunt, sui iuris (e) esse suique officii, omnia facere, quae forent ad tranquillitatem

(e) Ex iure Principis circa sacra hoc deriuat etiam Buddeus *Instit. Theol. dogm. lib. V. cap. 4 §. 8.* & *26.* itemque, qui pluribus demonstrat id argumentis, Zieglerus *lib. II. de Episcopis cap. 2. § 77. sqq.* Praeclare & clare id etiam Grotius docet in libri *de imperio circa sacra §. 15. 18 20. 24.* & *27.* qui & *§. 29. p. 327.* ita scribere audet: *Nemo adhuc Patrum ecclesiae repertus est, qui diceret, obstare ius diuinum, quo minus Rex Pastorem eligat.* Idem pluribus accurate contendunt M. Antonius de Dominis in *septimo capite libri* sui *sexti de rep. ecclesiastica*, & Boehmerus, ICtus perillustris, in *lib. I. Iuris ecclesiastici tit. XXXI. §. 32. sqq.* Nec Ven. Pfaffius tribuere hoc ius Principibus dubitat in *Iuris eccl. lib. II. c. 7. §. 2.* itemque Kressius, ICtus Helmstadiensis Academiae clarissimus, in *Comment.* ad Pufendorfiani libri *de habitu religionis Christianae ad vitam ciuilem §. 45. § 1. p. 491.*

tatem & εὐταξίαν ecclesiae (f) necessaria. Non igitur solum suo imperio subiecerunt doctores ecclesiasticos, tristi docti experientia, quanta sit reip. pestis sacerdos imperans, sed etiam elegerunt nouos Pastores praecepto Paulino (g) congruenter. Qua in re ne forte aberrarent, requisierunt quorundam Pastorum testimonium de doctrina noui cuiusque & moribus, cauentes etiam hoc modo, ne populus queri posset, datum esse sibi Pastorem hoc sacro munere indignum, vtque adeo libenter electioni Principis assentiretur. Atque ita satis perspicuum est, quomodo ad electionem Pastorum omnes tres reip. ordines concurrant: id quod fieri vult Gerhardus *§. 84*: qui (h) & §. *86.* docet, *magistratus Christiani* esse eli-

(f) Chemnitius *Loc. Theol. T. III. f. 148: Ad pium magistratum pertinet haec cura, vt ministeria ecclesiastica recte constituantur & administrentur: sicut testantur exempla Dauidis. Ezechiae, Iosaphati, Iosiae.* Atque id his ipsis verbis repetit in *Exam. Conc. Trid. P. II. L. XIII. sect. IV.* §. *14.* Agnoscitur hinc facile, Principem eiusdem cum ciuibus religionis esse & vocari posse *ciuile caput su.e ecclesiae*: quem titulum ne Catholica quidem Anglia denegauit Regi suo, Henrico VIII. Ac titulum hunc ei illo ipso tempore vindicauit Episcopus Angliae Catholicus, Cutbertus Tunstalus, longa epistola, quam exhibuit Knightius in *Appendice* ad suam *Vitam Erasmi p. 55. sqq.* versionis Germanicae.

(g) *1. Tim. III. 2. sqq.* & *Tit. I. 7. sqq.*

(h) Ex hac doctrina minus recte intellecta fluxisse credo inconsultum votum Speneri, vt electioni Pastorum

eligere Paſtorem; *populum* conſentire & vocationem a Principe factam approbare debere. Idem haud dubie ſibi voluit Buddeus, cum in *Inſtitutionibus Theologiae dogmaticae* (i) minus cogitate ſcripſit, *ad conſtitutionem & electionem Paſtorum concurrere oportere omnia ac ſingula membra eccleſiae*. Clarior eſt, etſi non ſatis diſtincta, Chemnitii doctrina, ita (k) cenſentis: *Non licet Chriſtiano magiſtratui ſine conſenſu miniſterii & reliquae eccleſiae vocare & conſtituere miniſtros in eccleſia.* Cenſuerunt vero non minus iuſte Principes noſtri, ſe hanc electionem per ſua Conſiſtoria exercere poſſe; demandare item eam Senatibus oppidanis, imo interdum vni cuipiam ciuium, alicuius templi vel aedificatione vel conſeruatione hanc gratiam promerito: ea tamen praeſcripta lege, vt nec hi praeficiant eccleſiis niſi viros doctrinae morumque ornatos teſtimonio. Fit quoque nonnullis locis, vt toti alicuius ciuitatis populo a Principe vel alio ſupremo magiſtratu permittatur ſui Paſtoris electio: cuius quidem poteſtatis ſi abuſus ſit perfrequens & irremediabilis, non eſt dubium, quin Princeps male vſurpatam eligendi facultatem ad ſe ipſum vel ad

rum adhibeantur omnes tres reip. ordines, & quidem pari ſingulorum auctoritate, in Tomo primo der Theol Bedenken *p. 262.* & in tertio *p. 590.* & *613.* Rectius idem *T. V. P. III. p. 100.* officium eſſe ait Principum, idoneos creare Paſtores, & male ſe gerentes hoc munere exuere.

(i) *Lib. V. cap. 4. §. 6.*

(k) *T. III. f. 148.*

ad collegium quoddam ordinatius iure transferre possit.

XIV.

Iam cum & hinc appareat, specialem Pastorum vocationem esse *humanam*, indeque fluant aliquot conclusiones memorabiles, hae a nobis producendae sunt & paucis illustrandae. Primum notamus errorem quendam verbalem, illum videlicet, quo *diuina mediata* solet appellari specialis Pastorum electio & vocatio. Quae vocationes doctorum ecclesiae vere & ex literata consuetudine loquendi appellentur *diuinae mediatae*, supra (l) iam definiuimus. Scilicet is vocationem sui iure appellat diuinam mediatam, qui per aliquem ad expressum DEI mandatum vocatus est, vel saltim per aliquem apostolum aut prophetam, qui diuino instinctu ad ipsum vocandum fuit excitatus. Ad euitandam itaque confusionem notionum (m) pro *mediata vocatione*, quam fieri scribit (n) Chemnitius, *quando minister non immediate per ipsum DEVM, sed a DEO per ordinaria media legitimo modo ad ministerium ecclesiae vocatur*, dicemus cum Gerhardo (o) & (p) Quen-

(l) §. *III. & VIII.*

(m) Simili notionum confusione peccabatur, cum vergente superiori saeculo pugnabant nonnulli, *immediate* a DEO esse maiestatem Principum. Quam litem rectissime diremit Buddeus in elaboratissimi libelli *de concordia religionis Christianae statusque ciuilis cap. V. §. 5. & 6.*

(n) *T. III. f. 147. a.*

(o) §. *76.*

(p) *System. Theol. P. IV. c. 12. p. 395.*

Quenstedio *ordinariam.* Appellatio prior an iam ante Lutherum in Pontificia ecclesia nata & nota fuerit, quaerere nunc non libet. Certe ea abuti facillimum est Theologis Pontificiis ad persuadendum simplicioribus, diuino instinctu Episcopos eligi a Papa, Pastores ab Episcopis, Papas a Cardinalibus. Tum namque horum omnium electio foret vere *diuina mediata.* Est vero nobis & alia causa, cur appellatione hac *vocationis mediatae* abstinendum ducamus. Praebet ea scilicet facilem occasionem circumspiciendi certa specialis vocationis Pastoralis signa diuina: id quod quam temere quamque ad vel fallendas vel iniuste angendas conscientias apte fiat, e vestigio demonstrabimus.

XV.

Primo autem loco obseruamus, nouam esse hanc opinionem. Nam nec (q) Lutherus, nec Melanchthon, nec Chemnitius, nec Gerhardus, in *Locis* suis *Theologicis* huius generis signa indicarunt. Balduinus (r) vero etiam eos, qui talia signa expetunt, grauiter reprehendit, ac suopte ipsos vti iubet iudicio, vtrum parere vocationi debeant, annon. Quod idem Ven. Deylingii est consi-

(q) Inspice *Pastoralis Lutheri* a Conrado Porta compositi secundum caput, in quo, quae de vocatione Pastorum scripsit Lutherus, *p. 23 - 71.* exhibentur.

(r) *Cas. consc. lib. IV. cap. 5. casu 7.*

consilium in *Institutionibus* (s) *prudentiae Pastoralis.* Cum autem in Speneri, magni certe Theologi practici & eximii alioquin consiliarii ecclesiastici, tum Latinis, tum Germanicis *Consiliis Theologicis* multus passim fiat sermo de diuinae Pastorum vocationis criteriis, Rambachius, vir de sacris literis inter primos bene meritus, in animum induxit, ea inde conquirere & facilem redacta in ordinem exhibere (t) publice, itemque ad certam quandam sui vocationem applicare. Sed statim anno proximo (1735.) Ven. Pfaffius, vir acerrimae perspicaciae, in *Disputatione* eodem titulo conspicua (u) docuit, falsa esse & fallacia criteria illa singula. Quod cum ei assentiamus, & illo iam ipso tempore, quo Commentatio Rambachiana in lucem prodiit, idem nobis visum sit, libenter nouo examine supersedemus, illud monentes lectorem nostrum, signa illa diuinae vocationis nec in sacro codice esse manifestata, nec firmum accipere a Ratione recta fundamentum: praeter quos tamen veritatis fontes habemus nullum omnino.

XVI.

Cur vero signa illa circumspiceret Spenerus, haec ipsa causa erat, quod vocationem specialem ad

(s) *P. II. cap. 1. §. 33 & 36.*

(t) A. 1734. in dem Heßischen Heb-Opfer *T. I. p. 463. sqq.*

(u) Hoc idem accurate factum est in *Responso* collegii Theologici Tubingensis in causa Rambachiana nondum edito, itemque in praemissa *Specie facti.*

ad Pastoris munus non pro *humana* habebat, sed pro *diuina*. Certe enim diuina vocatio specialis non potest non habere diuinitatis suae signa & criteria. Hoc igitur errore captus vir optimus multum sibi ipse creabat molestiae. Cum ad ecclesiam Francofurtanam vocaretur, certum vocationis diuinae signum (x) frustra quaerebat, tumque id iudicandum permittebat vtriusque vrbis magistratui: quasi hi essent certi voluntatis diuinae interpretes. Idem ei accidebat (y) accepta vocatione Dresdensi: ac tum quoque (z) rogabat Francofurtanum Senatum, vt, an diuina haec sit vocatio, decerneret, profitebaturque, iudicium hoc esse se secuturum. Ibidem (a) docet, se etiam tum, cum Argentorato euocaretur, iudicium de vocationis diuinitate reliquisse Argentoratensi Senatui, eiusque iudicium pro vero habuisse. Alibi (b) narrat, se, accepto iudicio quinque Theologorum, (nam Senatus Francofurtanus de hac re iudex sedere recusabat,) Dresdensem vocationem esse diuinam censentium, acquieuisse, deque huius vocationis diuinitate dubitare desiisse. Commemorat etiam (c) sortes Biblicas, in hac se

(x) Id fatetur Theol. Bed. *T. III. p. 662. sq.*

(y) Ipse id refert ibidem *p. 667.* & *671.* Hic & *p. 681. sqq.* argumenta adducit in vtramque partem.

(z) *P. 676. sq.*

(a) *p. 677.*

(b) *p. 687.* & *692.*

(c) *p. 682.* Die scilicet vocationis aduentum proxime secuto filia eius subito euoluto Noui Test. codice inci-

ſe ſententia confirmantes; adiiciens alio (d) loco, de diuinitate Dresdenſis vocationis tam confirmatum fuiſſe ſuum animum, als wenn er denſelben ſelbſt vom Himmel herab gehöret hätte. Denique Berolinenſis vocationis diuinitatem ex eo ſe cognouiſſe (e) ait, quod eam ipſe nullo modo ambiuerit, ſed perpetuo paſſiue ſe geſſerit: quod quidem ſignum diuinae vocationis indoctisſime haberi, iudicat (f) Ven. Pfaffius.

XVII.

Rectius vtique feciſſet Spenerus, ſi conſilium Balduini paulo ante (g) commemoratum ſecutus, tres illas ſuas vocationes conſideraſſet pio oculo Rationis. Tum enim vidiſſet, ſibi, ſi magiſtratus ipſum ſuus non retineret, ſed libertatem decedendi ipſi permitteret, eam eccleſiam eligen-

incidebat in verba illa, quae *Act. VII, 3 & 10* reperiuntur. Sortes vero has Biblicas, quia earum obſeruatio nobis non praeſcribitur in ſacro codice, haud immerito ad ſuperſtitionem referimus: quanquam haec ſuperſtitio patronum nacta eſt Struuium, auctorem *Obſeruationis XIII. Tomi quarti Obſeruationum ſelectarum Halenſium.* Sed ita qui ſentit, quo iure irridebit Pontificios, eodem diuinae voluntatis ſigno in Miſſonii *Itinere Italico p 974.* (verſionis Germanicae) demonſtrantes, Clementem XI. a DEO factum eſſe Pontificem?

(d) *p. 849*

(e) *p. 854*

(f) In *inſtit. Theologiae* Appendice *p. 889.* & *Iuris eccleſiaſtici lib. II. cap. 7. §. 3. p. 118.*

(g) *§. XV.*

gendam esse, in qua se maiora DEO officia praestiturum esse sperare poterat. Argumento hoc impulsus Argentorato Francofurtum, Francofurto Dresdam demigraturus erat: id quod & fecit. Denique cum dominus suus Dresdensis vellet, ipsum abire, non dubitandum duxisset sequi vocationem Berolinensem, & simul ex hac vocatione agnoscere DEI benignam prouidentiam. Quanquam si vel maxime Dresdensi munere tum exutus fuisset, cum nondum alia ipsi oblata esset ecclesia, tamen satis certum habere poterat, se in aliam ecclesiam non ita multo post inuitatum iri. An enim fieri poterat, vt Pastorem tam large dotibus instructum Pastoralibus, tam bona fama fulgentem, nulla ecclesia vellet esse suum? Finimus hanc Speneri mentionem argumento quodam a posteriori, quod vocant Logici. En illud: Si Spenerus nunquam potuit certa vocationis diuinae indicia inuenire: id quod fatetur in Germanicorum *Consiliorum Theologicorum* Tomo tertio *p. 851.* & in Latinorum Parte prima *p. 306*; si, inquam, tam eruditus tantaeque pietatis Theologus (quem ardenter a DEO precatum esse, vt sibi indicaret suae vocationis criteria, nemo dubitat,) ea inuenire non potuit, quis non inde concludat, etiam alios doctos itemque pios viros meditationem operamque suam hic esse perdituros, adeoque nulla diuinae vocationis specialis criteria hodie dari?

XVIII.

Caeterum ne forte credamur hoc pacto aliquid statuere, quod specialem tollere videatur DEI prouidentiam, duas subiicimus doctrinas alta mente reponendas. Etsi scilicet non promisit DEVS, se post sublatos ex hac vita Apostolos speciatim esse vocaturum Pastores, sed curam hanc praescriptis certis legibus reliquit hominibus ecclesias regentibus; duo tamen sunt, in quibus se ostendere hoc in negotio subinde solet venerabilis DEI prouidentia, eaque specialissima. Primum enim consilia hominum saepius ita dirigit, vt hic vel ille creetur hoc vel illo loco doctor ecclesiasticus, per quem constituit insignem aliquam vtilitatem afferre ecclesiae. Haec inter exempla LVTHERVS eminet, singulare DEI instrumentum ad restituendam doctrinam Apostolicam. Erat quidem haec DEI directio initio hominibus incognita, nec ipse Lutherus (h) sciebat, se magno huic operi a DEO destinatum esse. Nec, cum errores agnosceret publicos, signa quaedam circumspiciebat vocationis diuinae, sed, quod bonos doctores Christus & eius Apostoli facere iusserunt, strenue faciebat ac fortiter. Successus vero prosperrimus docebat tandem (i) Lutherum

(h) Non dicebat Lutherus, cum repurgare ab erroribus ecclesiam aggrederetur, id se facere vocatu iussuque speciali DEI. Imo *nihil tale somniaui, cum inciperem docere*, inquit in *Comm. ad Gen. cap. 24. f. 341. a.*

(i) En verba eius e *Comm. in Gen. c. 25. f. 371. b: Nos*

therum ac pios (k) omnes, DEO tribuendam esse hanc religionis reformationem, (l) exclamandumque: מיהוה יצא הדבר. Quid? Deprehendebatur (m) tandem, illustrem hanc religionis renouationem iam prophetam Ioannem vidisse, & in suo *Apocalypseos* libro exhibuisse. Ac idem de similibus Dei directionibus docendum, esse eas hominibus absconditas, & ex effectibus demum interdum cognosci, hunc vel illum (n) peculiariter a DEO electum esse & adiutum ad efficiendum aliquid, quod insigniter augeat ipsius gloriam & humani generis salutem.

XIX.

Alterum, quod non esse hic praetereundum silentio putamus, hoc est. Etsi post Apostolica tempora desiit DEVS immediate vocare Pa-

Nos adorti sumus Papam sine verbo, h. e. nullo speciali DEI mandato excitati: *sed iam videmus, fuisse illum diuinum instinctum sine nostra cogitatione & consilio.*

(k) Vnius profero Seckendorfii iudicium ex eius *Hist. Luth. lib. I.* § 82 *p.* 130 *Agnoscendum est*, inquit, *nonnisi diuina eademque manifesta prouidentia & ope progressum hunc Euangelicae doctrinae promoueri potuisse.*

(l) *Gen. XXIV.* 50 & *Psal. LXIV.* 10.

(m) Vid *Lutherus* meus *Apocalypticus*, & Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis* ad *Apoc. XII.*

(n) Huc pertinet rex Cyrus, quem DEVS elegerat seruum suum ad reddendos Palaestinae Iudaeos: etsi is se huic officio destinatum esse, ignorabat. Vid. *Iesaiae XLIV.* 28. & *XLV.* 1. *sqq.*

Paſtores eccleſiarum, tamen, cum quis hoc munere fungitur ſanctiſſime, ſpeciale accipit in mente ſua Spiritus ſancti teſtimonium, & quaſi viua eius (o) voce docetur, ſe eſſe bonum in vinea DOMINI ἐργάτην, ſeque a DEO deſtinatum eſſe huic muneri. Vti enim *Spiritus ſanctus* (p) *teſtimonium edit in mente noſtra*, *quod ſimus DEI filii*; vti DEVS (q) *pios reddit de gratia ſua ita certos*, *vt arrhabonem iis det Spiritum ſanctum*; cur non credamus, pios quoque Paſtores frui ſubinde hac Spiritus S. gratia, vt accipiant impreſſum menti ſuae teſtimonium de miniſterii ſui fidelitate DEO gratiſſima? Nec dubito, hoc internum Spiritus S. teſtimonium ſenſiſſe tum Spenerum, cum (r) ſcribebat, ſe Dresdam vocatum tam firmiter credidiſſe, DEI hanc eſſe voluntatem, vt vix magis credere potuerit, ſi e coelo ad ipſum emiſſa fuiſſet vox DEI imperans. Illud vero monendum adhuc ducimus, ſatis clarum eſſe hoc Spiritus ſancti teſtimonium, ſi quis conſcius ſibi ſit, ſe tum pia nec amore diuitiarum honorisque corrupta mente appetiiſſe & accepiſſe munus ſuum eccleſiaſticum, tum deinceps ſincera cum fide & filiali DEO placendi cupiditate ardentem

(o) Non male igitur Foertſchius perſuaſionem hanc Spiritus S. vocat *vocationem Dei ad miniſterium verbi internam* in ſingulari Diſſertatiuncula Germanica, Ienae 1715. ſub hoc titulo edita.

(p) *Rom. VIII. 16.*

(q) *2. Corinth. I. 21. & 22.*

(r) Theol. Bed. *T. III. p. 849.* Qui & in Conſiliis Latinis *P. III. p. 821.* quaedam huius argumenti profert.

dentem id adminiſtraſſe & adhuc adminiſtrare: idque ita ſe habere, Paulinis (s) his verbis teſtari queat: *Veritatem dico in CHRISTO, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto.* Hic acquieſcendum pio CHRISTI ſeruo, nec vel appetenda vel exſpectanda extraordinaria quaedam ἀποκάλυψις.

XX.

Reuertimur nunc ad concluſiones, quas ex eo, qnod ſpecialis Paſtorum vocatio hodie *humana* eſt, deducturos nos eſſe, ſupra (t) ſumus polliciti. Harum aliae ad Candidatos ſacri ordinis pertinent, aliae ad Paſtores, aliae ad magiſtratum ciuilem. Breues autem erimus, ne in librum vertatur haec Diſputatio. De Candidatis duas expromimus concluſiones. *Prima* haec eſt: Candidatus & iuſtae menſurae eruditione & ſincera pietate praeditus non debet vocationem exſpectare ſummo ſilentio, ſed recte ſuam operam (u) offert patronis, vtque ſui rationem habeant vacuefactis Paſtoratibus, rogat. En *alteram*: Candidatus, qui dotes a Paulo apoſtolo recenſitas habens non habet de vocatione DEI generali dubitandi cauſam, a quocunque poteſt accipere vocatio-

(s) *Rom. IX. 1.*

(t) §. *XIV.*

(u) Ieſaiam legimus ante, quam a DEO vocaretur ad munus propheticum, *cap. VI. 8.* ita exclamaſſe: *En adſum, Domine, mitte me, quaeſo.* Conf. Speneri Theol. Bed. *T. I. P. I. p. 441. ſqq.*

cationem ad munus ecclesiasticum, etiam a patrono impio, etiam a patrono (x) religionis diuersae. Recte Andreas (y) Hyperius, Theologus eximius: *Quacunque ratione contingat, quempiam ad suscipiendam functionem ecclesiasticam eligi, persuadere sibi debet, se, modo ipse idoneus reperiatur, a Deo ipso vocari, & electionem eius ratam apud DEVM esse.*

XXI.

Ad Pastores pertinent hae conclusiones. *Prima*: Pastor, quia est ad Pastoratum suum obeundum certa mercede (z) conductus, non potest (a) munus suum alio mutare non impetrata a domino

(x) Vid. Balduinus *Cas. consc. lib. IV. c. 5. casu 4.* Ipsa vero rei natura postulat, vt hic Princeps non possit dare Pastorem religionis diuersae.

(y) In *Opusculis Theologicis* 1570. editis *p. 189.*

(z) Mercede conduci minime dedecet Pastores: quos ipse Christus mercede dignos pronuntiat *Lucae X. 7.* itemque Paulus *1. Tim. V. 18* Caueas modo, ne sis μισθωτὸς, (*Ioan X. 12*) hoc est, solam intuens mercedem aberres a scopo muneris sanctissimi. Singulare est exemplum Io. Alphonsi Turretini, qui & Pastor & Professor Theologiae non est vsus stipendiis suis, sed ea dispertiuit pauperibus.

(a) Erat haec Theologorum nostrorum saeculi decimi sexti communis sententia: id quod ignorare non potest, qui legit *Vitas Theologorum Adamianas.* Id etiam agnoscebat Ioan. Schmidius, Theologus Argentoratensis, cuius verba Wolfius recitat in *Conspectu supellectilis* suae *epistolicae p. 91.* Eadem sententia Christiani Kortholti senioris in der Dänischen

mino ſuo diſcedendi venia. Facile enim intelligitur, ſub hac conditione, etſi tacita, eum conductum fuiſſe. Ac ſi conductus quocunque tempore diſcedendi ius haberet, etiam conductori liceret Paſtorem ſuum quocunque tempore abdicare Paſtoratu: quod poſterius cum recte negetur, nec prius concedi poterit. Venia autem facile ei dabitur, ſi diſcedere queat ſine damno pii domini vel potius eccleſiae. *Secunda*: Vbi liber eſt diſceſſus, non eſt Paſtori neceſſarium manere in ſua eccleſia, (quod quidem fieri voluit Concilium (b) Nicaenum,) ſed poteſt in aliam (c) tranſire, maxime cum videt, ſe plus officii ibi praeſtiturum eſſe DEO. *Tertia*: Paſtor aliorſum vocatus, ſi vult priori in ſtatione manere, videns, ſatis ſemper

niſchen Bibliotheck *T. VIII. p. 571.* & Brochmandi in *Syſtem. Theol. T. II. p. 969.* Nec omittentendum illud, quod in *Paſtorali Lutheri p. 62.* legitur: Wenn einer an einen andern Ort ordentlicher Weiſe berufen wird, und bey ſeiner vorigen Obrigkeit mit gutem Gewiſſen (fortaſſe Wiſſen) und Willen erbeten und loß gemacht wird, ſo kan er ſolches vor eine rechtmäßige Vocation halten und folgen. Nec diſſenſiſſet, niſi de ſpeciali diuina vocatione eiusque criteriis fouiſſet praeiudicium, Spenerus in *Tomo V.* der Theol. Bedenken *P. I. p. 381.* & *383.* vbi & adducit melius ſentientem Danhauerum.

(b) En canonem eius XV: *Ab vna ciuitate in aliam nec Epiſcopus nec Presbyter nec Diaconus transferatur.* Illuſtrauit canonem hunc in ſingulari epiſtola a. 1702. edita I. A. Schmidius.

(c) Vid. Ziegleri *lib. II. de Epiſcopis cap. 12.* & Ven. Walchii Diſp. *de translationibus miniſtrorum eccleſiae* nuper edita.

per ſibi futurum eſſe ſacri laboris, non (*) peccat. Recte igitur Dilherrus, ampliori alibi locorum (d) promiſſa mercede, itemque honore, ſemper haeſit Noribergae ſuae. Vnum tamen excipio, ſi videlicet Princeps eum ſuus aliam curare eccleſiam iubeat. Quare non licebat Geiero aut Bonſacco (e) repugnare voluntati in aulicam eccleſiam ſe euocantis Principis. *Quarta:* Poteſt etiam Paſtor, ſi vires corporis ob ſenectutem ſenſim deficiunt, a maiori laborioſiorique Paſtoratu (f) tranſire ad minorem. Non igitur peccabat Zeltnerus, cum relicta ampliori partim eccleſiaſtica, partim Academica ſtatione ſuſcepit praefecturam eccleſiolae paganae. *Quinta*: Paſtor, qui ob ſalarii tenuitatem nec vxorem ducere nec liberos alere nec librorum aliquid comparare poteſt, iure (g) ambit vel oblatum (h) accipit

(*) Feciſſe id nuper Riegerum, Superintendentem Stutgardiae, docent *Acta hiſtorico-eccleſiaſtica T. VIII. p. 744.*

(d) Vid Zeumeri *Vitae Profeſſorum Theologiae Ienenſium p. 166*

(e) Vid Bytemeiſteri *Hiſt. Praeſulum Cellenſium p. 81 ſqq.*

(f) Similem caſum profert atque eodem modo reſpondet Spenerus in Theol. Bed. *T. V. P. I. p. 359. ſq.*

(g) Hic & caeteris quoque in locis ſupponimus, non deeſſe, qui in abeuntis l cum ſuccedat.

(h) Illi Diacono, quem Ven Baumgartenius in Theol. Bedenken *P. I p. 261 ſqq.* commemorat, ita ego quidem reſpondiſſem breuius: Cum ea ſis aetate, vt laborioſus tibi ſit coelibatus, nec tamen ob tenue ſalarium vxorem ducere & familiam alere poſſis,

cipit Paſtoratum fructuoſiorem. Caue modo, ne opimius munus appetas ſtimulante vel auaritia vel ambitione. Hinc ſequitur, licere & Paſtori, ſi ſe aliorſum euocatum retinere cupiunt ſui auditores, largius ab iis poſtulare ſtipendium ad proſpiciendum rectius ſuae familiae. *Sexta:* Paſtori licet e Paſtorali munere transire ad munus ſcholaſticum, ſi, cum non deſint, qui vacuefactum Paſtoratum bene obire valeant, perpauci ad ſcholaſticum illud, quod offertur, munus reperiantur (i) idonei. Non itaque peccaſſe cenſendus eſt Rambachius, cum non ſolum Paſtoratum, ſed etiam Ephoriam Paſtoralem abdicare, & ſolam Profeſſionem Theologiae Academicam accipere geſtiebat. Imo nec Io. Chriſtoph. Sturmius iure reprehendetur, qui Paſtoratum ſuum permutabat Profeſſione Phyſicae & Matheſeos; aut Blondellus, quem conſtat e Paſtore factum eſſe Profeſſorem hiſtoriarum; aut Ioannes (*) Forſterus,

ſis, ſuadeo, vt oblatum munus accipias, praeceptoque Apoſtoli (*1 Cor. VII 2.*) parens nouum, qui tibi offertur, Paſtoratum ita adminiſtres, vt ſupremo iudici rationem laeta mente reddere ſemper ſis paratus.

(i) Accidit videlicet interdum, vt Paſtorale munus ſuſcipiat, qui ad aliud magis eſt idoneus, & in eo plus officiorum praeſtare poteſt reip.

(*) Hic factus in Academia collega Lutheri non legitur ab eo reprehenſus: vt adeo ſententiae noſtrae ſocium habeamus Lutherum. A. 1747 Simon Frid. *Rueſius*, e Paſtor. factus Tubingae Profeſſor Hiſtoriarum, Orationem habuit *de transitu e ſuggeſtu ſacro ad cathedram Academicam.* Ibidem a. 1750.

ſterus, quem abdicato Paſtoratu Auguſtano Witteberga accepit Profeſſorem linguae Hebraicae.

XXII.

Veniamus ad illas concluſiones, quae ad Principes, reip. ſimul & eccleſiae rectores, pertinent. Harum en *prima*: Princeps & quilibet magiſtratus ſupremus ius habet praeſcribendi Paſtori, quo loco & quo tempore & (k) quamdiu & de quibus textibus concionari debeat, quae item feſta celebrare vel non celebrare, quibus ritibus vti inter ſacra, quali veſtitu. *Secunda*: Princeps poteſt Paſtorem transferre ad alium Paſtoratum, itemque ad munus aliquod ſcholaſticum, ſi prae caeteris (l) ad id ſit idoneus. Hinc nec vitio debet ei verti, ſi tranſire Paſtorem iubeat ad Profeſſionem quamcunque Academicam, ſi Spartam hanc ornare poſſit inſigniter. *Tertia*: Prudenter & clementer facit Princeps, ſi eum, qui ob errorem aliquem dogmaticum (m) exuendus

1750, e Paſtore pagano *Plouquetus* factus eſt Profeſſor philoſophiae.

(k) Vid. Ioach. Langii Diſſ. *de iuſta concionum menſura*, *Commentario* eius ad *Pentateuchum* ſubiuncta.

(l) Scilicet errare poteſt electio humana, isque creari Paſtor, qui rectius vocatus fuiſſet ad munus aliud.

(m) E. g. ſi quis negat, ſe ſalua conſcientia poſſe ſolennem peccatorum remiſſionem exercere; ſi quamvis damnet ſaltationem; ſi chiliasmum non ſolum foueat, ſed etiam auditoribus commendet tanquam articulum fidei. Tales errores exilio & mendicitate

ctus est Pastoratu, muneri cuipiam (n) ciuili praeficit, vt, vnde se alat & suam familiam, habeat. Fames enim eique adiuncta caetera miseria est nimis grauis poena eius, qui errat quidem, sed errando non peccat contra conscientiam. *Quarta*: Potest Princeps Pastorem (o) grauissimi criminis reum eadem, qua caeteros ciues, poena (p) afficere.

XXIII.

Duae restant animaduersiones, quas putamus minime praetermittendas. Primum diuinam vocationem, qualis Pastoribus assignari potest ac debet, eodem modo habent caeteri veritatis a CHRI-

tate punire, non est humanitatis, sed zelum sapit Pontificium.

(n) Initio huius saeculi qui Depositor erat Academiae Ienensis, antea fuerat Pastor ecclesiae paganae: quem Pastoratum abdicare coactus erat ob vitium aliquod doctrinae. Balthasari Beckero, cum exutus esset suo munere, magistratus reliquit totum suum salarium. Berolini Schadius, & Lipsiae Berndius, suo exuti munere, quotannis accipiebant tantum pecuniae, vt inde vitam possent sustentare. Quaeri hic etiam potest, an Richelius impie fecerit, cum relicto Episcopatu regendam suscepit rempublicam.

(o) Adulterationem monetae aliquando Pastor quidam huius nostrae Saxoniae luit praescripto lege publica viuicomburio.

(p) Idem ius cum sibi vindicaret resp. Veneta, quanta ira Papae Pauli V. accensa sit, nemini docto ignotum est. Breuis eius rei narratio exhibetur ab Heideggero in *Historia Papatus* §. 220.

CHRISTO & eius Apoſtolis traditae doctores publici, Theologi (q) Academiarum & Gymnaſiorum, Catechetae item eccleſiarum & ſcholarum ſiue oppidanarum, ſiue paganarum. Etſi enim hi Sacramenta non adminiſtrant, id tamen faciunt, quod praecipuum eſſe munus Paſtoris, docuit (r) Apoſtolus. Nec dubitamus igitur fateri, pium ſcholae paganae magiſtrum, paſtorem quippe (s) agnorum, ſe non minus ſolari & ad fidelius gerendum munus ſuum excitare poſſe contemplatione diuinae ſui vocationis, quam Paſtorem ſuum. Ex quo ſequitur, & his ludimoderatoribus opus eſſe iuſta rerum pueris puellisque ſuis tradendarum ſcientia caeterisque praeterea docentium dotibus, ac grauiter peccari ab iis, qui eum, qui ſibi adhuc fuit a calceis, huic admoueri muneri poſſe credunt. Digna ſunt, quae hic repetantur, verba (t) Syrbii, Theologi pariter ac Philoſophi Ienenſis egregii. *Dolendum eſt magnopere*, inquit, *hominibus ſaepe imperitis & ad functiones omnes inutilibus officia ſcholaſtica committi in ſcholis inferioribus. Cuius rei cauſa non eſt alia*, *quam praeiudicium vulgare, quo contra expreſſum*

(q) Horum diuinam vocationem agnouit, imo ſine vlla haeſitatione ſuppoſuit clariſſimus ille & praeſtantiſſimus Theologus, Rambachius, in Diſſ. ſupra memorata.

(r) *1. Cor. I. 17.* Hinc Paſtores noſtri non dedignantur appellari *Concionatores*, hoc eſt, doctores publici.

(s) *Ioan. XXI. 15.* Vid. ad h. l. Ioach. Langius.

(t) In Diſp. *de re ſcholaſtica recte conſtituenda* §. *XVI.*

pressum (u) *DOMINI mandatum contemnuntur paruuli*, caetera.

XXIV.

Alterum, quod hic obseruatu dignum, hoc est. Quemadmodum institutum DEI est munus ecclesiasticum, sic & magistratus ciuilis est institutum DEI. Ac disette διαταγὴν τοῦ Θεοῦ vocat Paulus (x) magistratum ciuilem, & rursus (y) ait, eum esse a DEO *ordinatum*, hoc est, institutum. Ex quo cognoscimus, & eos Christianos, qui legitime hoc in statu viuunt, siue (z) supremam siue subordinatam in ciues habeant potestatem, gratulari sibi posse de vocatione (a) diuina generali, quam (b) supra descripsimus. Specialis etiam vocatio DEI ad regendam remp. peruenit ad non-

(u) *Matth. XVIII. 10.*
(x) *Rom. XIII. 2.*
(y) Ibidem *v.* 1.
(z) *1. Petri II. 13. & 14.*
(a) Etiam magistratum & coniuges vocationem habere diuinam, quidam Theologorum nostrorum agnoscit in den Unschuldigen Nachrichten anni 1715. *p. 867. & 868* Diuiniorem autem cum idem esse credit *p. 869.* piorum Pastorum vocationem, quam piorum magistratuum piorumque coniugum & aliorum in munere aliquo DEO grato versantium, non est, quod id illi largiamur: etsi sanctius omnino est obiectum Pastoralis muneris. Dignum memoratu, Imp. Fridericum II. apud Auentinum *lib. II. cap. 5. §. 3.* scribere, *se a DEO constitutum esse caput Romani Imperii.*
(b) §. *IV.*

nonnullos, immediata ad Mosem, mediata ad Dauidem. Merito igitur hoc argumentum singulari in Dissertatione (c) persecutus est Willenbergius, ICtus Gedanensis clarissimus, quam inscripsit *de vocatione diuina ad officia ciuitatis secularia.* Nec omittendum tertium, vel potius ordine primum, institutum diuinum, matrimonium: quod ob hoc ipsum aeque, ac ministerium ecclesiasticum, *sanctum* appellari solet, & quidem, vti merito iudicamus cum (d) Buddeo, verissime rectissimeque. Qui igitur hoc in statu secundum leges a DEO praescriptas viuunt, eos & ipsos solari se posse vocatione ad hoc vitae genus diuina, & vocationis huius diuinae memores pie colere matrimonialem amicitiam sancteque educare liberos debere, manifestum est. Pertinet proinde & ad coniuges Paulinum (e) illud: *Vnusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat,* hoc est, ei conuenienter se gerat. Constat etiam, quosdam specialem a Deo vocationem accepisse ad certam ducendam vxorem, Hoseam videlicet (f) prophetam & (g) Isaacum. Inepte autem facere Herrenhuthanos, cum sortitione vtuntur ad eliciendam specialem DEI ad coniugium vocationem, facile agnoscimus: idque accurate demonstrauit doctissimus ecclesiae Francohusanae Diaconus, M. D. G. Mullerus, in singulari libro

a.

(c) A. 1730. edita.
(d) *Instit. Theol dogm. lib. V. cap. 4. § 30. p. 1286.*
(e) *1 Corinth. VII. 20.*
(f) *Hoseae I. 2*
(g) *Gen. XXIV. 42. sqq. & 50 51.*

a. 1742. edito. Illud adhuc adiicimus, praeceptum Pauli modo allatum omnibus perpetuo versari ob oculos debere, qui siue doctores sunt ecclesiae, siue magistratum gerunt, siue viuunt in coniugio. Inprimis ecclesiae ministri, muneri praefecti omnium sanctissimo, cogitabunt, sibi, cum de diuina sui vocatione generali non minus certi sint, quam de speciali erant Prophetae & Apostoli, operam dandam esse maximam, vt fidelissimos se praestent ἐργάτας, cum dubium non sit, fidem ipsorum exceptura esse praemia non solum aeterna, sed etiam omni cogitatione maiora; infidelitatem affectum iri poena & aeque longa & multo grauissima.

XXV.

Fortasse quaeretur etiam in hac Dissertatione sententia nostra de vocatione DEI *interna*, quam vocant, ad munus ecclesiasticum. Quare nec de ea commentari pigrabimur: quanquam paucis defungi possumus hoc officio. Obseruamus primum, hanc appellationem nusquam occurrere sacro in codice. Postquam vero ea vsus est Lutherus, quem primum huius appellationis auctorem nominat Iodocus Andreas (h) Hiltebrandtus, Pastor Stargardiensis, ea placuit non nostris

 solum,

(h) Hic a. 1715. edidit Berolini singularem libellum *de vocatione externa:* cui a. 1721. adiunxit *Continuationem* eius. A. 1714. Lipsiae edidit M. Frid. Gottlieb Kranzius Disputationem *de vocatione diuina naturali* lectu dignam.

ſolum, ſed Reformatae quoque eccleſiae theologis. Eſt vero haec appellatio minus propria adeoque figurati ſermonis: id quod iam vidit eximius ille Roſtochienſis Academiae theologus, Ioannes Aſſelmannus, vocans eam (i) *quaſi internam vocationem.* Ea appellatione qui vſi ſunt, non idem omnes ſignificant. Quidam ita vocant internum Spiritus ſancti de ſpeciali ad munus eccleſiaſticum vocatione teſtimonium. Hoc in numero praeter Foertſchium, quem ſupra (k) laudauimus, Caluinus (l) eſt. Alii hoc nomen tribuunt ardentiſſimae propenſioni ad ſcientiam rerum ſacrarum, cum pio deſiderio coniunctae fungendi aliquando ſacro munere. Hoc ſenſu *vocationem internam* vocant (m) Gerhardus, (n) Voëtius, (o) Mayerus, (p) Spenerus, (q) Breithauptus. Talem adiungimus locum Burneti, Epiſcopi Salisburienſis, qui in *Concluſione* eius *Hiſtoriae ſui temporis* (r) reperitur his verbis fluens: Keiner ſoll in den geiſtlichen Stand zu treten bedacht ſeyn, der nicht in ſeinem Herzen eine Liebe zur Religion, einen Eifer vor dieſelbe, und eine innerliche Gottesfurcht empfindet, welche haupt-ſäch-

(i) In *Appendice Syntagmatis Exercitationum Academicarum p. 271.*
(k) § *XIX.*
(l) *Inſtit. relig Chriſt. lib. IV. cap. 3* §. *XI.*
(m) *Loco Theol. de miniſt. eccl.* §. *75.*
(n) *Polit eccl. P II lib III cap. 1*
(o) In *Muſeo miniſtri eccleſiae P. I. p 7. & 27 ſqq.*
(p) Theol. Bedenken *T. I. P. I 441. & T. II. p. 402.*
(q) In Diſp. *de noti candidati miniſterii p. 5.*
(r) *p. 7.* verſionis Germanicae.

sächlich durch das geheime Gebet und durch Lesung der heiligen Schrift unterhalten werden. So lange diese Dinge dem Menschen eine Last sind, ist es ein gewisses Zeichen, daß er keinen innerlichen Beruf zum Amte habe. Alii denique eam vocationem, quam supra (s) nos *generalem* nominauimus, *internam* appellitant. Nuper hic sensus Ven. Io. Iacobo Lauatero, Theologo Tigurino, placuit, ita (t) scribenti: *Sub nomine divinae vocationis internae intelligo donum DEI ordinarium & ordinariis modis mediisque collatum, quo quis tum necessariam ac sufficientem facultatem habet ad ministerium ecclesiasticum rite exercendum, tum etiam sincera voluntate praeditus est, illo secundum omnes suas vires ad gloriam DEI & aedificationem aliorum hominum fungendi.* Nihil nunc addimus, nisi quod putamus, careri posse hac appellatione in doctrina de ministerio ecclesiastico, figurata quippe & a proprietate sermonis paulisper recedenti; liberum tamen esse eius vsum, modo suum quisque sensum manifestet nec distingnenda confundat.

* * *

ADDENDVM AD §. XIII.

Pontificii fermenti tantum retinuerant saeculo decimo sexto Reformati Batauiae Pastores haud pauci, vt magistratibus iure suo vsuris obsisten-

(s) §. *IV*.

(t) In Disp biennio abhinc edita *de ministerii ecclesiastici dignitate* §. XXIX.

ſiſtentes acriter contenderent, ſolis Paſtoribus ius eſſe nouos eligendi Paſtores, nec eam curam pertinere ad rectores ciuitatis. Docet id pluribus ac ſimul reprehendit Grotius in *Apologetici* ſui, Pariſiis 1640. editi, *cap. VII. p. 134. ſqq.* Ad hunc (Grotium) exſtat Gerh. Io. Voſſii Diſſ. *de iure magiſtratus in rebus eccleſiaſticis*, a. 1669. edita, in qua & ipſa ius ſuum vindicatur magiſtratui. Conf. de Belgica hac lite Thomaſii *Hiſtoriae contentionis inter imperium & ſacerdotium* Appendix *§. XXI. ſqq. p. 345. ſqq.*

APPENDICVLA.

Ad hanc Diſſertationem refutandam tres accinxerant ſeſe doctiſſimi viri & in palaeſtra Academica exercitatiſſimi. Quo minus id, quod conabantur, praeſtarent, obſtitit lucidiſſima veritas. Hanc & ipſis cernere facile erit, ſi voluerint neglecta traditionis auctoritate ſuis uti oculis, &, quod ego feci, a diluculo ſenſim pedetentimque progredi ad lucem meridianam.

DIO CHRYSOSTOMVS *p.* 152.

Difficile eſt DOCERE, ſed DEDOCERE eſt multo difficilius, praeſertim eos, qui longo tempore ſunt in errore verſati, nec errant ſoli, ſed ſocios erroris habent patres & auos & omnes ferme maiores ſuos.

XI.

PROGRAMMA (a) DE MAGNO SVCCESSORE MOSIS CHRISTO DEVT. XVIII. 15. & 18.

D. G.

Recurrit, CIVES cariſſimi, dies ille, qui ſummam piis attulit & in perpetuum afferet laetitiam, quique non ſolum pios homines exhilarat, ſed etiam angelos. Hi & hoc tempore nobis gratulabundi acclamant, quod olim piis Iudaeis acclamabat (aa) eorum vnus: *Laetamini, laetamini, & ſummo gaudio efferimini. Natus eſt hodie, & natus vobis eſt, Saluator, CHRISTVS.* Quanta quantae haec eſt cauſa laetitiae! Habemus nunc eum, qui a peccatorum poenis, ſimulque ab ipſis peccatis, nos liberat, DEOque, cuius ira erga nos flagrabat, reddit gratioſos. Habemus nunc eum, qui non ſolum in hac vita nos facit (b) filios DEI, hoc ipſo nomine plenos laetitiae (c) perpetuae, ſed etiam vita hac de-

(a) Nomine Academiae 1749. publicatum.
(aa) *Lucae II. 10. 11.*
(b) *Ioan. I. 12.*
(c) *Phil. IV. 4.*

defunctos euehit in coelum, aeternae felicitatis hilaritatisque domicilium.

Solemus hoc tempore sacri codicis locum aliquem vobis, CIVES, exhibere contemplandum ad alendas huic potissimum festo conuenientes pias meditationes. Elegimus nunc eam de CHRISTO praedictionem, quam Petrus *Act. III.* 22. in primo suo ad Iudaeos sermone recitat e *Deut. XVIII. 15.* & *18. Prophetam*, ibi inquit Moses, *e medio tui, e fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi IEHOVA, DEVS tuus.* Agnoscunt omnes, nec possunt non agnoscere, qui Christiani sunt, ac norunt, non tam Petri hanc interpretationem esse, quam loquentis per Petrum (d) Spiritus sancti, agnoscunt, inquam, omnes, verbis his praesignificatum fuisse IESVM CHRISTVM, dominum nostrum. Illud vero disputatur, vtrum CHRISTVS his verbis describatur immediate sensuque literali, an mediate sensuque mystico. Constat enim inter theologos, vtriusque sensus praedictiones de CHRISTO reperiri in *Veteri Testamento*: inter quas notissima fere est illa, quae *2. Sam. VII. 12. sqq.* & *2. Paralip. XVII. 12. sqq.* occurrit. Ibi quippe de Salomone primum & literalem sensum esse, de CHRISTO secundum & mysticum, lucide praeter alios docuit in *Philologia* sua *sacra* (e) Glassius.

Ne quid obscuritatis obiiciatur vobis, CIVES, in *Vetere Testamento* quaedam personae non

(d) *Matth. X. 20.*
(e) *p. 381. sqq.*

non vno nomine ſimiles erant CHRISTO, atque adeo ad ipſum e longinquo repraeſentandum ac praefigurandum aptae. Talis CHRISTI typus erat Dauid, Salomo, Ionas, Ioſua. De his igitur loquens DEVS per prophetas deſcribebat interdum ſimul antitypum, CHRISTVM, & ita cum ſenſu primo ſiue immediato & auditoribus lectoribusue obuio coniungebat ſenſum reconditum ſiue myſticum. Senſus igitur primus & immediatus & literalis erat de typo: ſenſus reconditus & myſticus de antitypo, CHRISTO. Qui ſenſus myſticus non poteſt cognoſci certius, quam ex manifeſtatione ipſius DEI, interdum per prophetam aliquem Veteris Teſtamenti, interdum per apoſtolos, ſenſum illum myſticum piis indicantis. Subinde etiam quaedam immiſcebantur literali ſenſui, e quibus cuiuis attentiori facile apparebat, literali ſenſui ſubeſſe ſenſum illum ſublimiorem auguſtioremque: tumque, cum ſiue propheta ſiue apoſtolus aliquis expromeret ſenſum myſticum, plena lux affulgebat piis mentibus, ne vmbra quidem dubitationis remanente.

Praemiſſis hisce praeſtructisque contemplemur age locum noſtrum attentius, vt manifeſtum nobis fiat, vtrum verba haec de duobus loquantur ſucceſſoribus Moſis, altero proximo, altero poſt plura ſaecula venturo, cuius prior fuerit typus; an ſermo ſit immediate & vnice de CHRISTO. Prior ſententia facilem habebit demonſtrationem, ſi cogitemus, quo ſenſu verba Moſis intellexerint nec intelligere non potuerint, qui

tum ex ipſius Moſis ore ea audiebant. Hi videlicet adhuc duce rectoreque vſi fuerant Moſe, nec habebant incognitum, Moſe e viuis ſublato alium ſe ducem eſſe accepturos, qui ipſos deducat Cananaeas in terras, nouamque ibi formet ac diuinam rempublicam. Iam *Num. XXVII. 15. ſqq.* didicerant, non a Moſe ſe introductum iri in Cananaeorum patriam, ſed a ſucceſſore ipſius, Ioſua: idque ipſis denuo confirmarat Moſes *Deut. III. 25. ſqq.* Nunc igitur *Deut. XVIII 15.* audientes, DEVM ſibi daturum eſſe prophetam Moſi prophetae ſimilem, eique pareri iubere, denuo agnoſcebant, ſe poſt Moſis mortem Ioſuam accepturos eſſe talem rectorem ac ductorem, qualis adhuc Moſes fuerit. Faciebat profecto tum DEVS Ioſuam prophetam ſuum, & ei manifeſtabat, quae perferenda erant ad populum, id quod e *Ioſuae I 1. III. 9. IV. 1. VII. 10. X. 8. & 12. XIII. 1.* ac pluribus locis manifeſtiſſimum eſt. Haud igitur vltimum tenet inter prophetas locum Ioſua, a Iudaeisque ſummo iure appellabatur (*) *propheta:* id quod e Siracidae *cap. XLVI. 1.* liquido cognoſcimus. Hebraei vero illi, quos tum allocutus eſt Moſes, in hoc ſuo verborum eius iſtorum intellectu haud dubie confirmabantur, cum poſtea *Deut. XXXI. 2. 3. 7. 14 & 23.* rurſus eos docebat Moſes, non a ſe, ſed ab Ioſua (quem non inſcite

(*) Veteres Iudaei helleniſtae eum in codice *Veteris Teſtamenti* vocarunt Ioſuam נביא, id eſt, *prophetam.* Hoc enim ſibi vult nomen Ναυῆ. Vid. meae *Primitiae Gottingenſes Academicae p. 151.*

inſcite Tertullianus in libri *de monogamia* ſexto capite appellat *Moſem ſecundum,*) introductum iri in promiſſas ſedes. Quare, nouo ſuo duci, Ioſuae, eandem, quam Moſi praeſtiterant, ſe praeſtituros eſſe obedientiam, pollicebantur: id quod relatum legimus in *libro Ioſuae cap. I. 17.* Memores erant videlicet mandati a DEO per Moſem accepti *Deut. XVIII. 15.* & *19.* Cum enim DEVS *v. 15.* dixiſſet: *ei obedite,* & *v. 19.* addidiſſet, *grauiter punitum iri, qui ei non obedierint;* ipſi quoque in *libro Ioſuae cap. I. 17.* repetentes illa ipſa verba, tanquam hoc ipſum ſibi volentia, promittunt obedientiam, & *v. 18.* addunt, mortem ſubituros, quicunque futuri ſint Ioſuae inobedientes.

Subiicere facile nunc eſt breuem ac iuſtam totius noſtri loci paraphraſin. *Cum delati fueritis*, inquit *v. 9. ſqq.* Moſes, *in promiſſas vobis ſedes, multos & varios ibi videbitis prophetas ethnicorum falſos. Vos vero (v. 13. 14.) fugietis & ipſos & falſos eorum deos. Habebitis enim ibi (v. 15.) prophetam DEI magnum, prophetam mihi ſimilem, Ioſuam. Hunc ita, vt me nunc auditis, audiatis, hunc non minori, quam me, obſequio proſequamini. Quod ſiquis (v. 19.) eum ſpernet, nec ei obediet, ab eo grauiſſimam expetiturus eſt DEVS inobedientiae poenam. Et ſi quis forte (v. 20.) inter vos ipſos tum prodierit ac ſe Ioſuae oppoſuerit propheta mendax, is afficiatur ſupplicio.*

Cae-

Caeterum non erat Mosi ex omni parte similis Iosua, sed eo duntaxat nomine, quod aeque ductor erat rectorque populi, vt Moses fuerat, quodque, vti cum Mose fuerat DEVS, ita & cum Iosua erat: quae ipsius DEI est comparatio Iosuae cum Mose in *libri Iosuae cap. I. 5.* & *cap. III. 7.* Alioqui & dissimilis erat Mosi Iosua, si respicias eminentiam χαρίσματος prophetici, qui similem Mosi prophetarum posteri temporis fuisse neminem, docemur *Deut. XXXIV. 10.* Hic etiam legimus, ea re praecelluisse Mosem prophetis caeteris, quod allocutus eum sit DEVS *facie ad faciem*, hoc est, familiaritate quasi quadam singularissima eum bearit: quae ipsius DEI est interpretatio *Num. XII. 6. 7. 8.* & Mosis quoque *Exodi XXXIII. 11.*

Quem adhuc exposuimus & illustrauimus sensum literalem illustris nostri loci, eum agnouerunt & Iudaei (f) antiquissimi, (id quod a Siracide docemur *cap. XLVI. 1.*) & plures vetustissimae ecclesiae doctores. Iustinus martyr in *Dialogo cum Thryphone* (g) docet, Iesum (hoc est, Iosuam) typum fuisse nostri IESV, Mosisque successorem factum in terram sanctam introduxisse reliquias Hebraei populi. Quod hic obscurius expo-

(f) Testatur & Isidorus Pelusiota *lib. III. epist. 94.* suo aeuo Iudaeos verba haec Mosis intellexisse de Iosua. A quibus hereditate peruenit haec sententia ad Aben Esram, quem etiam Wolfius in *Bibliotheca Hebraica p. 72.* refert inter interpretes literales optimos

(g) *p. 329. sq.* editionis Iebbianae.

exponitur, clarius effatur Clemens Alexandrinus his (h) verbis: *Prophetam, inquit Moses, vobis excitabit DEVS, sicut me, ex fratribus vestris: per Iesum, Naue filium, significans IESVM, DEI filium. Adumbratio* (σκιαγραφία) *enim erat Domini* (IESV nostri) *nomen IESVS praenuntiatum in lege.* Similiter Tertullianus (a quo iam supra vidimus Iosuam appellari *Mosem secundum*, hoc est, prophetam Mosi similem,) in tertio *aduersus Marcionem* libro (i) loquitur. En verba ipsius: *Cum successor Mosi destinaretur Auses, filius Naue, transfertur de pristino nomine, & incipit vocari Iesus. Nam quia IESVS CHRISTVS secundum populum introducturus erat in terram promissionis, id est, vitae aeternae possessionem, ideo is vir, qui in huius sacramenti imagines parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus est figura, Iesus cognominatus.* Recentiori aeuo Andreas Masius, quem *dexterrimum Scripturae sacrae interpretem* vocat Glassius, etiam vidit, sensu literali locum nostrum de Iosua, mystico sensu de CHRISTO, capiendum esse, in laudatissimo suo *ad librum Iosuae Commentario*, & quidem ad *cap. I. 16.* Iam ante eum ita sensit Vatablus: & post eum hanc sententiam amplexatus est Emanuel Sa, Lusitanus theologus. Nec dubito, etiam Frid. Spanhemio probatam esse hanc interpretationem, etsi generatim scribit in *Dubiis*

(h) *Paedagogi lib. I. cap. 7.*
(i) *cap. 16.*

biis (k) *Euangelicis: Quod de propheta suscitando scribit Moses, duplex complementum habet.*

Acutius hi viderunt illis theologis, quos permouit intuitus eorum verborum, quae antecedunt, ac simul eorum, quae subsequuntur, vt locum nostrum interpretarentur de pluribus secuti Mosem aeui prophetis. Factum id a (l) Bucero, (m) Fagio, (n) Petro Martyre, (o) Caluino, (*) Beza, (p) Hacspanio, (q) Grotio, (r) Stillingfleeto, Io. (s) Clerico, Rich. (t) Simonio,

(k) *P. I. p.* 101. §. 9.

(l) *Comm. in Matthaei cap. XI. f.* 114. *a*, & in *cap. XXVIII. f.* 202. *b*, & in *Ioannis cap. V. f.* 41. *a*.

(m) In *Criticis sacris* ad *h. l.*

(n) In *Loc. comm. T. I. p.* 14. & 21.

(o) In Praef. ad *Comment.* suum in Iesaiam. Plura Caluini loca profert acriter aduersus eum disputans Hunnius in *Anti-Pareo altero p.* 396. *sqq.*

(*) In annotatione ad *Ioan. I.* 21.

(p) In *nota* ad *h. l.*

(q) *Lib. V. de ver. relig. Christ.* §. 5. & in *Comment.* ad *Deuteronomii* hunc locum. Legi vero etiam debent, quae is protulit ad *Act. III.* 22. & *VII.* 37. itemque ad *Matth. XVII.* 5: quibus locis agnoscit Grotius, mysticum huius loci sensum esse de Christo.

(r) *Orig. sacr. lib. IV. cap.* 4. *p.* 287. *sqq.* versionis Germanicae.

(s) In *Comm.* ad *h. l.*

(t) Breuiter in *Histoire critique du texte du N. T. cap.* 22. *p.* 267; diductius in *Biblioth crit. cap.* 39. *p.* 488. *sqq.* vbi & idem sentientes producit Lyranum, Tirinum, Oleastrum. Adiungit Calouius in *Bibliis illustratis* ad h. l. Tostatum, Bonfrerium, & Leonhardum Marium.

monio, Cl. (u) Herbarto. Repugnat vero huic interpretationi numerus ſingularis, clariſſime indicans, de vno quodam ſucceſſore Moſis haec verba fieri.

Illud tamen his, quos nominauimus, quorumque ſententiam reiecimus, libenter largimur, non poſſe hunc locum commode & probabiliter capi ita, vt immediate (**) hic indicetur CHRISTVS, deque eo ſolo loquatur Moſes. Certe quam fruſtra conſumatur opera, ſi velis id demonſtrare, ſuo demonſtrauit exemplo praeſtantiſſimus alioqui theologus, Gerhardus, in ſuo *in Deuteronomium Commentario*. Hic namque, cum obſtare ſuae ſententiae cerneret totius ſermonis Moſis cohaeſionem, connexionem *p. 1107.* exhibuit improbabiliſſimam, eique ſubiunxit interpretationem huius loci longiſſime petitam, minimeque proinde lucidam. Nec felicius id ſucceſſit Batauo theologo, Franc. Fabricio, qui idem, quod Gerhardus, negotii ſibi dedit in doctiſſimo opere, quod inſcripſit *Fidem Chriſtianam patriarcharum & prophetarum*, a. 1731. edito, & quidem *pag. 163. ſqq.* Non itaque fas putamus, alteros in alteros inuehi verbis acerbioribus, cum vtriusque partis theologi, certe plerique, ſint pietatis pariter ac eruditionis laude conſpicui, ſoloque

(u) In der Vermiſchten Hamburgiſchen Bibliothek *T. I. p. 876. ſqq.* & *T. II. p. 923. ſqq.*

(**) Nuper ita ſentientibus adſtipulatus eſt Thomas Stackhuſius in *Defenſione* ſua *religionis Chriſtianae cap. V. §. 13.*

loque veritatis amore ſtimulante ſuam vtrique & proponant & tueantur interpretationem.

A literali noſtri loci ſenſu progredimur ad (*) myſticum. Hunc piis expoſuerunt DEI inſtinctu tum prophetae, tum apoſtoli. De apoſtolo Petro (x) id iam habemus cognitum. Non eſt autem, quod dubitemus, id iam antea a prophetis fuiſſe factum. Certe ante natum CHRISTVM de Meſſia hunc locum interpretatos eſſe Iudaeos, certo docere poſſumus argumento. Manifeſtum ſcilicet eſt ex *Hiſtoriae Maccabaeorum libri primi cap. XIV. 41.* illius temporis eccleſiam Iudaicam noſtrum locum de Meſſia eſſe interpretatam. Facile nimirum intelligitur, prophetas, poſtquam luculentiorem ſuae eccleſiae exhibuiſſent notitiam de Meſſia, Ieſaiam inprimis ac Danielem, etiam docuiſſe, ſub verbis *Deut. XVIII.* 15.

(*) Sapienter Bengelius in *Gnomone N. T.* ad *Matth. I. 22. Saepe,* inquit, *in N. T. allegantur eiusmodi vaticinia, quorum contextum, prophetarum tempore, non dubium eſt, quin auditores eorum ex intentione diuina interpretari debuerint de rebus tum praeſentibus. Eadem vero intentio diuina, longius proſpiciens, ſic formauit orationem, vt magis proprie deinceps conueniret in tempora Meſſiae: & hanc intentionem arcanam Apoſtoli & Euangeliſtae diuinitus edocti nos docent.*

(x) *Act. III. 22.* Errorem vero haud leuem errauit Clericus, Petrum non tam ſuam, quam receptam illo tempore Iudaeorum interpretationem, protuliſſe ratus: merito grauiter hoc nomine caſtigatus a Ven. Deylingio in *Obſ. ſacr. lib. II. cap. 16. § 13.*

15. & 18. exhibitis latere praedictionem de prophetarum maximo, Messia. Cognoscimus hinc, quo iure Iudaei eo tempore, quo Messias in mundum venerat, hunc locum hoc sensu ceperint, Stephanus *Act. VII. 37.* caeterique Iudaei *Ioan. I. 46.* & *VI. 14.* & *Lucae VII. 16.* Recte proinde iudicant, qui putant, in oculis hunc etiam *Deuteronomii* (*) locum habuisse CHRISTVM, cum *Ioan. V. 46.* dixit, *Mosem de se scripsisse.* Agnoscebant enim Iudaei, quod maiores ipsorum a prophetis acceperant, mysticum illius loci sensum esse de CHRISTO, successore Mosis maximo & eminentissimo. Imo non dubitamus, angelum illum huc respexisse, qui *Matth. I. 21.* iubebat nato Messiae indi nomen IESV siue IOSVAE: vt scilicet cognosceretur, hunc esse verum *Iosuam* & eminentissimum successorem (y) Mo-

(*) Alia quoque V. T. loca ob oculos fuisse dicenti haec CHRISTO, existimat Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis* haud improbabiliter.

(y) Errarunt vero enormiter, vel potius delirarunt, qui siue literali siue mystico sensu hic significari crediderunt vel Muhammedum, vel Papam, vel Georgium Foxium. Primum in mentem venit Muhammedanis apud Hoornbeeckium in *Summae controuersiarum* libro tertio *p.* 113: alterum Davidi Huguenio, theologo Reformatorum apostatae, de quo id refertur in *Bibliothecae Bremensis T. VII. p.* 903: tertium ipsi Foxio, si fides habenda cuidam ipsius aduersario, cuius hoc testimonium profertur in *Diario theologico Loescheriano* ad

Mosis, ac veterem illum Iosuam fuisse typum Iosuae verissimi, Messiae.

Superest, vt cognoscamus, quae sit CHRISTI cum Mose cumque Iosua similitudo. Ad Mosem quod attinet, non omnis generis similitudines & conuenientiae CHRISTI cum Mose hoc loco innuuntur. Erat CHRISTVS Mosi similis vix natus. Non enim solum aeque, ac Moses, nascebatur occulte, sed etiam vterque statim veniebat in vitae periculum. AEque item, ac Moses, cibo caruit aliquando CHRISTVS per quadraginta dies. Non his & huius generis aliis rebus comparatur nostro loco cum Mose CHRISTVS, sed haec respicitur eius cum Mose similitudo, quod vterque propheta fuit totius populi, & quidem propheta eminentissimus, familiarissima vsus cum DEO consuetudine; vterque & maxima & plurima edidit miracula; vterque liberavit a tyrannide & summa miseria populum DEI, postea-

ad annum 1735. *p.* 203. Nec acute vidit, qui Ieremiam ratus est innui a Mose, Abarbanel: cuius ineptias castigauit Ven. C. B. Michaelis in *Prologomenis* suis *in Ieremiam* §. 27. Denique & is, qui nuper docere sustinuit, prophetam a Mose *Deut. XVIII.* 15. praedictum Paulum esse Apostolum, summo suo merito inter somniculosos interpretes refertur a Weismanno in quinto ad *Disp. de statu salutis improborum infantum* 1745. editam corollario. Iuliano autem Imperatori, qui apud Cyrillum Alexandrinum *lib. VIII. p.* 253. (Lipsiensis editionis anni 1696.) negat, Messiam a Mose significari potuisse, eadem facilitate, qua iudicanti de coloribus coeco, ignoscimus.

posteaque rexit imperio; vterque nouam condidit remp. eamque amplissimam. Quae tamen singula intuentes dicere de CHRISTO cogimur: *Plus, quam Moses, hic est.*

Iosuae quibus rebus similis sit CHRISTVS, facillime indagatur. Praeter miracula, quae patrauit vterque insignia, praeterque oracula vtriusque prophetica, ea similitudo est momenti maximi, quod, vti Iosua populum DEI introduxit in terram melle & lacte fluidam, hoc est, beatissimam & omnibus diuitiis deliciisque affluentem, sic verissimum DEI populum in coelum, in aeternae sedes beatitudinis, introducit CHRISTVS: de quo & hic exclamare nobis necesse est: *Plus, quam Iosua, hic est.* Et quam CHRISTO similis ipso suo nomine erat Iosua, commune quippe cum eo nomen gerens! *Iosua* namque & *Iesus* vnum idemque nomen est. Graeceque locuti Iudaei Iosuam non aliter appellarunt, quam Ἰησοῦν, tum in Graeco V. T. codice, tum in N. T. *Act.* VII. 45. & *Hebr.* IV. 8.

Laetamini nunc, CIVES, laetamini ob natum CHRISTVM, verissimum nostrum IESVM siue IOSVAM. Audite vero cum promissionem, tum comminationem, *Deut.* XVIII. 15. 18. 19. exhibitam, altaque mente reponite. Promissionem hanc habetis: Qui ei obedierit, gratus DEO erit ac beatus. Comminatio haec est: Inobedientes eiicientur e populo DEI, summaque, imo aeterna, poena afficientur. Eligere cuique

mortalium licet, quod libet. Patet via ad coelum, patet ad sedes tartareas. Qui huc tendunt, hoc est, eam vitam viuunt, quam non potest non sequi aeterna miseria, profecto stulti sunt maximum in modum. Nolite, quaeso, stultis his, vel potius insanis, vos aggregare, ô NOSTRI. Ad coelum, ad coelum tendite, hoc est, CHRISTVM, ducem ad coelum, feruidissime sequimini: tam benignum ducem amate ac veneramini toto pectore, atque eius praeceptis parete: laetitiam impiorum Sardoniam fugite, hoc est, huius mundi laetitiam, quae ex affluentia vanarum diuitiarum, vanorum honorum, vanarum voluptatum nascitur: contra vnice gaudete, quod CHRISTVS morte pro vobis subita DEVM peccatis vestris iratum placauit, vosque fecit DEI filios, emensosque huius vitae spatium aeternae eiusdemque immensae beatitatis reddet consortes. Natus est CHRISTVS in mundo: nascatur & viuat in vestro cuiusque pectore. Praestate vos, non tantum nominate, *Christianos*, & his quoque sacris diebus cum domi pietatem colite & alite, tum in publicis sacri populi concionibus.

P. P. primo dierum natiuitati FILII DEI sacrorum cIↄ Iↄ CCXLIX.

XII.
PROGRAMMA
DE
ADVENTV REGIS.

D. G.

Iterum celebraturi Augustissimi REGIS natalem, piisque vocibus sanctissimum hunc diem excepturi, iucundissime recordamur eius felicitatis, quam nuper rantae Maiestatis in hanc vrbem adventus nobis attulit. Scilicet quanta cupiditate conuertuntur oculi in solem a gentibus perdiu fulgentissimae lucis vsura priuatis, tantâ laetitia efferre ciues solet insolitus veluti exortus sui Principis. Cuius enim absentis tot tantasque auribus excepere laudes, tot ac tanta perceperunt beneficia, eum oculis vsurpare, eum digitis monstrare, & dicere: HIC EST, haud immerito pulcherrimum ducunt atque beatissimum.

Mirum igitur haudquaquam est, saepius relatum a nobis legi, vbi venturi essent Principes in vrbem quampiam, ciues nullum genus vel laetitiae vel ma gnificentiae omisisse, vt, quam prolixe faueretut qaamque deuoti essent suo Principi, testatum facerent. Tria huius generis adventuum exempla, quae repetam e prisca memoria, lectores, opinor, mei haud sine volu-

ptate recognoſcent. Primum Cnrtius (a) ſuppeditat, ita ingreſſum eſſe Babylona ſcribens magnum illum victorem Aſiae, Alexandrum. *Magna pars Babyloniorum*, inquit, *conſtiterat in muris, auida cognoſcendi nouum regem: plures obuiam egreſſi ſunt. Inter quos Bagophanes, arcis & regiae pecuniae cuſtos, ne ſtudio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque conſtrauerat: argenteis altaribus ab vtroque latere diſpoſitis, quae non thure modo, ſed omnibus odoribus cumulauerat. Eum dona ſequebantur greges pecorum equorumque: leones quoque & pardales caueis praeferebantur. Magi deinde ſuo more patrium carmen canentes: poſt hos Chaldaei, Babyloniorumque non vates modo, ſed etiam artifices cum fidibus ſui generis ibant. Laudes ii regum canere ſoliti: Chaldaei ſiderum motus & ſtatas temporum vices oſtendere. Equites deinde Babylonii, ſuo atque equorum cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam, exacto, vltimi ibant. Rex, armatis ſtipatus, oppidanorum turbam poſt vltimos pedites ire iuſſit: ipſe curru vrbem ac deinde regiam intrauit.*

De Veſpaſiano Imp. Romam ingreſſo ſimilia narrantem audiamus, quaeſo, (b) Ioſephum. *Vbi* Veſpaſianum *appropinquare nuntiabatur*, (en verba Liuii Hebraei!) *omnis multitudo cum coniugibus & liberis obuiam ei procedebat: &, ad quos in tranſitu adueniſſet, ii ad iucundum eius intui-*

(a) Lib. V. 1. 19. ſqq.

(b) Lib. VII. de bello Iud. cap. 4.

intuitum omne genus voces ediderunt, benefactorem & seruatorem, solumque, qui Romae imperet, dignum appellantes. Tota vero ciuitas templi instar erat, sertis & odoribus plena. Cum autem vix per circumfusam multitudinem in palatium venire potuisset, ipse quidem diis penatibus aduentus sui gratulatoria sacra celebrabat. Turbae autem se ad epulas vertunt, perque tribus & cognationes & vicinias conuiuia agitantes, cum libationibus Deum precabantur, vt & ipsi Vespasiano diutissime imperium conseruaretur, vtque filiis eius eorumque posteris nullis viribus expugnabilis maneret principatus.

Denique Traiani primum in vrbe totius terrae principe aduentum sic descripsit in *Panegyrico* suo (c) Plinius. *Qui dies ille, quo exspectatus desideratusque vrbem ingressus es! Iam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque! -- -- Non aetas quenquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes: aegri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Inde alii, se satis vixisse te viso, te recepto; alii, nunc magis esse viuendum, praedicabant. -- -- Videres referta tecta & laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum & instabile vestigium caperet: oppletas vndique vias, angustumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum: vbique par*

(c) Cap. 22.

gaudium paremque clamorem. Tam aequaliter ab omnibus ex aduentu tuo laetitia percepta est, quam omnibus venisti: quae tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

Solebant vero veteres Romani imperii ciues, fausti huiusmodi casus memoriam reddituri immortalem, aeri monetali inscribere ADVENTVS PRINCIPVM. Quo de argumento cum dudum explicuerit Ezechiel (b) Spanhemius, vir non dignitate, quam ingenio & eruditionis gloria, eminentior; vnum maioris formae nummum ex isto thesauro depromo, cuius altera facies laureatum Traiani caput exhibet, his circumscriptum verbis: IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. altera equitantem & hastam dextra tenentem repraesentat ipsum, praecedente muliere, dextra frondem lauream, sinistra cornu copiae tenenti; subsequentibus tribus militibus; superius hisce verbis adscriptis: ADVENTVS AVG. inferius istis: S. P. Q. R. OPT. PRINCIPI.

Liceat Romanam hanc pietatem nobis imitari, &, quod aeri vel marmori haud inscite inscriptura erat ciuitas Gottingensis. id victurae, ni

(d) *De praestantia & vsu numismatum* Differt. XIII. Sect. V. § 2. p. 620. sqq. Quendam Hadriani Imp. aduentui sacratum nummum, quem silentio praeteriit Spanhemius, non ita pridem descripsit celeberrimus vir, Theod. Hasaeus Diss. II. *de monumento Paneadensi* §. 17. p. 17.

ni fallimur, chartae inſcribere iubeamus Muſas, iam olim auſpiciis Illuſtriſſimi Ducis, IVLII, in hanc ciuitatem adſcitas, nunc REGVM GEORGIORVM munificentia magis magisque ornatas. In Gymnaſio igitur noſtro hoc poſitum eſto monumentum:

ANNI. MDCCXXIX.
DIE. VNDETRICESIMO. IVLIO
TOTA. GOTTINGA. VIDIT
AC. VENERATA. EST
VISV. VENERATIONEQVE
DIGNISSIMVM. REGEM. SVVM
GEORGIVM II.
PRINCIPEM. OPTIMVM
PRINCIPEM. MAXIMVM.

Caeterum vt charta haec fauſtitatis huius teſtis euadat luculentior, placet hiſtorica fide poſteris pariter atque exteris tradere, quae eo die videre contigit vix vnquam beatiori Gottingae. Iam aliquot diebus certa ſpes videndi tanti Principis ſumma laetitia impleuerat vniuerſos Gottingae & incolas & accolas. Excipiendus vniuerſis videbatur ſi non ſatis digne, certe ſatis pie proque oppidanorum facultatibus. Senatus populusque Gottingenſis commodiſſimo vrbis loco aedificabat portam regiam, frondium abiegnarum viriditate impoſitisque ornamentis haudquaquam

offenſuram REGIS oculos, & per totam viam, qua REX vrbem tranſiturus erat, ex vtraque parte periucundo ſpectaculo feſtas diſponebat arbores. Cohortis praeſidiariae Praefectus & copias ſuas & tormenta vrbem cingentia praeparabat ad praeſtandum REGI ſuum officinm. Eccleſia atque Gymnaſium conferebant c onſilia de pietate aduenienti ſanctiſſimo GEORGIO exhibenda. Poëtae denique neruos intendebant omnes ad excudendum aliquid, quod non diſpliceret PATRI PATRIAE. Illius diei, qui tantum ſidus erat huc loci aducturus, ſummo mane tota vrbs perſtrepebat diſcurſibus militum ciuiumque, demandata ſibi munia impigre obeuntium: &, qui nihil, quod agerent, habebant, domos tamen ſuas relinquebant ad teſtificandam pii gaudii ſummaeque exſpectationis ſocietatem. Ciues denique iuuenes haud exiguo numero equis obuiam euehebantur ſuo AVGVSTO, eumque deducebant in vrbem ipſo meridie. Ingrediebatur igitur REX vrbem hanc ſuam, dimiſſo Illuſtriſſimo comitatu & alia via Mundam praecedere iuſſo, paene ſolus bigis currum lentiſſime trahentibus, vt ſcilicet conſpectu REGIS exſatiari poſſent piorum ciuium oculi. A porta Wehndenſi vsque ad Gronenſem longiſſimo tractu partim milites, partim ciues militari ornati habitu, conſtituti erant ab vtroque latere. Intraturo portam regiam PRINCIPI Senatus ciuitatis & demisſiſſimam exhibebat reuerentiam & carmen per Syndicum offerebat pretioſo ornatum tegmine. Extra portam illam ab vna parte Antiſtes Eccleſiae, ab altera ego, vter-

que vna cum Collegis, ſtabamus, quamreuerentiſſime ſalutaturi benigniſſimum Eccleſiae pariter ac Scholae defenſorem nutritoremque. Etiam hic reddebantur REGI pia carmina (e) cum a duobus Collegis meis, tum a generoſo quodam Gymnaſii Studioſo, tum denique a me: cui nomine totius Gymnaſii carmen exhibenti, & perbreuem orationem (f) effundenti, placidas aures praebebat REX mitiſſimus, ſanctiſſimaque voce (ô diuinam REGIS humanitatem!) teſtabatur, haud ſibi ingratam eſſe Muſarum pietatem Gottingenſium. Ac veriſſime quidem dicere mihi licet praeeunte verba (g) T. Calpurnio:

- - - - REGEM
Vidimus, ac (non me decepit viſus,) in vno
Et MARTIS vultus & APOLLINIS eſſe notaui.

Hinc

(e) Plura honori REGIS hoc tempore dicata ſunt carmina, ſed aliis locis ei oblata: quae inter principem tenet locum Latinum poëma, quod Collegii eccleſiaſtici nomine contexuit Summe Reuerendus eius Antiſtes, idemque Regii Conſiſtorii Conſiliarius, D. HENR. PHIL. GVDENIVS.

(f) Poſtero die publicis ea exſcripta eſt literis. Quod docui in ſubiecta annotatione, Carolum ſcilicet M. Gottingam olim ſua beaſſe praeſentia, ipſiusque verbis docui, quae exhibuit, ſed verum ſenſum haud aſſecutus, Mabillonius; id aſſenſu confirmat ſuo Ioan. Georgius Eccardus, Vir Illuſtris, in der Nachricht von dem alten Pallaſte Salz in Franken §. XV. p. 30. ſqq.

(g) Ecloga VII. extr.

Hinc ſine mora iter proſequebatur ſacra Maieſtas, ſonantibus omnium templorum campanis, canentibus clariſſimo inſtrumentorum genere & e porta regia & e primaria turri muſicis omnibus, tormentis denique rugitu & fragore ſuo longiſſimum iuxta & latiſſimum aëris tractum implentibus. Quid? Non iuſſu publico, ſed ſola pietate inflammati ciues quamplurimi tendenti ad exitum vrbis REGI vndique acclamabant VIVAT voce fortiſſima.

Ita ergo viſus nobis eſt, optimi Gottingenſes,

- - caput (h) Auguſtum diademate cinctus
REX, vtriusque pater patriae, populi atque Senatus
Rector, militiae ſummum caput, optimus idem
Dictator, Cenſorque bonus morumque magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.

Sed fortaſſe hoc ipſum VIDIMVS triſtitiam vobis afferet, cupidis perpetuo videndi Patrem longe clementiſſimum. Fortaſſe & inuidebitis *toto diuiſis orbe* (i) *Britannis*, qui nunc receperunt Regem

(h) Sunt haec paulisper a me immutata verba Prudentii lib. II. *contra Symmachum* v. 430. ſqq.

(i) Ita Virgilius eos appellauit *eccl.* I. 67. Quem locum

Regem suum, & exquisitissimis colunt officiis. Sed feramus, quaeso, quod mutari non potest, &

cum cum vulgo capi putem alieno sensu, paucis aperiam meam sententiam. Scilicet qui adhuc legerunt haec verba, iis loqui poëta visus est de *toto orbe terrarum*, ac dicere, Britanniam esse a caetero toto terrarum orbe diuisam atque separatam. Quo quidem sensu Plinius lib. VI. cap. 22. *Taprobanen*, inquit, *alterum orbem terrarum esse, diu existimatum est*: & rursus eodem in capite: *Taprobane insula extra orbem a natura relegata.* Atque hoc sensu poëta noster *Georg. I.* 511: *Saeuit toto Mars impius orbe;* & *ecl. III.* 41: *Descripsit radio totum qui gentibus orbem;* & AEn. *IV.* 231: *totum sub leges mitteret orbem;* & *VII.* 258: *totum quae viribus occupet orbem.* Sic & Ouidius *Metam. V.* 489. Proserpinam vocat *virginem toto orbe quaesitam.* Taubmannus a vulgari interpretatione nonnihil recedens, Virgilium putat hic *orbem totum* vocare *Imperium Romanum:* quae sententia etiam comprobatur in *Fabri Lexico.* Sed possunt aliter capi, &, nisi fallor, debent verba Virgilii, vt dicat, Britanniam esse regionem *toto suo orbe* diuisam secretamque a Romanis, hoc est, esse insulam. Hoc modo Plinius lib. V. cap. 19. Tyrum vocat *insulam a continente septingentis passibus diuisam:* & cap 20. commemorat *insulam ducentos passus a continente distantem.* Vti igitur Virgilius *AEn. X.* 546. dixit *totum clypei orbem*, (etiam *AEn. II.* 227, *clypei orbem* memorans,) & *Georg. I.* 459. *lucidum orbem solis;* atque Curtius *VI.* 4. 16. dixit *totum orbem lunae;* sic hoc loco Britannos rex poëtarum ait toto suae insulae orbe discretos esse a caeteris nationibus. Britanniam quippe esse insulam, isto demum tempore *affirmatum*, hoc est, non incer-

ta

& gaudeamus; REGEM nostrum adesse nobis (k) absentem, hoc est, non vnquam abiicere curam nostri, sed ad augendam felicitatem ciuium toto pectore incumbere. Illud igitur faciendum vobis putate, vt assiduis precibus conueniatis supremum illud NVMEN, etiam atque etiam orantes, REGEM vt vobis praestet saluum & incolumem. Hodiernus vero dies vel maxime vos admonere debet huius pietatis, quo editus in hanc lucem REX vt ad exactae aetatis terminos perueniat beatissime gloriosissimeque, omnes precari debemus religiosissime.

Gymnasii quidem nomine hoc munus fungendum suscepit Iuuenis non gente, quam mente, nobilior,

OTTO HENRICVS HERMANNVS
de OEYNHAVSEN,
Eques Westphalus.

Is vt modestia morumque elegantia se nulli secundum esse studet, sic erudiendae & omni scientiarum genere imbuendae mentis suae mira flagrat cupi-

ta fama, sed certo cognitum fuisse, testis est Tacitus in *Vita Agricolae cap. X.* 5. vbi & *n.* 2. Britanniam vocat *insularum, quas Romana notitia complectitur, maximam.* Velim, lector philologe, & Freinshemii *Indicem Curtianum* adeas *v. orbis.* Sic *magnus orbis* apud Ouidium *Metam. VII.* 147. non est die große Welt, sed ein großer Kreiß des Erdbodens.

(k) Respicio Ciceronis illud *de amic.* cap. 7: *Amici absentes adsunt.*

cupiditate. Cum vero ad exercendam poëticam artem (quam nostra aetate complures Germaniae Equites suam fecerunt,) facillimum nactus sit ingenium, & varia iam ediderit venustioris eloquentiae specimina; nunc REGI Musam suam iussit canere, longumque confecit poëma sermone patrio, quo Guelficae domus decora inde ab vltimis temporibus recenset, & cum in laudes REGIS, tum in vota pro salute eius ac totius Augustae domus desinit. Hoc poëma die crastino, quo de renata natali luce gratulandum est PATRI PATRIAE, publica voce prolaturum Iuuenem Generosissimum vt, Viri omnis ordinis spectatissimi florentissimique, audiatis beneuole, quanta maxima possum contentione oro quaesoque.

P. P. Gottingae d. IX. Nouemb. cIↃ IↃ CCXXIX.

XIII.

DISPVTATIO (a) ARETOLOGICA DE FORTITVDINE.

(a) In Gymnasio Gottingensi 1720. m. Maio habita Respondente *Georgio Christophoro Schreibero*, Gottingensi.

D. G.

I.

Fortitudo dicitur illa virtus (a) animi, qua & mala praeſentia tranquillo animo tolerantur, & malis imminentibus ſtrenue ac imperterrita mente obuiam itur, eaque, ſi viribus prudentiae (*) auerti non poſſunt, animo diuinae prouidentiae ſe placide ſubmittenti excipiuntur.

II.

Mala illa duas diſtribui debent in claſſes. Alia videntur mala & ſunt; alia ſunt, ſed non videntur. Alia, inquam, ſpeciem habent mali, alia ſpeciem boni.

III.

Poſterioris generis mala fallaci ſua ſpecie oculos vel maximi animi virorum ſolent praeſtringere.

(a) *Virtutis* nomen κατ᾽ ἐξοχὴν tribui ſolet *fortitudini*. *Virtus* enim nominatur a *viro*. Vnde & Graece *fortitudo* vocatur ἀνδρεία. Ac homines *fortes* quis neſcit vocari *viros*? E. g. *ſi vir es*, item, *praeſta te virum*. Iidem *heroës* appellantur. Mulieres quoque fortes nomen gerunt *viraginum*. Hinc ſequitur, *fortitudinem* & *virtutem heroicam* eſſe ſynonyma.

(*) Non eſt enim viri fortis, ruere *in perniciem non neceſſariam*. *Imo fortium virorum eſt, magis mortem contemnere, quam odiſſe vitam*. Curtius V. 9. 6.

gere. Dum enim boni ſpeciem prae ſe ferunt, hominique, ſe non eſſe mala, blandiendo perſuadent, fit, vt ſuccumbat animus alioquin fortiſſimus. Exemplo eſt non ſolum Alexander, cui facilius fuit, barbaros deuincere, quam voluptates; verum etiam Simſon atque Dauid, qui ne leonibus quidem obuiam ire cum iisque decertare timuerunt, at a muliercula aliqua praeſtantioris formae in ſeruitutem ſunt redacti. Sequitur hinc, ſummum gradum fortitudinis eſſe, ſuperiorem eſſe voluptatibus, & quibusuis prauis cupiditatibus. Adeoque qui in pugna Rationis & affectuum atque in lucta carnis & Spiritus non ſuccumbit carni & irrationali cupiditati, ſed perdomito affectu ſtulto ſolam DEI voluntatem ſequitur, is vir eſt, heros eſt, fortitudinis laude longe digniſſimus eſt. Inde & concludimus, maiori fortitudine virum fuiſſe (b) Ioſephum patriarcham, quam Herculem, de cuius inuſitata fortitudine perſonant & rhetorum cathedrae & poë-

tarum.

(b) Vere dixit poëta neſcio quis: *Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit Moenia, nec virtus altius ire poteſt.* Non minus vere *Lutherus Comment. in Geneſ. f. 358. b*, *iuuenem caſtum*, quotidie luctantem contra libidinem carnis, *martyribus*, hoc eſt, heroibus fortiſſimis, cenſet annumerandum. Thomas Kempenſis *lib. I. de imit. Chriſti cap. 3: Quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere ſeipſum? In omnibus ſaeculis*, inquit Cicero *lib. XV. ad famil. epiſt. 4. pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quam qui hoſtium copias vincerent.*

tarum. Hercules enim ab Omphale vincebatur: Iosephum princeps mulier nec blanditiis nec minis vincere valebat.

IV.

Ad illa mala vt veniamus, quae & sunt mala & videntur, haec fere sunt: cruciatus corporis, seruitus, morbi, (c) mors; amissio eorum, quos maxime amamus, coniugis, liberorum, parentum, fratrum, amicorum; paupertas & ereptio bonorum siue facultatum; infamia & calumniae; ereptio dignitatis & exilium; insidiae vitae structae; religionis oppressio & ad eam, quam falsam iudicas & exitialem, coactio; contumacia & inobedientia (d) subiectorum.

V.

(c) Non aliud malum morte esse horribilius, (φοβερώτερον,) merito iudicant cum *Aristotele*, qui aeque, vt ille, rident doctrinam de animorum immortalitate. *Nihil*, inquit *lib. III. ad Nicom. cap.* 6. *horribilius est morte. Nam ea omnium rerum est extremum, nihilque reliquum esse mortuo videtur neque bonum neque malum.* Sed nos Christiani, diuinitus certiora edocti, longe mitius de morte sentimus, imo inter bona eam referre non dubitamus.

(d) *Mosem* legimus semet ipsum vocasse *virum afflictissima conditione*, propterea quod praeesset populo pertinacissime contumaci. Nec sine causa rectores iuuentutis scholasticae cuiuscunque aetatis inter martyres referuntur, quippe cum quotidie iis colluctandum sit cum petulantibus & legum dictamini repugnantibus discipulorum ingeniis. Vid.

Pip-

V.

Fortitudo in aduersa fortuna duo habet genera, (possunt etiam *gradus* vocari,) quorum alterum *Patientia* (*) vocatur, alterum *Magnanimitas*. Hae duae virtutes gradu differunt. *Patientiae* scilicet est, sentire quidem malum, ingemiscere, flere, attamen id constanter ferre, nec ad illud propulsandum quicquam facere diuinae legi aduersum. At *magnanimus* laeto (e) animo sustinet mala diuinitus immissa, seque dignum haberi gaudet, cuius fidem DEVS experiatur documentis omni exceptione maioribus. Vocatur a theologo quodam die fröliche Gedult, cui opponit die traurige Gedult. Prioris virtutis exemplum est Cato, qui in Ciceronis libri *de senectute* capite vltimo ait, *mortem se filii sui non quidem aequo animo, sed tamen fortiter tulisse*: posterioris ipse Cicero, in *Oratione quarta Catil.* IV. 1. *Feram*, inquiens, *non solum fortiter, sed etiam libenter*, hoc est, vt Muretus interpretatur, cum voluptate.

pingii *Memoria Theologorum p. 808.* id quod innuit etiam *Grato* quidam, cuius hoc distichon producit Celeb. D. *Ludouici* in *Historia Gymnasiorum* P. III. p. 21. & Cl. *Schumacherus* in *Vita Siberi* p. 160:

Gymnasii Rector sit semper FORTIS vt Hector,
Sicut Hiob PATIENS, vtque Sibylla SCIENS.

(*) *Fortitudinis ramum* vocat *patientiam* Seneca *epist. 67.*

(e) *Act.* V. 41: XVI. 24. 25.

VI.

Fortitudinis mala perferentis ſingulare exemplum praebent *Iobus*, *Abrahamus*, *Paulus*, (f) caeterique apoſtoli: vt omittam illud plane ſingulare patientiae exemplum, quod admiramur in *CHRISTO*, Domino noſtro. Vt extra oleas ſacri codicis paulisper feramur, fortitudinem in toleranda paupertatè praeſtitit (g) *Abdolominus*; in adeunda morte *Socrates*, *Iohannes Huſſus*, &, de quo lectu digniſſima exſtat *Poggii Florentini* epiſtola, *Hieronymus Pragenſis*; in perferendis cruciatibus *fratres Maccabaei* & *martyres Chriſtiani*; in ferenda aequo animo priuatione dignitatis *Ioannes Fridericus*, Elector Saxoniae; in ferendis calumniis ac dicteriis (*) *Auguſtus* & *Veſpaſianus*, Imperatores.

VII.

Aduerſa ſiue mala ſunt vel incumbentia vel imminentia. Qui & priora fert fortiter, & ad poſteriora non expaueſcit nec animo frangitur, is vere (h) *magnus* vir eſt. Longe igitur maiori

(f) *Rom.* VIII. 35. & 38.
(g) Curtius IV. 1.
(*) Vid. Suetonius in vtriusque *Vita*.
(h) Salomo *Prov.* XVI. 32: Ein Gedultiger iſt beſſer, denn ein Starker, und, der ſeines Muths HErr iſt, denn der Städte gewinnet. Praeclare *Cicero* ad Caeſarem in *Oratione pro M. Marcello cap. 3*: *Domuiſti gentes immanitate barbaras*, caetera. *Verum animum vincere*, *iracundiam cohibere*, --- --- *haec qui facit*, *non ego eum cum ſummis viris comparo*, *ſed ſimillimum Deo iudico*.

ri iure, quam *Alexander* ille Macedo, *Megalander* vocatus est (a) *Lutherus* vel ob solam illam vocem, in quam inter diras aduersariorum minas erupit: Hier stehe ich, ich kan nicht anders, GOtt helffe mir.

VIII.

Iam cum omnis generis mala proposita sint veritatis professoribus errorumque oppugnatoribus, maxime falsarum religionum euersoribus veraeque instauratoribus, quis non videat, tales viros principatum tenere inter homines fortitudinis laude conspicuos? Si igitur ex vero virtutem aestimare libet, fatendum est, multo fortiores *Alexandro Magno*, *Scipione Africano*, imo & *Gustapho Adolpho*, fuisse *Eliam* caeterosque prophetas, *Ioannem* baptistam, Apostolos, *Wiclefum*, *Hussum*, *Lutherum*, & quotquot pro diuini nominis gloria *inuictos* (i) se praebuerunt.

IX.

Laudatissima fortitudinis species est *fortitudo bellica*, quae duplex est, vel contra aggressorem priuatum, vel contra hostem publicum. Illam ICti vocant (k) *tutelam inculpatam*: haec

 in

(*) Exstat Valentini Alberti Disp. *de Lutheri virtute heroica.*

(i) Heroice prorsus exclamat magnus ille Paulus *Rom.* VIII. 37: Ἐν τούτοις πᾶσιν (non solum νικῶμεν, sed) ὑπερνικῶμεν.

(k) De hac copiose pereruditeque disputat *Pufendorfius*

in eo consistit, vt cum praesentissimo vitae periculo patriam iniuste oppugnatam animose (l) defendam. Caeterum notandus hic est error vulgi, bellicam istam virtutem pro primaria vel etiam pro vnica specie fortitudinis habentis. *Minuenda est haec opinio*, hoc est, refutandus hic error, inquit Cicero *lib. I. de officiis cap.* 22: quod caput ita concludit: *Sunt ergo domesticae* (*) *fortitudines non inferiores militaribus.*

X.

Est quoque vera fortitudo diligenter discernenda a fortitudine ψευδωνύμῳ. Falsa scilicet fortitudo est, [1] quae oritur ex impatientia malorum. Iniuste igitur Cato ille laudatur a (m) *Cicerone*, qui mortem ipse sibi consciscere maluit, quam ferre tyrannum. Sapientissime (n) Aristoteles: *Mortem sibi consciscere non est viri fortis, sed ignaui & mollis.* [2] quae iniustam gloriae potentiaeque amplificationem pro fine habet, non salutem ciuium. Hinc non pro viro forti, sed pro latrone *Alexandrum M.* habebant

fius lib. II. de I. N. G. cap. 5. & *Io. Iac. Mullerus*, Professor quondam Ienensis, Differt. *de moralitate inculpatae tutelae.*

(l) Talis heros erat *Dauid* cum *Goliatho* congrediens, ac postea cum *Philistaeis.*

(*) Hic locus occasionem dedit Io. Iouiano Pontano, singularem eumque egregium librum componendi *de fortitudine domestica:* qui in eius *Operum Tomo primo p* 218 *sqq.* reperitur.

(m) *Lib. I. de offic. cap.* 31.

(n) *Lib. III. ad Nicom. cap.* 7. extr.

bant Scythae, teste (o) *Curtio*. *Probe definitur a Stoicis fortitudo*, inquam cum (p) *Cicerone*, *cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate*. [3] quae oritur ex improba vindictae cupiditate. Vnde *duella* (*) siue pugnae singulares non ostendunt virum fortem, sed insanum. [4] quae hominem grauissimis obiicit periculis sine iusta causa. *Audacia* (q) haec est, non *fortitudo*. De *Alexandro* Macedone recte *Darius* (r) ad milites suos: *Temeritas est*, inquiebat, *quam adhuc pro virtute timuistis*. Eidem *Alexandro* (s) *Seneca*, philosophorum, non vulgi, sequens iudicium, & *Iulio Caesari* (t) *Florus*, iure meritoque tribuit *felicem temeritatem*. *Audaciae potius id nomen habeat, quam fortitudinis*, inquit Cicero *lib. I. de officiis cap. 19*. Recte etiam Quintilianus XII. 1. 23: *Non omnibus, qui fuerint manu promti, viri fortis nomen concesserim*,

(o) *Lib. VII. cap. 8. n. 19.* Adde omnino, quae *Augustinus* differit *lib. IV. de Ciu. Dei cap. 4.* Audiatur & *Philo* lib. *de fortitudine p. 736.* inquiens: *Multi plebeio iudicio appellantur gloriosi victores, cum sint immanes belluae humanum sitientes sanguinem.*

(p) *Lib. I. de Offic. cap. 19.*

(*) Fortitudo duellica, vt sic loquar, vnde oriatur, & quantum insaniae habeat, diserte non magis, quam sapienter eruditeque, exponit Hier. Osorius in exitu libri *de gloria* secundi per aliquo paginas.

(q) Singulare exemplum vid. in *Curtio* IX. 5. 1.

(r) *Curtius* IV. 14. 13.

(s) *Lib. I. de benef. cap. 13.*

(t) *Lib. III. cap. 10. n. 22.*

rim, quia sine virtute intelligi non potest fortitudo.

XI.

Scilicet fortitudo adeo longe abest a temeritate, vt potius prudentiam habeat comitem, vitamque pro diuino munere habeat haud temere profundendo. *Sunt*, ex vero inquit (u) *Aristoteles*, *quae pertimescere honestum est, & quae contra contemnere turpe est.* Ac relatum legimus, maximos quosque omnis aeui imperatores (x) in praeliis fuisse cautissimos suaeque saluti diligentissime prospexisse. Imo maximi belli duces agnouerunt, cum fortitudine consistere posse prudentem fugam, meritoque reprehenditur a (y) *Cicerone Callicratidas*, quod exitialem pugnam committere, quam fuga suis patriaeque rebus consulere maluerit. Vnde nec martyres illi sui nominis mensuram expleuerunt, qui inconsulte odiosam profitendo veritatem vel idola prosternendo, iram hostium veritatis prouocarunt, imprudentique zelo irritarunt crabrones.

XII.

Fortis etiam viri est, non metuere (z) spectra, sed in solitudine nocturna diuini praesidii fidu-

(u) *Lib. III. ad Nicom. cap. 6.*
(x) Hoc de argumento *Abbas de S. Regali* singularem edidit Dissertationem, recusam nuper in *Memoires de literature T. II. P. II. p. 105. sqq.*
(y) *Lib. I. de offic. cap. 24.*

fiducia impauidum tenere animum; item non concidere animo ad conſpectum fulguris vel auditum tonitru. Quia philoſophus ob ſcientiam cauſarum naturalium multa non metuit, quae extimeſcere ſolent homines philoſophiae imperiti, iſtam recte vocaueris, opinor, *fortitudinem philoſophicam.*

XIII.

Fortitudo comparatur, ſi & veras quorumvis malorum ideas animo ſubinde repraeſentaueris, (qua in re ducem ſe praebet *Molinaeus* libro ſecundo *de tranquillitate animi*,) & inter perpetuum pietatis (a) exercitium de diuino praeſidio (b) ſpem habeas exploratam, & praemia fortitudinis in altera vita conſequenda conſideraueris, & ſi denique DEVM ores, vt det tibi *Spiritum fortitudinis.*

(z) *Lutherum* legimus in arce Wartburgo nocturna Satanae ludibria infracto & ad pugnam parato excepiſſe animo. De *Athenodoro* philoſopho, ſumma conſtantia ſpectrum excipienti, exſtat narratio *Plinii lib. VII. epiſt.* 27: quanquam, fabuloſam eſſe fictamque hanc hiſtoriam, ſingulari Diſſertatione aliquot abhinc annis docui.

(a) Salomo *Prouerb. XXVIII.* 1: Impius etiam, cum nil metuendum eſt, metuit, ac *nemine inſequente fugit: at pius inſtar leonis ſecurum timorisque vacuum gerit animum.*

(b) *Dauid Pſalmo* XXVII. 1: Der HErr iſt mein Licht und mein Heil, für wem ſolt ich mich fürchten? für wem ſolte mir grauen?

XIV.

DISPVTATIO (a) DE LEGIS DIVINAE PARADOXAE DEVT. XXII. 6. 7. EXHIBITAE SENSV ET SCOPO.

LEMMATA.

De conatu & successu Spenceri, *rationes legum Mosaicarum explicare aggressi*, *I. Silentii eius de lege* Deut. XXII. 6. 7. *causa*, *II. Verba huius legis*, *eorumque versio*, *III. Interpretatio horum verborum*: האם על־הבנים, *IV. Notatur error* Io. Clerici *hanc legem interpretantis*, *V. Huius legis* παραδοξοφάνεια, *VI. De tacentibus ad hanc legem interpretibus eorumque pia prudentia*, *VII. VIII. Falsarum huius legis interpretationum prima*, *IX. secunda*, *X. XI. tertia & quarta*, *XII. quinta*, *XIII. sexta & septima*, *XIV. Ad nostram interpretationem praefatiuncula*, *XV. Primo quaeritur*, *quibusnam praescripta fuerit ista lex*, *& respondetur*, *XVI. Quae fuerit nouae huius legis causa & occasio*, *XVII. Cur non poenae comminatio*, *sed promissio praemii*, *adiun-*

(a) Habita d. 12. Oct. 1748. Respondente *Francisco Frid. Wilh. Kleinschmidio*, Hamelensi, S. Theol. Cultore.

adiuncta fuerit huic legi, *XVIII. Sapientia coelestis legislatoris in legibus educationem iuuentutis spectantibus conspicua*, *XIX. Mentio aliorum legislatorum, iuuentutem a crudelitate erga animantes, speciatim erga auiculas, seuere arcentium*, *XX. Conclusio*, *XXI.*

D. G.

I.

Pium vtique opus aggressus erat Io. Spencerus, Theologus quondam Cantabrigiensis, cum considerandas suscepit leges rituales Hebraeo populo datas, &, necubi offendi possent piae mentes, aut robur addi irreligiosorum hominum impiae illusioni, id egit, vt, sapientiae (a) plenas DEOque dignas esse leges has vniuersas, manifestum faceret. At, quod iis accidere solet, qui primi ad intentatum (b) aliis laborem se accingunt, vt e tenebris in lucem vndiquaque liquidissimam haud vbique emergant, sed nonnihil

(a) *Interdum occurrunt in Mose absurdae & stultae leges, vt aliquibus videntur:* inquit Lutherus *Comm. in Deut. Opp. Ien. Lat. T. III. f 75. b.* Recordemur hic illud Pauli *1. Cor. I. 25:* Τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί.

(b) *A nemine tractatum hoc argumentum se reperisse*, scribit in *Prolegomenorum* capitis tertii sectione quarta. Iterum: *E Christianis nemo*, inquit, *in hoc genere lucubrationis hactenus elaborauit.* Rursus ibidem scribit, *Iudaeos simul & Christianos a legum earum causis indagandis hactenus abstinuisse, nec quenquam adhuc prouinciam hanc suscepisse destinato consilio.*

nihil explicandum relinquant posteris, idem de Spencero iamdudum obseruarunt viri doctissimi. Inprimis clarissimus ille Batauorum theologus, Hermannus Witsius, suo subiecit iudicio opus illud Spencerianum, & singulari volumine, quod *AEgyptiaca* inscripsit, errores Spenceri refellere conatus est, ac, vt in exitu primi capitis scribit, *egregio insperfos abstergere corpore naeuos.* Verum nec hic satisfecisse putandus est acutioribus, praesertim cum a sententia, quam *lib, III. cap. 1.* & *2.* luculenter demonstrarat Spencerus, (etsi immiscens quaedam, quae rectius omissurus erat,) abhorreat, & *lib. III. cap. 14.* neget pernegetque, DEVM Hebraeis, magno caerimoniarum sacrarum apparatui in AEgypto adsuetis, paterna (c) συγκαταβάσει multos permisisse ethnicis vsitatos ritus, sed ita, vt eos ad veri Numinis cultum transferret.

II.

Nec vero solum leges illae, quibus caerimoniae sacrae praescribuntur, quod ad scopum earum

(c) Huic sententiae, iam, vt Spencerus docuit, a Patribus nonnullis, itemque a iunioris aeui theologis aliquot, probatae, etiam Lutherus noster subscripsit in *Comment. in Deut. Operum Lat. Ien. T III. f. 76.* editionis anni 1567. En verba eius: *Non alia de causa puto voluisse DEVM, caerimoniis istis populum formari, quam quod vidit, vulgus hominum laruis illis & speciebus maxime affici & capi.* Non ita pridem etiam Infantius, Berolinensis theologus, illustrauit hancce sententiam in *Praefatione generali ad Gallicam Bibliorum versionem p. 7.*

earum attinet, altioris sunt indaginis; sed etiam inter ciuiles leges, Hebraeis a DEO latas, sunt, quarum scopus explicationem habet difficillimam. Has inter illam nunc contemplabimur, quae *Deut. XXII. 6. 7.* exhibetur, tam ipsi Spencero obscuram, vt, cum caeteras hoc capite contentas leges, obscurum habentes scopum, accurate (d) considerarit, hanc alto praeteriret silentio. Scilicet ideo tacebat, quod frustra consumserat suam de ea meditationem, alioque (e) tempore ingenii sui vires erat experturus, si forte conatus tandem hic succedat prosperius. Verum, cum quartum postea operis huius sui librum elucubrarit, post mortem ipsius editum, nec tamen ibi commemoret illustrandamque suscipiat legem hanc, iure hinc colligimus, eum hanc legem contemplantem omne oleum omnemque operam perdidisse, nec reperisse, quod cum aliqua fiducia proferret in publicum.

III.

Audiamus legem hanc his verbis publicatam:

כי יקרא קן־צפור לפניך בדרך בכל־עץ או על־הארץ
אפרחים או ביצים והאם רבצת על־האפרחים או
על־הבצים לא־תקח האם על הבנים׃ שלח תשלח
את־האם ואת־הבנים תקח־לך למען ייטב לך
והארכת ימים.

Inter-

(d) *Lib. II. cap. 17. 18. 19. 20. & 21.*

(e) *Hac de lege quid mihi videatur, alibi magis aptus erit enarrandi locus*, inquit *lib. II. cap. 8. sect. I. §. 1. p. 445.*

Interpretationem adiungimus Iunio-Tremellianam: *Si obuiam fiet tibi nidus auium in via, in vlla arbore aut humi, nidus pullorum aut ouorum, vbi mater incubet pullis aut ouis, ne accipito matrem cum pullis. Prorsus dimittito matrem, pullos vero accipies tibi, vt bene sit tibi & prolonges dies tuos.* Ecce, si placet, & meam versionem, sensui magis legislatoris, quam dictioni Hebraeae, adstrictam. *Vbi incideris in agro deambulans in nidum auium, siue is in arbore aliqua fuerit siue humi, in nidum, inquam, in quo pulli sunt vel oua, matre pullis aut ouis incubante, caue matrem vna cum pullis suis inde eripias. Praecipio tibi seuerissime, vt matrem dimittas, & pullos duntaxat tecum auferas. Hoc pacto felicitatem tibi promitto vitamque longam.*

IV.

Nihil habent Hebraea verba obscuri, nisi quod אם על־הבנים alii *mater super pullis* reddunt, (inter quos Pagninus,) alii *mater cum* (f) *pullis.* Verum posterius esse amplexandum, Bochartus docuit in (g) *Hierozoico*, plurimisque similibus locis confirmauit (h) Noldius: e quibus duo

(f) Obseruatu haud indignum, vti Hebraice hic *pulli auium* vocantur *filii*, sic Graece filios humanos nominari νεότ]ια, *pullos*, a Theophrasto *Charact.* *cap.* 2.

(g) *P. II. lib. I. cap.* 16. *p.* 113.

(h) *Concord. partic. V. T. v.* על *num.* 9. Errat proinde

duo depromimus, hoc sensu eandem dictionem exhibentia. Scilicet *Gen. XXXII. 2.* timuisse legitur Iacobus, ne aduentans frater trucidaret אם על־הבנים, *matrem vna cum liberis:* & *Exodi XXXV. 22.* venisse dicuntur האנשים על־הנשים *viri simul & mulieres.* Ac veteres quoque illae versiones nostrum locum sic reddiderunt, Graeca: τὴν μητέρα μετὰ τῶν τέκνων, Latina: *matrem cum filiis siue pullis.*

V.

Caeterum Io. Clericus aliquo modo vitiauit hanc legem, sua in *Paraphrasi* scribens, matre dimissa licere *pullos & oua* auferri. Enimuero ita non loquitur lex, solorum pullorum ablationem permittens, & hoc ipso oua relinqui iubens, quod matrem vult dimitti incolumem, oua scilicet exclusuram, cum suum ad nidum reuersa fuerit. Acutius proinde vidit Phocylides, homo siue Iudaeus siue Christianus, ita legem hanc (i) interpretatus:

Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆς δε νεοσσούς,
Matrem autem dimittas, vt rursus habeas eius pullos.

VI.

de grauiter Spencerus, *lib. II. cap. 11. p. 487.* ita scribens: על *vix vnquam cum denotat.* Ipse *p. 719.* profert locum *Ezechielis*, vbi על putat significare *cum.*

(i) *Versu 81.* E Christianis fuisse hunc poëtam, praeter eos, quos Fabricius *Biblioth. Gr. lib. II. cap. XI. §. 3. p. 436.* nominat, censent Salmasius libri *de coma p. 552.* & Duportus in *Praelectionibus in Theophrasti Characteres p. 225.*

VI.

Praeceptum nunc huius legis confideraturi obferuamus initio, id adeo paradoxum videri, vt nonnulli in verba eruperint empaecta, quam religiofo theologo, digniora. Certe vix quisquam fine indignatione legerit haec verba Guilielmi, Parifienfis faeculo XIII. epifcopi, in fuo *de legibus* (k) libro effufa: *Quis audiat & rifum contineat, pro dimiffione vnius auiculae tantam promittere DEVM mercedem, quantam pro vniverforum mandatorum fuorum obferuatione?* Stupet etiam ad vitae longae promiffionem Paulus Fagius: *Quid meriti eft,* (l) inquiens, *auiculae donare vitam?* Imo & Lutherus nofter legis huius παραδοξοφάνειαν agnofcit, ita in fuo *in Deuteronomium commentario* (m) fcribens: *Stulte videri poffit pofita haec lex, vt quae de re adeo nihili non folum praecipiat, fed & felicitatem & longam vitam feruantibus promittat.*

VII.

Idem vero Lutherus, vt mala haec fpecies abftergatur huic legi, piam nauauit operam, pluresque alii Mofaicarum legum interpretes: quorum eos, qui noftros venerunt fub oculos, audiemus, &, an verum huius legis fcopum affecuti fint, idque, quod omnem nobis eximat fcrupulum, protulerint, attente iudicabimus. Occurre-

(k) *Cap. 4. p. 35. Operum T. I.* editionis Aurelianenfis.

(l) *Annot. ad h. l.*

(m) *Opp. Ien. Lat. T. III. f. 134. b.*

currerunt vero nobis nonnulli interpretum, qui plane nihil (*) ſuper hac lege dixerunt, atque ita indicarunt, ſe quidem nequaquam dubitare, legem hanc eſſe a DEO profectam, atque vt iuſtitia, ſic etiam ſapientia eius, dignam; at ſcopum huius legis ſibi perſpectum non eſſe, nec ſe videre huius diuinae ſapientiae veluti formam ſuis oculis. Quos quidem laude iudicamus digniſſimos, ac ipſi perdiu nos profeſſi ſumus piae huius ignorantiae ſocios. Prudentiae namque Chriſtianae eſt, vbi legis alicuius Móſaicae rationem & ſcopum, quamuis diu ac diligenter quaeſitum, inuenire non potes, tuam accuſare ingenii imbecillitatem, non legum DEI ſanctitatem. *Quid enim tantum nobis permittimus homuli*, inquam cum (n) Witſio, *vt diuinarum legum omnium rationes exponere nos poſtulemus? Ita nos de diuinis legibus exiſtimare par eſt, earum ſapientiſſimas ſemper ſanctiſſimasque DEO conſtare rationes, etiamſi eas noſtri ingenii caliginoſus ſtupor non aſſequatur.* Inter eos igitur, qui taciti praetereunt hanc legem, e Iudaeis eſt Salomo Iſacides, e Chriſtianis Grotius, Hacſpanius, & Andreas Oſiander. Nolo nominare plures, quorum cum inſpe-

(*) Huc pertinent Academici exegetae noſtri & proxime praegreſſi aeui: e quibus ne vnum quidem, qui noſtra hac, ſuper lege commentatus ſit, nominare potuit Scheteligius in *Bibliotheca* ſua *Diſputationum exegeticarum p. 134.*

(n) *AEgyptiacorum lib. III. c. 15. §. 6.*

inſpexi ad *Deuteronomium* commentationes, nihil ad hanc legem ſcriptum annotatumque reperi.

VIII.

Referri hunc in cenſum & hi merentur, qui, quaſi nihil praeterea dubitationis ſuboreretur huius legis lectoribus, ſimpliciter docent, crudelitatem erga beſtias hac lege prohiberi. Ita ſe geſſit Seb. Munſterus, eiusque pediſequus, Iſidorus Clarius: Ioachimus item Langius & Zeltnerus: qui in *Bibliorum Altorfinorum* editione ſecunda ad haec verba: Du ſolſt die Mutter fliegen laſſen, adſcripſit: als welche in ihrem Gottgefälligem Natur-Amte begriffen iſt. Quid vero hi reſpondebunt obiicientibus, ſi hoc ſibi hac lege voluiſſet DEVS, non vnum aliquod crudelitatis genus vetiturum eum fuiſſe, ſed generatim interdicturum crudelitate in beſtias, ne videlicet caetera crudelitatis genera ideo, quod hic non ſunt interdicta, viderentur permiſſa? Quid reſpondebunt ad annexam huic legi promiſſionem prorſus ſingularem, & omiſſam poenae comminationem?

IX.

Alii igitur altius cogitandum iudicarunt de legis huius ſcopo. Et Theodoritus (o) quidem ſuſpicatur, id ſpectare hanc legem, ne aliquod genus animantium e mundo tollatur. Quae ſententia veriſimilis viſa eſt & Gerhardo in ampliſſimo

(o) In *Quaeſtionibus ad Deuteronomium*.

mo ſuo *ad Deuteronomium commentario*, Lucae item Oſiandro & Calmeto. Ac ſane ſunt quaedam aues ſeminibus agrorum infeſtae: nec neſcimus, alicubi locorum certum paſſerum numerum ruſticis praeſcribi, quorum capita praetori ſuo exhibeant. Vetari proinde id a DEO credi posſit, nullum auium a ſe productarum genus excidi paſſuro ab hominibus, naturam quippe earum non ſatis perſpectam habentibus, nec, quem in vſum fructumque generatae ſint, ex omni parte intelligentibus. Verum vel ob id reiicienda eſt haec coniectura, quod verba legis eam minime fulciunt. Quare ſui auctores ipſi eam deſeruerunt, &, aliam ſibi praeplacere, faſſi ſunt: quam nunc exhibebimus.

X.

Theodoritus videlicet ille, Gerhardus item & Calmetus, ſymbolicam tamen praetulerunt interpretationem, rati, praeſcribi hac lege humanitatem & manſuetudinem erga homines. Nimirum cum parci DEVS iubet auiculis, multo magis parci oportere hominibus, innuit. *Haec lex*, inquit Theodoritus, φιλανθρωπίαν παιδεύει. Fagius vero ita: *Non tantopere curae eſt auicula DEO*; *ſed per liberationem auiculae ad miſericordiam animum credentium fingere voluit.* Idem Auguſtinum Steuchum adducit huius ſententiae profeſſorem; in qua etiam Lutherus (p) fuit, & Va-

(p) *In Comment.* ad h. l. *Operum Ien. Lat. T. III. f. 134. b.*

Vatablus, & Toſtatus, & Lyranus, & Antonius de Eſcobar & Mendoza, & Menochius, & Cornelius a Lapide, & Calouius, & Franc. Burmannus, & nuper Henr. (*) Venema, Rabbini quoque a Seb. Munſtero & a Bocharto (q) memorati. Adiunxit his ſe Clericus, ita tamen, vt Sceptico, quam dogmatico, propiorem ſe praebeat: *Symbolica haec eſſe VIDETVR lex*, inquiens.

XI.

Vix eſt, quod dubitemus, his ob oculos fuiſſe legem de boue inter trituram os clauſum non habituro, de qua ita apoſtolus *1. Corinth. IX. 9. 10.* pronuntiat: *Vtrum DEVS hac lege bobus proſpicit, an potius in hominum vtilitatem id edixit?* Id quod hisce verbis repetit (r) Tertullianus: *Boui terenti vincula oris remittuntur ad fructum praeſentis laboris, quo facilius in pecudibas praemeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Ac Salomo quoque laudat (s) commendatque clementiam in beſtias. Nec alia exiſtimo de cauſa vetari (t) ſocietatem aſini & bouis in arando,

(*) *Diſſert. ſacr. lib. II. cap. 7. §. 6. p. 333.*
(q) *Hieroz. P. I. lib. I. cap. 41. extremo.*
(r) *Lib. II. adu. Marcionem cap. 17.*
(s) *Prov. XII. 10.*
(t) *Deut. XXII. 10.* Spencerus, cum nullus ritus idololatricus, cui lex haec oppoſita videri queat, in vniuerſa hiſtoria antiqua ſibi occurreret, finxit aliquam *lib. II. cap. 19.* conſuetudinem ethnicam: quae quidem ingenii proteruia indignatione digna eſt non medioeri.

do, quam ne perpetuis plagis vrgens aſinum, vt inceſſum bouis aequet, non ſolum immiſericordiam exerceas in aſinum, verum etiam hoc veluti gradu adſcendas ad inhumanitatem erga tuae naturae ſocios. Atque eodem tendere leges, huius ipſius in capitis prioribus quatuor verſibus exhibitas, facile, credo, aſſentieris. Quod ſi quis cum apoſtolo ſenſum legis literalem non abiicit, ſed ab eo adſcendit ad ſcopum legislatoris ſublimiorem, facile largimur, etiam illi *de matre auium haud necanda* legi adhiberi & poſſe & oportere meditationem atque interpretationem Paulinam. Verum hoc modo non tollitur παραδοξοφάνεια, ab ipſo noſtro Luthero ſupra §. *VI.* propoſita. Quare quidam non literalem ſenſum huic legi tribuendum cenſent, ſed tantummodo ſymbolicum & myſticum, Caluino (u) applaudentes, leges aliquas Veteris Teſtamenti, maxime caerimoniales, rato, ideo eſſe interpretandas myſtice, quia alias forent ridiculae. Quam vero ſit inconueniens, legi illi, de qua cummaxime diſputamus, aſſignare ſenſum ſymbolicum, poſtea docebimus, quam caeteros audierimus, quibus & ipſis ſenſus huius legis ſymbolicus, etſi alius, placuit.

XII.

Cocceius ſcilicet innui arbitratur hac lege, *ſemper habendam eſſe rationem abundantioris commodi*, cum *ſpes prolis occidatur per cupiditatem &*

(u) *Inſtit. relig. Chriſt. lib. II. cap. 7. §. 1.*

& gulam. Ac subscripsit huic sententiae, & haec ipsa verba Cocceii, quem non nominat, sua fecit Franciscus (x) Burmannus. Aliud symbolum nuper placuit celeberrimo Bremensium Theologo, Nonnenio, in *Disp. ad psalmi LXXXIV. 4. §. XXI. Sublatio*, inquit, *pullorum est symbolum captiuitatis. Inculcat igitur haec lex aenigmatice aequitatem erga captiuos obseruandam.* Paulo post *matris dimissione* doceri ait, dimittendos esse parentes captiuorum *venditione aut manumissione.* Nobis vero cur nulla probetur huius legis interpretatio symbolica, haec causa est. Non est DEVS legislator Pythagoricus, aliud dicens, aliud sentiens. Foret namque hoc pacto sensus legum ipsius & obscurissimus & incertissimus, cum alius aliud, quemadmodum vidimus, e tali Numinis lege sit exsculpturus. Leges proinde diuinae sensum habeant literalem necesse est. Et quam ampla porta aperitur etiam peruersis & impie ingeniosis interpretationibus legum diuinarum, si haec recipiatur sententia! Recte itaque (y) Spencerus exclamat: *Quis vnquam legem, ad mores tantum formandos populo rudi datam, aenigmatis & ambagibus inuolutam tradidit?* Idem nobis in mentem reuocat Bochartus in suo (z) *Hierozoico. Legislatores tropis & metaphoris vti non solent*, inquit, *sed edicta sua verbis propriis efferre, ne vlla subsit aequiuocatio.* Multis etiam argumentis pro sensu legum diuinarum literali praeclare pu-

gnat

(x) In *Comment.* ad h. l.

(y) *Lib. II. cap. 21. sect. II. p. 639.*

(z) *P. I. lib. II. cap. 56. p 690.*

gnat Guilielmus Parisiensis in libri sui *de legibus* decimo quinto capite.

XIII.

Eodem hoc argumento nos permouente reiicimus allegoricas nostrae legis interpretationes, si scilicet allegoricus sensus non ingenio interpretis soli, sed etiam sanctissimo legislatori tribuitur. Ingeniosae enim, non eruditae, ~~pietatis~~ est, hunc in modum tractare DEI leges: &, cum ita, quot capita interpretum, tot sensus existant, quo, quaeso, iudice certum habebimus, quae allegoria caeteris anteponenda sit omnibus, ac verum exhibeat legis sensum? Quas igitur nunc recitaturi sumus nostrae legis interpretationes allegoricas, eas praeiudicamus omnes esse natas in agro luxuriantium ingeniorum pias fabulas. Primam producimus illam, quae a Iudaeo quodam saeculi duodecimi, tales quosdam interpretes Christianos irridenti, in vetere illo, quod Wagenseilius edidit, *Nizzachon* profertur. En verba (a) eius: *DIMITTE MATREM, hoc est, legem Mosaicam, eamque non cape sensu literali, sed mystico: PVLLOS VERO ACCIPIES TIBI, hoc est, expositiones* (mysticas) *sanctorum virorum.* Non esse mentitum hunc verpum, ideo facile nobis est ad credendum, quod tribus saeculis ante Walafridus Strabo in *Glossa* sua *ordinaria* hanc exhibuit nostrae legis interpretationem: *Per viam imus, dum praesentem vitam transimus. Nidus auis in arbore vel in terra sunt verba historiae aut*

(a) *p. 53.*

in contemplatiua aut in actiua vita. Praecepta actiuae ſunt nidus in terra: praecepta contemplatiuae ſunt nidus in arbore. Mater pullis vel ouis incubat, cum ſpiritualem intellectum fouet hiſtoria, & quaedam pleno eloquio quaſi pullos profert; quaedam vero, vt ex iis legentis animum ad altiora perducat, & quaſi ſub ſe oua continens, ex quibus pullos producat. Oua enim fouentur, vt ex iis pulli naſcantur. - - - Notandum autem, quod dicitur: Non tenebit eam cum filiis, ſed abire patietur captos tenens filios: quia aliquando praetermittenda eſt hiſtoria, vt nos ſpiritualis intelligentia, non hiſtorialis vſus, reficiat. - - - Hiſtoriae igitur exempla dimittimus, ſed ex ea allegoricum ſenſum in mente retinemus. Qui *doctor ecſtaticus* appellatus fuit, Dionyſius Carthuſianus ſimili velut ecſtaſi exegetica correptus ita ad hanc ipſam legem commentatur: *Nidus auis eſt manſio animae fructuoſae, quae per contemplationem nidificat in arbore, hoc eſt, in cruce Chriſti: inſiſtendo autem operibus vitae actiuae nidificat in terra, & incubat ouis vel pullis ſuis, dum vel propriam conſcientiam examinat, peccataque defiet & expurgat, vel ſpiritualibus ſuis filiis intenta eſt arguendo, obſecrando, inſtruendo. Talis anima non eſt tenenda, id eſt, a ſuis exercitiis impedienda, ſed praefati pulli ipſius arctandi ſunt iugo obedientiae, vt adſueſcant regi & parere in omnibus, nec ante tempus quaerant volare, quousque pennis virtutum ac ſapientiae decorentur.* Exhibuit etiam Lutherus (b) noſter allegoricam huius legis

(b) *Comment. ad h. l. Operum Lat. Ien. T. III. f. 136. a.*

legis interpretationem: *Auis mater dimittitur*, inquiens, *& pulli capiuntur per viam, id est, synagoga relinquitur, quae sub se per legem habuit Apostolos & primos credentes, quos Christus adsumsit in hac vita ad vsum verbi inter gentes*. Verum non ita, vt caeteri, peccauit vir maximus. Non enim interpretationem, sed meditationem, exhibet allegoricam. Paulo namque antea (c) literalem huius legis sensum agnouerat. Audi, quaeso, quae ad *Commentarium* suum *in Deuteronomium* (d) praefatus est: *Adieci allegorias breues fere per singula capita, non quod magnopere eas curem, sed vt praeuenirem quorundam inepta studia in allegoriis tractandis*. Ac aliunde (e) constat satis, quam inimicus fuerit allegoricis historiarum legumque sacrarum interpretationibus.

XIV.

Certum igitur habemus cum Luthero, non esse dimittendum sensum huius legis literalem. Vt vero detrahatur legi huic hoc sensu captae παραδοξοφάνεια, fuerunt, qui, DEVM ad praeuertendam imitationem consuetudinis cuiusdam superstitiosae id legis tulisse, docerent. Ac Thomas quidem Aquinas (f) narrat, veteres idolo-

(c) *f. 134. b.*
(d) *fol. 76. a.*
(e) Inspiciatur eius *Commentarius ad Genesin f. 45. a, 46. a, 57. a, 123 124. 125 183. a, 193. a.*
(f) Recitat hanc Thomae sententiam Spencerus *p. 48.* eique fauet. Vid. idem *p. 445.*

latras vitam sibi spopondisse prosperam, si matrem vna cum pullis reperire & auferre possint: ideoque DEVM vitam felicem & longam promisisse matrem euolare permittentibus. Idem narrat Guilielmus, Parisiensis iam supra memoratus episcopus, (qui *Spencerus ante Spencerum* appellari meretur,) in suo *de legibus* (g) libro; praeferens tamen aliud, quod in *libris maleficiorum* (hoc est, de magia) se legisse ait. *De matre*, inquit, *ouis vel pullis incubante fecunditatem & fortunam in nutriendis filiis posse praestari, credebatur.* Plenius id exponit Alfonsus Tostatus, Abulensis episcopus, Iudaeos quosdam dicere scribens, vetari hic a DEO superstitionem illam, qua creditum fuerit, *caput auis in nido super oua vel pullos captae, si appendatur in quadam parte corporis, facultatem generandi dare.* Quis vero non videat, nugas has esse difficiles, ac summa temeritate fingi, eo tempore, quo DEVS dedit hanc legem Hebraeis, vel vnam vel vtramque anilium harum superstitionum fuisse in mundo? Nec inepte credit (h) Clericus, propterea id mentitos esse Iudaeos, vt qualemcunque reddere possent huius legis rationem. Certe hoc moris esse Iudaeis doctoribus, constat.

XV.

Apparet ex iis, quae attulimus, legem hanc fuisse nodum aliquem Gordium, quem soluere aggressi sint permulti, sed irrita omnes opera, &

(g) *Cap. IV. p. 35. & cap. XXVII. p. 93.*
(h) In *Comment.* ad hunc locum.

& repugnante Minerua exegetica; ſecare audeant empaectae Alexandreo quodam gladio, contemnentes ſcilicet hanc legem quaſi DEO indignam, & vel hinc liquere iudicantes, Moſis leges minime profectas eſſe a ſupremo illo Numine. Verum non eſt deſperandus huius legis & ſcopi legislatoris intellectus, ſed confidendum, tandem aliquando & hunc ſacri codicis locum lucem habiturum eſſe clariſſimam. Nondum enim eſt peraratus campus exegeticus, ampliſſimus quippe, ſed noſtra quoque aetate (quod inter omnes conſtat,) multis ſacri codicis locis lux fuit affuſa, qua caruerunt maiores noſtri: & poſteri quoque noſtri multa enodabunt, quae noſtrae aetatis interpretum acumen fugerunt omnium. Quare ſi forte nec noſtra de hac lege meditatio exegetis iuſtae magnitudinis ſatis placuerit, ſperabimus, alio tempore proditurum, qui tam acute cernat, vt nihil plane relinquat dubitationis. Interea fateri nobis liceat, nos quidem non dubitare, quin DEO conatum noſtrum proſperante id, quod quaerebamus, inuenerimus, & occaſionem ſcopumque huius legis ex vero indicantes poſſimus manifeſtum facere, nihil hic eſſe paradoxi, & ſapientiam pariter ac benignitatem legislatoris eſſe abunde perſpicuam. Age in rem praeſentem veniamus.

XVI.

Primo ſi attentius intuemur hanc legem, facile obſeruamus, non fuiſſe eam praeſcriptam Hebraeis vniuerſis, ſed pueris eorum adoleſcentulisque

lisque. Iis enim, qui non ſolent inſidiari auiculis, datam eſſe legem hanc, non poteſt credere, qui cogitat, fruſtra DEVM nihil facere. Certum igitur haberi debet, ad illos ſolos pertinere hanc legem, quibus in Hebraeo populo moris erat in agros exire ad referendas domum captas auiculas. Hoc vero puerorum ſiue adoleſcentulorum negotium vti eſt vbique terrarum & gentium, ita & apud Hebraeos hoc factitare ſolitos eſſe adoleſcentis aetatis homines, nemo, credo, dubitauerit. Similis eſt lex, quae praecedit proxime, indui vetans veſte ſexus non ſui. Nam nec haec ſpectat Hebraeos ad vnum omnes, ſed adoleſcentes potiſſimum & adoleſcentulas, tali veſte (i) obtegere doctos ſuam laſciuiam. Quod ſi forte dicat quiſpiam, moris etiam eſſe viris, praecipue venatoribus nonnullis, aues capere: neque

(i) Ita cum priſcis Rabbinis etiam interpretatur hanc legem Wagenſeilius in *Noriberga* ſua *cap. XXII. p. 175. ſq.* Doctior eſt, at non verior, Seldeni ſententia, in *libri II. de Diis Syris cap. 4.* credentis, hanc legem interdicere Hebraeos cultu Veneris Syrae, cuius cultores alias virili, alias muliebri veſte induti fuerint nullo ſexus diſcrimine. Ducem ſe ſequi profitetur Maimonidem: cuius auctoritas etiam apud Spencerum valuit, copioſe pro iſta interpretatione propugnantem *lib. II. cap. 7:* qui anteceſſorem habuit Guilielmum Pariſienſem in libri *de legibus cap. 13.* At eruditiſſime ſententiam hanc refutauit Dauid Millius, Lugdunenſis Academiae decus inſigne, in ſingulari Diſſertatione, quae inter eius *ſelectas* locum tenet *nonum*: nec debebat Spencero patrocinari Venema *lib. II. Diſſertationum ſacrarum cap. 7. §. 6. p. 333.*

neque adeo solos pueros spectari hac lege; cogitari velim, a venatoribus capi & occidi solere aves maiores, vt iure diuinitus concesso comedantur; hoc autem loco eos dici, qui dimissis vel necatis abiectisque auibus maioribus pullos capiunt, eos facturi suas delicias. Atqui hoc puerorum est & puerile negotium.

XVII.

Alterum, quod obseruamus, hoc est. Non reperitur haec lex inter eas, quas DEI iussu praescripsit Moses sancto populo in tribus praecedentibus libris leges diuinas complexis. Iam vero quintus liber, quo nostra lex, & altera modo memorata, continetur, hoc est, duae illae leges pueris & adolescentibus praescriptae, nomen gerit *Deuteronomii*, hoc est, *Repetitionis legum*, & ab ipso Mose (k) appellatur משנת התורה, *secunditas* (vt sic loquar,) *legis*, hoc est, vt Huetius (l) interpretatur, *breuiarium legum in prioribus libris traditarum*. Cur igitur nouae hae duae leges hoc demum in libro promulgentur, in-

(k) *Deut. XVII. 18.*

(l) In *Demonstr. Euang. Prop. IV. cap. I. p. 81.* Onkelosus, Abenesra, Kimchius, & Salomo Isacides vertunt *exemplar legis* ἀπόγραφον, iisque subscribunt Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis* ad hunc locum, & ad eundem Langius in *Commentario*, Grotius item ac Tremellius. Verum desunt alia loca, quibus משנה significat ἀπόγραφον. Quocirca communiorem sententiam, quae & Lutheri est, nostram facimus iure meritoque.

inquiri oportet. Nos quidem aliam causam non videmus, quam quod certae se obtulerint occasiones, has leges ferendi caeterisque adiiciendi. Quam, quaeso, credibile est, accidisse aliquando, & relatum fuisse Mosi, esse inter Hebraeorum (quam *gentem ad libidinem proiectissimam* haud iniuria vocauit (m) Tacitus,) adolescentes & adolescentulas, quibus in mentem venerit mutare vestem ad exercendam securius libidinem! Hoc proinde ne posthac fieret, instinctu Numinis cavebat hac lege Moses. Quam item credibile est, obseruasse aliquando Mosem vel ex aliis cognovisse, pueros inter capturam tenerarum auium interficere solere earum matres, atque ita adsuescere crudelitati! Ne igitur feram hanc consuetudinem excipiat aetas virilis inhumanitate, imo immanitate, conspicua, prouide praescripsit pueris hanc, quam tractamus, legem. Ac sane crudelis animi erat, auiculas seruare viuas, ac delicias (n) suas facere; matrem earum, cui debebantur hae deliciae, immisericorditer interimere. Contra legis huius obseruatione, hoc est, misericordiam erga matres auium exercere adsueti pueri mite induebant ingenium, posteaque in virili aetate naturam habebant a caede alicuius hominis abhorrentem.

XVIII.

(m) *Hist. lib. V. cap. 5.*

(n) Hoc fuisse propositum his pueris, etiam celeb. D. Nonnenii est sententia in *Diss.* supra memorata *p. 26.*

XVIII.

Cum vero pueros coeleſtis legislator haberet ob oculos, eos aetati ipſorum conuenienter tractabat, paterna potius fronte eos alloquens, quam triſti vultu iudicis. Dandum hoc erat immaturitati puerilis iudicii, ſperandumque, plus effecturam eſſe blandam adhortationem & praemii promiſſionem, quam comminationem poenae grauiſſimae. Qua vero re facilius inuitari poteſt puerilis aetas ad parendum, quam certa propoſita ſpe vitae (o) praelongae? Maxime enim haec aetas horret mortem. Quare cum praedicitur puero diuinitus, ſe, vbi legi non paruerit, non eſſe peruenturum ad viriles annos, ſed breui moriturum; e contrario ſuae obedientiae fructum futurum eſſe vitae longitudinem; cupidiſſime facit id, quod facere iuſſus fuerit. Eodem reſpectu tum non minabatur poenam DEVS, ſed vitam longam pollicebatur, cum in *Decalogo* (p) iuniori aetati praecipiebat, vt parentes colant ſtudioſe. Nec alio ſtimulo vſus eſt Paulus (q) apoſtolus, cum puerilis aetatis Chriſtianos vrbis Epheſi cohortabatur ad praeſtandam ſuis parentibus & reuerentiam & obedientiam. An mirabimur nunc cum Guilielmo Pariſienſi, Paulo

(o) Inanis eſt ſubtilitas auctoris veteris *Nizzachon* p. *57.* cenſentis, verbis noſtrae legis his: *vt bene ſit tibi*, promitti felicitatem huius vitae; *vt prolonges dies*, vitae poſt hanc vitam viuendae aeternam beatitudinem.

(p) *Exodi XX. 12.* & *Deut. V. 16.*

(q) *Eph. VI. 1. 2. 3.*

lo Fagio, & Luthero nostro, quorum verba supra (r) exhibuimus, a DEO adiunctam fuisse huic legi promissionem vitae productissimae?

XIX.

Apparet hinc, DEVM peculiarem formantem remp. id quoque pro sapientia sua spectasse, vt puerilis aetas imbueretur sancta doctrina, & ad bonos mores manuduceretur. Etiam homines legislatores, qui ciuilis sapientiae laudem consecuti sunt, curam iustae educationis gesserunt haud perfunctoriam, vt scilicet in horto reipublicae excrescerent arbores non tortuosae, sed rectae, sed frugiferae, sed adspectu iucundae. Occurrunt igitur in *Pentateucho* plura huc pertinentia. Vt Abrahamum omittamus, DEI iussu tradentem (s) liberis praecepta pietatis, quam multa huius generis reperiuntur inter leges per Mosem latas! Breuis vt sim, inspici velim haec loca: *Exodi XII. 26. XIII. 8. 14. Deut. IV. 9. VI. 7. XI. 19. XXXI. 12. 13. XXXII. 46.* Talis quoque lex est successoris Mosis, Iosuae, in eius libri *cap. IV. 6.* & *21.*

XX.

Cum vero inprimis sapientis rectoris reip. sit, prouidere, ne sua resp. accipiat ciues feros & inhumanos, sed sociales, amore mutuo flagrantes, ab omni iniuria & a crudelitate natura abhor-

(r) §. *VI.*

(s) *Gen. XVIII. 19.*

horrentes, quis non intelligit, ei curae esse oportere maximae, vt adsuefiat puerilis aetas clementiae & misericordiae? Agnoscisne nunc, lector cordate, legem nostram esse sapientiae ciuilis plenam DEOque dignissimam? Nec desunt legislatorum inclytorum leges similes. Pythagoram refert (t) Plutarchus adsuefecisse suos, vt parcendo bestiis omnem crudelitatis sensum amitterent. *Itaque* (ita pergit,) *noluit eos indulgere aucupio, & saepe totam aliquam piscium capturam emit, emtam in flumen remisit: imo cuiuscunque cicuris animalis caede iis interdixit.* Nimia sane quidem huius philosophi fuit circumspectio: illud tamen pulchre vidit, iuniores adsuetudine mites etiam, φιλανθρώπες, benignos reddi posse ac debere. Areopagitas vero (u) legimus *damnasse puerum coturnicum oculos eruentem, iudicasseque, id signum esse perniciosissimae mentis, multisque malo futurae, si adoleuisset.* Ex quo supplicio colligimus, fuisse certam legem in Graecia, qua interdiceretur pueris crudelis animantium tractatio. Eadem est de prohibenda a pue-

(t) Lib. *de capienda ex inimicis vtilitate p. 91.*

(u) In Quintiliani *lib. V. cap. 9.* Non est hic omittendum testimonium Isocratis, in *Oratione* sua *Areopagitica p. 349.* docentis, magnam curam Areopagitas gessisse institutionis puerilis, & *p 351.* ita scribentis de iisdem: Ἁπάντων μὲν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν, μάλιςα δὲ τῶν νεωτέρων. *Videbant enim,* (ita pergit,) *maxime necessarium esse,* τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι.

pueris crudelitate in bestias sententia philosophici illius *de liberorum educatione* legum latoris, eiusque sapientissimi, Ioannis Lockii: cuius sermonem (x) lectu dignissimum huc transcriberem, nisi & longior esset, & liber eius, in Germanicam quippe linguam conuersus, cuiuis facile obvius.

XXI.

Abrumpimus hic filum Dissertationis nostrae, DEOque, felicem nobis largito e caligine, quae legem hanc circumdederat, exitum, gratias agimus summa cum reuerentia, laeti, nunc nihil esse hac in lege, quod offendat pios; nihil, quod irridendum videri possit empaectis. Illustra, Pater optime maxime, magis magisque mentes nostras, vt non solum ipsi clare agnoscamus legum tuarum totiusque tuae Scripturae sapientiam, verum etiam empaectis, quorum ferax, proh dolor! & in Germania est aetas nostra, eam exhibere valeamus vtroque oculo conspiciendam, desituris tum latrare contra tua λόγια, & acta impiarum suarum criminationum poenitentia tecum redituris in gratiam.

APPENDIX.

Clarissimus ille Iudaicae gentis theologus, *Isaacus Abarbanel*, quid in suo *in Pentateuchum commentario* ad hanc legem protulerit, cum scien-

di

(x) *Cap. CXVI.*

di cupidus essem, rogatu meo docuit id amicus quidam non magis Rabbinicarum literarum peritia, quam humanitate, excellens. Existimat scilicet Rabbi ille, nolle DEVM numerum auium nimium imminui, ne & praesens aetas & posteritas carere cogatur earum fructu. Eodem modo arbores frugiferas exscindi vetitas esse a DEO. Non autem credit, de auibus immundis loqui hanc legem, sed de mundis. Denique e promissione huic legi adiecta colligit, non propter aues, sed propter homines, latam fuisse legem hanc: vt videlicet multiplicentur aues, quibus & haec aetes & postera frui vescique possit. Satis bene commentatur Isaacus ille pro ingenio Rabbinico. Verum interpretatio certe promissionis legi adiectae non satisfacit quaerenti, cur non fuerit huic legi adiuncta sanctio poenalis. Deinde cur auium numerum imminui vetuerit DEVS, non item caeterarum edulium animantium, & quidem auium duntaxat agrestium, non simul domesticarum, relinquitur dubitatio. Accedit, quod prohibenda fuisset pullorum ablatio, si imminui noluisset DEVS numerum auium. Aut enim capti illi pulli fuerunt necati & ad cibum adhibiti, aut in caueis deliciarum causa seruati. Vtrumque impedit procreationem sobolis. Acutius igitur vidit Rabbi Nachmanides, cui, teste ipso illo Abarbanele, videtur DEVS cauisse hac lege, ne sui populi homines crudelitati adsuefierent. Clarius vidisset, si docuisset, cauisse hac lege DEVM, ne adsuefiat crudelitati aetas puerilis sui populi.

XV.
INTERPRETATIO (a) QVINQVE LOCORVM NOVI TESTAMENTI OBSCVRITATE INSIGNIVM.

D. G.

In Praefationis secundae ad Versionem meam *Novi Testamenti* Germanicam capitulo vndecimo ingenue professus sum, septem mihi sacro hoc in codice occurrisse loca, quorum verum certumque sensum exhibere lectoribus meis haud potuerim. Nec enim meae quantumuis sedulae investigationi responderat exitus, nec aliorum interpretum vllus caligine me hac liberarat. Ex eo tempore saepius inspexi loca illa, fore sperans, vt accidat, quod non semel accidisse mihi suauiter recordabar. Multa scilicet superiore vitae meae tractu non solum in hoc genere, sed aliis quoque in disciplinis, perdiu extricare non valui, etiam post adhibitam summam industriam & circumspectionem: quorum tamen multa post repe-

(a) Disputatio 1750. mense Februario habita in auditorio Theologico Respondente *Ioanne Christophoro Martini*, Norimbergensi, S. Theol. Cultore.

repetitas ſaepius meditationes obſcuritatem ſuam exuerunt ſenſim, vt lux tandem procederet meridiana. Felicitate hac, diuinae gratiae fructu, nunc quoque vſus ſum, cum denuo ad quatuor locorum e ſeptem illis verum inueſtigandum ſenſum omnem operam, curam & cogitationem non ſemel, ſed ſaepius, contuliſſem. Tria caetera, quae & ipſa meditationi nec vni nec perfunctoriae adhuc ſubieci, nondum mihi reddita ſunt ſatis perſpicua. Nam etſi probabilitatis veluti diluculum videre mihi contigit, nondum tamen plena lux orta eſt. Quare haec tria loca relinquere cogor & meae & aliorum acutius cernentium meditationi, minime deſperans, & ipſa tandem aliquando luce perfuſum iri clariſſima. Quatuor igitur illorum locorum interpretationem nunc exhibeo, ſimul proferens quinto loco meliorem, imo veriſſimam, verſionem Germanicam loci cuiusdam Apocalyptici, a ſeptem illis locis diuerſi. Quod ſi quis obiicere meis his interpretationibus ſuam aliquam dubitationem voluerit, meum eſſe putabo, aut illius fallax indicare iudicium, aut errorem agnoſcere meum. Sin fuerit, qui meas interpretationes nouis conſtabilire dignetur adminiculis, ei & a me & ab aliis plurimis meritiſſimae agentur gratiae.

I.

1. Cor. XIII. 12.

Τότε ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.

Recte ad hunc locum animaduertit Melanchthon, ἐπιγινώσκειν ſignificantius eſſe, quam γινώσκειν,

νώσκειν, & indicare certam & perſpicuam (a) cognitionem agnitionemque. Ex hac ipſa epiſtola id liquet, & quidem e *capitis XVI. 18.* vbi Paulus ait: ἐπιγινώσκετε τὲς τοιούτȣς. En & *Lucae* illud *cap. V. 22*: Ἐπιγνὲς ὁ Ἰησȣ̃ς τὲς διαλογισμὲς αὐτῶν. Similis locus *Matth. XI. 27*: Οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν, εἰ μὴ ὁ πατὴρ, οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱός. Adiicio haec verba Pauli ad Romanum praeſidem *Act. XXV. 10*: ὡς ϗ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις. Dicit igitur noſtro loco apoſtolus, ſe in coelo adepturum eſſe *cognitionem diuinarum rerum clariſſimam.* Obſcurum autem eſt, quod adiicit: καθὼς ϗ ἐπεγνώσθην. Obſcuritatis huius mater eſt praeconcepta opinio, qua creditur, & a me quoque credebatur apoſtolus loqui *in Praeterito.* Qua manente ſententia nunquam peruenietur ad verum huius verbi ſenſum. Hunc vero facile conſequemur, vbi obſeruauerimus, non verbo praeterito, ſed aoriſto, vſum eſſe apoſtolum. Iam conſtat, aoriſtum omnium temporum ſenſu vſurpari, & modo Praeteritum, modo Praeſens, modo Futurum ſignificare. Exemplorum demonſtratione cui opus eſt, is in Glaſſii *Philologia ſacra* inſpiciat canonem XLVII. *tractatus de Verbo.* En locum luculentiſſimum *Ioan. XV. 6*: *Niſi quis manſerit in me*, ἐβλήθη ἔξω, *eiicietur*, ϗ ἐξηράνθη, *& exareſcet.* Eodem ſenſu *cap. XIII. 31*: Νῦν ἐδοξάσθη, inquit Ieſus, ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ, hoc eſt, vt ipſemet ſtatim interpretatur *v. 32.* ὁ

(a) Hanc huius verbi emphaſin etiam Schwarzius agnoſcit in ſuo *Lexico N. T.*

ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτόν. Addo inſignem locum *Matth. XXIV. 23: Si dies illi non abbreuiabuntur*, ἐκολοβώθησαν, *nemo vnus vitam conſeruabit*, ἐσώθη.

Nunc itaque in aprico eſt, hoc dicere Paulum: Tunc omnia aeque clare cognoſcam, ac ego tum cognoſcar a coelitibus. Vti ſcilicet coeleſtes homines me cognoſcent ac videbunt πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, praeſentes praeſentem, ſic ego veluti πρόσωπον πρὸς πρόσωπον cogniturus ſum coeleſtia, quae hac in vita cognoſcimus veluti ἐν αἰνίγματι. Quod enim proxime dixerat ſenſu metaphorico πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, id ad vltima verba ſubintelligit ſenſu proprio: vt adeo apoſtolus ſuorum ipſe verborum ſit interpres. Mihi certe tam liquida nunc eſt Pauli ſententia, vt credam, qui haec attente legerint, eorum diſſenſurum eſſe neminem. Caeterum quod de ſe hic ſcribit Paulus, id euenturum omnibus ad beatitudinem aeternam peruenturis, per ſe manifeſtum eſt. Illud addo, aoriſtum Paulinum non male verti, ſiue in Praeſenti eum vertas, ſiue in Praeterito, ſiue in Futuro, modo vnum adiicias menti Pauli obuerſatum verbulum. En primam verſionem: **wie ich alsdenn von den Mitgenoſſen der Seligkeit erkannt werde.** En ſecundam: **wie ich alsdenn, nachdem ich in den Himmel gekommen, werde erkannt worden ſeyn.** En tertiam: **wie ich alsdenn werde genau und völlig von den andern ſeligen Menſchen erkennet werden.** Quo

tempore etiam Christum nostris cernemus (ἐπιγνώσομεν) oculis, (*Iobi XIX.* 27.) & clarificatum eius corpus (*Phil. III.* 21.) summa cum voluptate ἐπιγνώσομεν, intuebimur.

II.

Apoc. XVII. 9.

Ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν.

Haec verba quid sibi velint, docebit connexio eorum, quae antecedunt, cum iis, quae subsequuntur. Scilicet *v. 3.* exhibetur Ioanni mulier septem capita habens ac decem cornua. Post caeteram huius mulieris descriptionem promittit *v. 7.* angelus Ioanni interpretationem huius aenigmatis. Tum *v. 9.* interpretationem promissam profert, docens illo ipso in versu, quid significent septem mulieris capita, & *v. 12.* quid decem eius cornua. Apparet hinc liquido, haec verba: Ὧδε ὁ νȣ̃ς ὁ ἔχων σοφίαν, esse nouam allocutionem angeli, & hunc habere sensum: *Accipe iam sensum* (vel *Ecce verum sensum*) *huius aenigmatis siue huius imaginis*, *sensum*, *inquam*, *qui tibi veram eius cognitionem affert.* Σοφία enim est, huius aenigmatis sensum intelligere. Νȣ̃ς autem aliquando significat *sensum sermonis:* id quod vel Lexica docebunt. Et hoc sensu νȣ̃ς capitur *1. Cor. XIV.* 14. & 15. a Wolfio aliisque, quos adducit. Particula denique ὧδε est particula demonstratiua & veluti digitus, quo angelus Ioanni indicat, se ipsi hanc imaginem interpretaturum esse. Quem eundem in modum ἕως ὧδε,

vs-

vsque ad hunc huius ſermonis *locum*, legimus in Graeca verſione *Dan. VII. 28.* Ac eodem ſenſu Latini & in ſermone & in ſcripto dicunt *huc vsque*. Qui & *hic* non raro ita vſurpant. *Hic iam plura non dicam*, inquit Cicero in *Orat. pro lege Manilia cap. 9.* Et *in Orat. pro Plancio cap. 41: Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam.* Nunc igitur ſic verto: **Hier iſt der Verſtand, oder hier haſtu oder hiermit gebe ich dir den Verſtand dieſes Bildes, damit du deſſen wahre Bedeutung wiſſen, und alſo in dieſem Stück weiſe, das iſt, nicht mehr unwiſſend, ſeyn mögeſt. Nemlich** (ita pergit,) **die ſieben Häupter ſind ſieben Berge, u. ſ. w.** Reddi etiam breuius ita poteſt: **Hiermit ſage (oder eröfne) ich dir den weiſen Verſtand, oder die weiſe Bedeutung dieſes Bildes. Nemlich die ſieben u. ſ. w.** Tò **nemlich**, quod nos Germani tali in ſermone vſurpamus, & Gtaeci & Latini ſolent omittere, vel potius ſubaudire. Adiicio locum παράλληλον e capite primo. Hic *v. 20.* ita alloquitur IESVS Ioannem: **Diß iſt (oder Hiermit wiſſe) die geheime Bedeutung der ſieben Sterne, die du in meiner rechten Hand geſehen haſt, und der ſieben güldenen Leuchter. Die ſieben Sterne nemlich ſind die Engel der ſieben Gemeinen, und die ſieben Leuchter, die du geſehen haſt, ſind die ſieben Gemeinen.**

III.

1. Petri II. 13.

Ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει.

Hoc verbulum *κτίσις* haud immerito ſollicitauit iuterpretes Graece doctiſſimos. Inprimis Grotium cruciauit, qui modo Hebraismum fingebat, dicens, ברא ſignificare etiam *ordinare*, quod tamen nullo demonſtrabat exemplo; modo cultello arrepto critico pɹo *κτίσει* reſcribere geſtiebat *κρίσει*. Simplicius ac verius in *Lexico N. T.* Paſor: *Vocat Petrus*, inquit, creaturam, *prout Latini vocant* creare conſulem. Vetuſtiſſima eſt haec interpretatio. Graeca enim ſcholia & Didymus docent, vt refert ad h. l. Zegerus, *humanam creaturam* hic dici praeſides reip. qui ab hominibus *creentur* & conſtituantur. Quae ſententia etiam Calouio ſe probauit. Agnoſcunt igitur hi Latinismum: id quod rectiſſime fieri, nunc demum agnoſco, poſtquam, quae mox dicam, conſideraui. Quam, quaeſo, facile eſt, ad credendum, Latinum *creare magiſtratus*, *reges*, *duces militares*, illo tempore vſurpatum fuiſſe a plebe Graece loquenti! Nam familiaritas Graece loquentium cum Romanis, toti orbi tum imperantibus, efficiebat, vt Latina multa verba reciperentur in ciuitatem Graecam: qualia in N. T. occurrunt *cenſus*, *ſudarium*, *ſemicinctium*, *centurio*, *denarius*, *cuſtodia*, *libertinus*, *ſicarius*. Itaque etiam *κτίσις* facile irrepſit in Graecam linguam hoc ſenſu, vt ſignificaret cum *creationem*

ma-

magiſtratuum, tum ipſium *magiſtratum* (a) *creatum*. Cum autem plebis haec eſſet appellatio, non mirum, hanc φράσιν non reperiri in ſcriptis auctorum elegantiſſimam dicendi rationem ſequentium & a plebeia dictione abhorrentium. Glaſſius quidem *p. 1903.* refert, κτίσιν etiam a Plutarcho in *Republica* ita dici, narranti de Bruto, regum expulſore. Sed non exſtat huius argumenti liber Plutarchi. Habemus quidem eius *Praecepta reip. gerendae*. At hoc in libro nulla Bruti mentio. Fefellerit igitur Glaſſium memoria, neceſſe eſt. Caeterum noli mirari, Petrum hic locutum eſſe cum plebe. Indignum eſt enim Apoſtolica grauitate ac maieſtate, ſtudioſe conſectari elegantias & venuſtates verborum & phraſium. Contra decet apoſtolum ita loqui, vt non a literatis ſolum, verum etiam ab illiteratis intelligatur, adeoque ſermone vti vſitatiſſimo vulgariſſimoque. Hac occaſione obſeruo, deeſſe Glaſſii *Philologiae ſacrae* ſingulare caput *de ſtylo plebeio nonnullorum N. T. locorum*, ita concinnatum, vti mea (a) *de Latinitate plebeia aeui Ciceroniani* Diſſertatio. Quod caput ſi rite elaboratum eſſet, non ita haeſitaturi eſſent plerique interpretes, cum ipſorum ſub oculos venit *Matth. VI. 11.* ἐπιούσιος, *Marci XIV. 3.* πιστικὸς, *Phil. II. 30.* παραβουλευσά-

(a) Similiter fit, cum κτίσις, quae *creationem* ſignificat, ſignificare iubetur *res creatas*. Id fit a Marco, pro κόσμῳ, quod Matth. XXIV. 21. eſt, ſcribens κτίσιν. Atque id rurſus fecit Marcus cap. X. 6. & XVI. 15.

(a) Inſerta eſt *Poeciles* meae *T. III. p. 307. ſqq.*

σάμενος, & quae praeterea eiusdem sunt generis. Nunc igitur dubitare desino, recte me vertisse Petri locum: **Seyd aller menschlichen (von und unter den Menschen gesetzten) Obrigkeit unterthan.**

IV.

2. Petri I. 3.

Τȣ̃ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς.

Quid hoc loco sit ἀρετὴ, facile inueniemus, vbi recordati fuerimus, quod Glassius *p. 1903. sq.* docet, haud raro fieri sacris in literis, vt nominetur *genus*, & intelligatur *species*. Inter *virtutes* autem proprietatesque DEI a Petro hic intelligi *clementiam* & *benignitatem*, docet & antecedens verbum, δεδωρημένης, & subsequentia *v. 4.* verba, quibus ait Petrus, DEVM nobis excellentissima promissa praestitisse, iterum vtens verbo δεδώρηται. Ita vtraque veluti manu ducit nos Petrus ad verum intellectum verbi ἀρετῆς. Confirmat hunc sensum apostolus noster in prioris epistolae secundo capite, praedicare *v. 9.* iubens Christianos τὰς ἀρετὰς DEI, **die grossen und schönen Tugenden und Eigenschaften Gottes**, *qui nos e tenebris protraxit in lucem*: hic quoque vtens nomine generali, credensque, facile a lectoribus intellectum iri, quas DEI virtutes innuat, *Φιλανθρωπίαν* scilicet, misericordiam, beneficentiam. Interpretem vero & Paulum habemus huius loci Petrini. Cum enim a Petro DEVS vocetur ὁ καλέσας ἡμᾶς δι' ἀρετῆς, clarius a Paulo *Gal. I. 15.* vocatur ὁ καλέσας διὰ χάριτος αὐτȣ̃.

Ac ipſe Petrus *Act. XV. 11.* διὰ τῆς Χάριτος Ἰησοῦ Χριστοῦ, quam phraſin repetit Lucas *Act. XVIII. 27.* Rectiſſime igitur Wolfius ab iis viris doctis diſſenſit, qui ἀρετὴν hoc loco interpretati ſunt *potentiam:* etſi, quis alius ſit eius ſenſus, perſpectum non habebat. Merito autem Thucydidem huc adducimus, qui aeque, ac noſter Apoſtolus, ἀρετὴν dicens, *benignitatem* & *beneficentiam* ſignificat duobus locis, quae Vigerus in libri *de Graecae dictionis idiotismis cap. III. ſect. 3. §. 3.* exhibet.

Διὰ δόξης vero καὶ ἀρετῆς cum, ſtylo Biblico *per virtutem glorioſam* ſignificare poſſe, abunde docuiſſet Glaſſius (a) *p. 553. ſqq.* merito hunc ipſum Petri locum *p. 555.* ita reddidit: in eo tamen errans, quod *virtutem* DEI hic eſſe putat eius *potentiam.* Acute ſcilicet videbat communis ille exegetarum praeceptor, *genus* hic poſitum eſſe pro *ſpecie*, hoc eſt, vnam dici e DEI virtutibus ac proprietatibus. Non autem eligebat eam, quae menti ac veluti oculis Petri obuerſabatur: facillime eam deprehenſurus, ſi cum ea, quae antecedunt, tum ea, quae ſubſequuntur, conſideraſſet attentius. Non enim DEI potentiam ob oculos habere poterat ſcribens haec Petrus, ſed bonitatem eius, clementiam & miſericordiam eius. Quemadmodum igitur Paulus *Eph. I. 6.* praedicat τὴν δόξαν τῆς Χάριτος αὐτοῦ, ſic eodem ſenſu Petrus laudat τὴν δόξαν τῆς ἀρετῆς

αὐτοῦ

(a) Vtor editione *Philologiae ſacrae* optima, quam Lipſia nobis dedit a. 1705.

αὐτȣ̃, vel, vt per hendiadyn loquitur, *τὴν δόξαν καὶ ἀρετὴν αὐτȣ̃.*

Nunc igitur manifeſtum eſt, verba illa Petri: *διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς*, his verbis Germanicis exprimi debere: **durch ſeine herrliche (preißwürdige) Güte.**

V.

Apoc. V. 6.

Καὶ εἶδον, καὶ ἰδȣ̀--ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον.

Lutherus ita reddidit: **da ſtund ein Lamm, wie es erwürget wäre.** En contradictionem in adiecto! Deſcribitur enim agnus *adſtans*, adeoque viuens. Ac ſtatim additur, *veniſſe hunc agnum & librum aliquem cepiſſe e manu ſedentis in throno.* Iure igitur maximo S. R. Klemmius monuit in ſua *Bibliorum Germanicorum* editione, corrigi hic oportere verſionem Lutheri. Corrigi vero & caeterae Germanicae verſiones debent, Latinae item, Gallicae, Batauica, Anglica: in quibus eſt **als geſchlachtet,** vel **wie es geſchlachtet war,** *tanquam mactatus*, vel *tanquam occiſus.* Wolfius in ſuis *Curis* hoc verbum plane praeteriit. Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis* ad verbum **erwürget** adſcripſit: **das iſt, an ſeinen Wunden erkenntlich.** Prope igitur abfuit a vera verſione, quam vidit obſcurius. Eodem modo ad hunc locum adſcripſit S. R. Bengelius: **Alſo waren Merkmahle von dem ehemahligen Schlachten vorhanden.** Ac iam ante Vitringa vidiſſe

disse ait Ioannem *agnum, viuentem quidem, sed insignitum nota maioris alicuius in iugulo vulneris, & conspersum sanguine.* Quam facile iam ei erat veram verbi ἐσφαγμένον exhibere versionem! Et tamen ita, vt caeteri, reddidit: *agnus stans veluti mactatus.* Similis Bengeliana versio: **ich sahe ein Lämmlein stehend, wie es geschlachtet war.**

Veram nunc accipe, Lector, versionem Germanicam: **Es stund ein Lamm da, als ein getödtet gewesenes.** Accipe & paraphrasin: **es hatte noch Wunden an sich, an welchen, als tödtlichen Wunden, man sahe, daß es getödtet gewesen, und nach seinem Tode wieder lebendig worden war.**

Veram hanc versionem iam protulisse nunc video B. Reimmannum, Antistitem nuper Hildesiae celeberrimum, in egregio suo Germanico commentario ad *Apoc. V 6.-14.* ἀνωνύμως 1732. edito *p. 11.* **Es stund**, inquit, **wie es erwürget wäre, oder vielmehr, wie es erwürget gewesen wäre. Denn Johannes sahe dieses Lamm nicht als ein todtes Lamm, sondern als ein lebendiges: welches aber solche Mahlzeichen an sich hatte, daß man deutlich sehen konte, daß es geschlachtet und getödtet und erwürget gewesen war.**

Caeterum cur maluerim reddere **ein getödtet gewesenes**, quam **ein geschlachtet gewesenes**, vt indicem, restat. Eadem vero causa subest,

eſt, quae Lutherum permouit, vt non **geſchlach⸗tet**, ſed **erwürget**, redderet, itemque vetuſtiſſimum illum Latinum interpretem, vt *occiſum* mallet dicere, quam *mactatum*. *Mactare* videlicet non ſolam caedem ſignificat, ſed aliam praeterea caeſae pecudis tractationem. Soter autem noſter occiſus quidem certe fuit, non item mactatus. Accedit, quod σφάττειν in omnibus Novi Teſtamenti locis non *mactare* ſignificat, ſed *occidere*. *Cain fratrem ſuum* ἔσφαξεν, inquit Ioannes *1. Epiſt. III. 12.* Quo ſenſu & κατασφάττειν dixit Lucas *XIX.* 27. Ac ad Ioannis modo laudatum locum commode Raphelius obſeruauit locum quendam Herodoti, eodem ſenſu hoc verbum (σφάττειν) vſurpantis. Quo ſenſu Latinum quoque *mactare* occurrit in *epiſtola Ariadnes Ouidiana v.* 77. & *101.* Priore namque loco Theſeus dicitur *mactaſſe* fratrem Ariadnes *claua*, hoc eſt, occidiſſe: poſteriore id repetitur his verbis: *Mactauit* eum *nodoſo ſtipite Theſeus.*

APPENDIX I.

Interpretatione mea loci Paulini *1. Cor. XIII. 12.* lecta amici tres doctiſſimi ſuam quisque interpretationem exhibebant mihi. Singulas lectoribus meis propono, ipſorumque iudicio permitto.

Primus hanc tribuit Apoſtolo ſententiam: *Tunc ea erit mea occupatio, vt diſtincte & amice agnoſcam IESVM, quemadmodum etiam olim ab*

ipso prorsus distincte & amice fui cognitus in via Damascena Act. IX. 4.

Alter existimat, ἐπεγνώσθην positum esse pro ἐπεγνώσθην ἀπ' ἐμοῦ, atque ita hunc locum interpretatur: *Quam clare me cognosco, tam clare cognoscam tum coelestia.*

Tertius putat, Paulum hic loqui de beatorum visione & cognitione DEI intuitiua, conceditque, *Aoristum* hunc hic loci vim habere *Futuri.* Eius igitur haec est interpretatio: *Tunc DEVM cognoscam, quemadmodum & ipse ab eo cognitus fuero.*

APPENDIX II.

Meae interpretationi verborum Pauli *Rom. VIII 19-23.* quam in Praefationis secundae ad Versionem N. T. Germanicam §. IX. exhibui, vt non subscriberet, quatuor argumentis se permotum esse, nuper scripsit vir quidam doctissimus. En *primum* vna cum responsione mea! Distingui ait a me corpora fidelium a fidelibus, imo opponi. Respondeo: Annon ipse hoc facis, cum dicis *corpora fidelium?* Annon, inquam, ita distinguis fideles ab ipsorum corporibus? Ita vero etiam loquitur Scriptura & nos communiter. Hoc modo non opponuntur fideles corporibus suis, sed nominatur vna pars credentis hominis. En *secundum!* Secundum meam interpretationem loquitur Paulus *v. 12.* de mortuis corporibus fidelium, *v. 23.* de viuis eorum corporibus. Respondeo: An, quaeso, facere non potuit Apo-

ſtolus, vt priori verſu de mortuis, poſteriori de viuis loqueretur corporibus? Quantam feſtinationem prodit haec obiectio! Sed nec dixi, *v. 23.* Apoſtolum loqui de viuis corporibus fidelium, ſed de viuis fidelibus: quod alterum eſt feſtinationis indicium. En *tertium* argumentum! Non poteſt dici, inquit, corpora fidelium morti eſſe ſubiecta propter voluntatem Dei, qui ea morti ſubiecit, quam natura auerſamur. Reſpondeo: Nihil dici poteſt verius. Vti enim Deus animas fidelium liberauit a poena peccati, ſic & corpora eorum a morte, quae peccati poena eſt, liberare potuiſſet. Verum hoc facere ipſi non libuit ſanctiſſimis de cauſis. Promiſit tamen illorum reſurrectionem. En *quartum*! Si corporibus fidelium, inquit, figurate tribui poteſt deſiderium nouae vitae, neceſſe eſt, deſiderium hoc etiam tribuatur corporibus infidelium. Reſpondeo: Mira concluſio. An corpora infidelium etiam manet felicitas poſt reſurrectionem, quam deſiderare figurate dici poſſint? Apparet, expreſſiſſe mirabiles has obiectiones partim feſtinationem maximam, partim amorem opinionis praeiudicatae.

Laudo dudumque laudaui cenſoris huius eruditionem prorſus ſingularem ac φιλοπονίαν ferream. Sed hic ipſe tot tantorumque laborum concurſus facile efficit, vt ſubinde minus attendat oculus, praeſertim vbi aliquid offertur propriae ſententiae repugnans. Quare nec miror ſimile feſtinationis peccatum, ad *Rom. IX. 15.* commiſſum, vbi negat, me recte ita vertiſſe: Ja, ſprichſtu,

sprichstu, er saget aber. Nonne inspicere debuisset meam ad totum hoc *caput* Dissertationem sibi minime incognitam, & quaerere, an huius versionis veritatem demonstrarim? Tam vero luculenter ibi eam demonstraui, vt meam hanc interpretationem comprobarint viri longe doctissimi publice, quos nominaui in Tomo primo der Hamb. Vermischten Bibliothek *p. 61.* Scilicet πολλὰ πταίομεν ἅπαντες, *Iac. III. 2.*

COROLLARIA.

I.

Est & philosophorum & theologorum, fugere *φιλοπαντοσοφίαν*, & intellectus humani angustos agnoscere terminos.

II.

Pestilentissimus & antichristianissimus error eorum est, qui docent vel docentibus credunt, haereticos, hoc est, cum sua ecclesia non consentientes in doctrinis omnibus, esse persequendos & exterminandos. Gignit namque haec sententia bellum omnium sectarum in omnes caeteras, odiumque ciuium in ciues immortale, & nascituram hinc crudelitatem nunquam intermorituram.

III.

Sententia est in Petrum Apostolum summe iniuria, qua creditur, eum fuisse primum Papam,

hoc eſt, regem eccleſiaſticum. Adeo enim memor is erat praecepti CHRISTI: *Vos autem non ſic regnabitis, vt reges mundi*, vt in priore ſuarum epiſtolarum (*cap.* V. 3.) epiſcopos tanquam συμπρεσβύτερος iuberet *exemplo vitae ſuae regere eccleſiam, non IMPERIO.*

IV.

Papae ſe appellitantes *vicarios CHRISTI*, hoc eſt, Proreges eccleſiae, nec tamen docentes, quo tempore & per quem CHRISTVS ſibi commiſerit regnum totius eccleſiae, peccatum peccant grauiſſimum & prorſus enorme.

V.

Inter ſumma intellectus humani vitia hoc eſt, quod quaedam credere nos credimus, quae certiſſime non credimus. Quis e. g. non iuret, ſe credere, DEVM eſſe omnipraeſentem, adeoque & ſibi praeſentiſſimum? Et tamen plurimi non ita ſe gerunt erga praeſentem DEVM, vti ſe filius erga praeſentem patrem gerit. Scilicet qui vere credit, ſe in conſpectu DEI verſari, nec facere nec loqui, ac ne cogitare quidem, poteſt, quod DEO nouit ingratum eſſe. Illi igitur plurimi, DEVM ſibi praeſentem eſſe, non credunt. Certe illo tempore, quo peccant, hanc fidem excutiunt, ac, DEVM a ſe abſentiſſimum eſſe, credunt. Talis igitur rogatus, an credat, DEVM eſſe omnipraeſentem, ideo reſpondet, ſe credere, ac ipſemet putat, ſe credere, quia primo

DEVM

DEVM ſcit eſſe ens perfectiſſimum, adeoque nec hac perfectione carere: deinde, quia id ſacra Scriptura teſtatur, quam verbum DEI eſſe non dubitat. Ita fides eius eſt, vt ita loquamur, abſtractiua, non ſatis clara, adeoque nec viua, ſed fidei aliquod ſimulacrum. Tales vt ad vere credendum, DEVM eſſe omnipraeſentem, permoueantur, doceri debent, ſe adhuc fuiſſe incredulos, hoc eſt, non crediſiſſe, quod credere ſibi videbantur.

VI.

Eodem modo plerique credunt, alteram huic vitae ſucceſſuram eſſe vitam perfectiſſima felicitate conſtantem, ſimulque credunt, ſe, vt primum ex hac vita exceſſerint, eius felicitatis futuros eſſe conſortes. Atqui hoc credere, & mortem horrere, ſunt ἀσύςαʈα. Ergo qui dicit, ſe credere felicitatem alterius vitae, ſe item credere, ſe quoque in beatas illas ſedes ex hac vita tranſiturum, & tamen mortem horret, vitamque hanc ſibi optat quam longiſſimam, is ſe ipſe fallit, id putans ſe credere, quod a ſe non credi, ipſo facto demonſtrat clariſſime. Ideo vero credit, ſe id credere, ne cogatur credere, ſe ſanctiſſimas Chriſtianae religionis doctrinas non habere pro veris.

VII.

Aug. Pfeiferus, Theologus clariſſimus, in Praefatione ad *Dubia Scripturae ſacrae vexata* erga

ga eos, qui nouam quamcunque ſacri codicis interpretationem faſtidiunt, hanc erumpit in vocem: *Nihil infelicius putamus iis ingeniis, qui mordicus tenent, maiores noſtros nihil ignoraſſe.* Erant haec antea Scaligeri verba in *Exercit. CCCVI.* Diuerſa ſententia placuit neſcio cui, qui in Diario Theologico Loeſcheriano ad annum 1736. interpretem quendam Biblicum *p.* 235. hisce verbis laudat: Er bleibet in allen bey der recipirten und gewöhnlichen Auslegung unſerer Theologen: welches auch zu rühmen iſt. Rectius hic cum eodem Pfeifero verbis Senecae dixiſſet: *Nondum eſt omnis veritas* in hoc genere *occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.* Quare ſapientius in eodem Diario *p. 367.* haec ſcripta ſunt: Der Herr Autor bringet neue Erklärungen der H. Schrift vor, aber mit aller Beſcheidenheit und mit vieler Gründlichkeit und Deutlichkeit.

VIII.

Vti oculus corporis eſt iudex omnium colorum, ita Ratio, tanquam oculus mentis, eſt iudex omnium doctrinarum, veraene ſint an falſae. Vterque iudex non tam *cognoſcit*, quam *agnoſcit*, nec *imperat*, ſed *ſeruit*. Rationem itaque dici iudicem controuerſiarum theologicarum, aeque tolerari poteſt, ac toleramus, oculum dici iudicem colorum etiam in tabernaculo Moſis. Non enim, niſi oculo, videmus: nec, niſi Ratione ſiue intellectu, cognoſcimus. Non tam dignitas haec eſt Rationis, quam officium eius

ius ac ſeruitium. Ita nos cum Luthero noſtro credimus oculis noſtris, in S. Coena nos verum ore accipere panem, verum vinum. Atque ita oculus noſter eſt iudex controuerſiae inter nos & Pontificios.

IX.

Creatum eſſe ſignificat exiſtere coepiſſe. Quae res autem initium habuit exiſtentiae, ea aliquando non fuit. E. creatio ab aeterno eſt manifeſta contradictio. Supponit enim ſimul & excludit initium exiſtentiae.

X.

Paulum apoſtolum pro auctore *Epiſtolae ad Hebraeos* tam confidenter habere, vt iraſcamur diſſentientibus, minime debemus. Cum enim id in titulo eius profiteri non fuerint auſi ii, qui codici *Noui Teſtamenti* eam inſeruerunt, iure hinc colligimus, eos non certum habuiſſe, eius auctorem eſſe Paulum. Tam antiquo autem tempore cum id non fuerit certum, noſtro aeuo quî certius id eſſe poſſit, non apparet. Imo vero cum illi, quos dixi, Pauli nomen huic epiſtolae non praefixerint, hinc probabiliſſime concludimus, eam non eſſe ab hoc Apoſtolo compoſitam. Quod ſi enim Paulus eius eſſet auctor, id ab iis ignorari non potuiſſet. Rectiſſime igitur maximi noſtri Theologi, Lutherus, Chemnitius, Lucas Oſiander, Hunnius, Franzius, Keslerus, Gerhardus, Calixtus, Glaſſius, Muſaeus, alii,

 non

non ad *Pauli epistolam ad Hebraeos* ablegare solent lectores suos, sed ad *auctorem epistolae ad Hebraeos:* non subscribentes scilicet Philastrii sententiae, *cap.* 89. eos associantis haereticis, *qui epistolam Pauli ad Hebraeos non asserunt esse ipsius.*

XI.

Magna pestis ecclesiae est ignorantia verae doctrinae de habitu religionis Christianae ad vitam ciuilem, vti Pufendorfius loquitur, id est, de iure non solum Principum, sed etiam ciuium, circa religionem.

XII.

Grotius, postquam ad *Lucae* VII. 12. commemorasset, & apud Iudaeos & apud alios populos extra vrbem fuisse sepulcra, ita pergit: *Et certe ita postulat ratio publicae sanitatis, quae multum laedi solet aurâ sepulcrorum. Quo magis mirum, Christianis ferme omnibus placuisse, vt conuentus sacri iisdem in locis haberentur, in quibus ista sunt cadauera.* Addere debebat, nostras ecclesias e Papatu retinuisse hunc morem: quod Leuckfeldius *Antiq. Walckenrid. cap.* 15. monuit.

XIII.

Quando nos Protestantes in religionis negotio *viam auctoritatis*, quam commendant Pontificii, reiicimus, & *viam examinis* laudamus, non id nobis volumus, quemuis hominem aptum

esse

esse ad examinandas doctrinas theologicas eo modo, quo id faciunt viri doctissimi; sed illud docemus, doctores ecclesiae non debere suis auditoribus ingenerare praeiudicium auctoritatis humanae, sed iis demonstrare tum vniuersae religionis, tum singulorum dogmatum veritatem adeo perspicue, vt suis ilii oculis videant, rem ita se habere, adeoque & aliis rationem fidei suae reddere valeant. E. g. quam solide cognoscit homo plebeius, Papam non esse caput ecclesiae, si ita argumentari iubetur: Si CHRISTVS voluisset haberi a nobis episcopum Romanum pro capite ecclesiae ac doctore infallibili, id nos docuisset in Scriptura sacra. Atqui id ibi non docuit. Ergo non vult haberi Papam a nobis pro capite. En aliud argumentum, captum plebeii hominis non excedens: Quae doctrina non est tradita in sacro codice, vel etiam ei repugnat, ea non est veritas religiosa. Atqui doctrina Papaea de inuocatione Sanctorum, de merito operum, de purgatorio, &c. Ergo. Cum itaque Pontificii doctores ita acclament laicis: Credite, quod ecclesia credit, hoc est, quod nos credimus ac docemus; nostri doctores ita eis praecipiunt: Credite, quod ipsi vestris oculis videtis doceri a CHRISTO & Apostolis.

XIV.

Paulinum illud 1. *Cor.* XIV. 32: *Spiritus prophetarum prophetis subiiciantur*, hoc etiam sensu vsurpari potest: Theologi dogmatici aures

praebere debent Theologis exegeticis. Hi enim verum Scripturae ſacrae ſenſum ſcrutantur, quae ſola eſt doctrinae norma. Peccabant igitur Theologi dogmatici vehementer, cum non audiebant Lutherum, multa Scripturae ſacrae loca, quibus illi vtebantur ad firmanda ſua dogmata, rectius interpretantem.

XV.

Quod genus edulii fuerint *Dudaim*, *Gen.* XXX. 14. memorati, ex me nemo quaerat. Ego enim nec ſcio nec ſcire deſidero.

XVI.

Chriſtianus Thomaſius aliquando (nam poſtea mutauit ſententiam,) cenſebat, G. Arnoldi *Hiſtoriam eccleſiaſticam* eſſe librorum omnium, qui exſtant, poſt ſacrum codicem praeſtantiſſimum ac optimum. E. S. Cyprianus contra iudicabat, Arnoldino illo opere peiorem librum eſſe nullum. Fortaſſe & hic mutauit ſententiam. Certe neutrum iudicium eſt verum: id quod vel inde colligi poteſt, quod viri eruditiſſimi, quos conſtat nec amore Arnoldi nec odio impulſos ferventiſſimo ſuum protuliſſe iudicium, cenſent, Arnoldum inter reformatores hiſtoriae eccleſiaſticae referri oportere, etſi nec naeuis careat inſignibus. Nobis placet moderatum iudicium Weismanni, in *Hiſtoriae* ſuae *eccleſiaſticae* prioris editionis veſtibulo, in poſterioris exitu exhibitum.

XVII.

Hodiernus Papa, *Benedictus XIV.* numerari potest inter Papas illos paucos, qui multa laude se dignos praestiterunt etiam Protestantibus.

XVIII.

Non sana an mala mens sit *Zinzendorfia*, lis est.
Accusat caput hic, cor facit ille reum.
Iudicat ex vero, qui dicit: Vtrumque laborat.
Nam ratione caput, cor pietate caret.

XIX.

Titulus *Fidelissimi*, quem nuper Pontifex maximus tribuit Regi Lusitaniae eiusque successoribus, non debet verti **der Allergetreueste**, sed **der Allergläubigste**. Stylo enim ecclesiastico *fideles* sunt **die Gläubigen**, *infideles* **die Ungläubigen**: quales sunt Iudaei & Muhammedani. *Fidelissimus* igitur hic idem est, quod *Christianissimus*.

XX.

Errare humanum est. Errantes non odisse humanissimum est.

XVI.
DISSERTATIO (a)
DE
TITVLO IOANNIS APOSTOLI
Ὁ μαθητὴς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς.

Tantum abest, vt omnia iam sacri codicis loca ab interpretibus sint satis explicata & illustrata, vt etiam loca nonnulla occurrant, quae *derelicta* vocare possumus, hoc est, a nullo interpretum iustae satisque acri subiecta meditationi. Huius generis est titulus IOANNIS, quo vocabatur *discipulus a IESV amatus.* Reperitur haec appellatio *Ioan.* XIII. 23. XIX. 26. XX. 2. XXI. 7. & 20. Se autem hoc titulo significari, ipse testis est Ioannes *cap.* XXI. 24.

Plerique scilicet commentatores ad ista *Evangelicae Ioannis Historiae* loca delati altum tenent silentium, e.g. Beza, Erasmus Schmidius, Glassius, Hammondus, Zeltnerus, Wolfius, Langius. Alii dicunt aliquid, sed tale *aliquid*, quod *nihil* est. Cuius generis est illud (a) Hieronymi: *Ioannes Apostolus, quem IESVS amauit plurimum*; & Weismanni (b) illud: *Ioannes Euangelista*

(a) Primum edita fuit in B. Bartholomaei Weimarischen Nützlichen Anmerkungen *T. II. p. 265. sqq.*

(a) *Catal. script. eccles. cap. IX.*

(b) *Hist. eccles. T. I. p. 45.*

lista & apostolus, discipulus Domino specialiter dilectus. Eodem modo (c) Erasmus & (d) Grotius discipulum appellant Ioannem, *quem Dominus familiarius amabat*: ac Fesselius (e) *discipulum, quem IESVS intimiore amicitia complectebatur*: & Gerhardus (f) *discipulum, quem CHRISTVS peculiari amoris affectu amplexus fuit.* Lampius, de singulari hoc IESV erga Ioannem amore meditatus, haec erumpit (g) in verba: *Procul dubio hac de re Ioanni constitit ex singularibus quibusdam beneficiis, quibus IESVS amorem suum tenerrimum in diebus carnis suae ei testatum dedit: quamuis id quoque modestia Apostoli nos latere voluit. Praecipuam* igitur huius amoris *causam* latere, ait. Io. Alb. Fabricius (h) existimat, ideo praecipuo amore dilectum a IESV fuisse Ioannem, quod IESVM amaret tenerrime ac sincerissime, nullum spectans amoris fructum mundanum. Sed annon spem conceperat (i) Ioannes, se futurum esse in regno CHRISTI mundano, quod opinionis errore finxerat, administrum principem? Verpoortennius ita ad hanc Ioannis appellationem

(c) *in Paraphrasi Ioan. XIII. 23. & XIX. 26.*
(d) *Ad Ioan. XIII. 23.*
(e) *Aduers. sacr. lib. X. cap. 1. §. 14. & 16. & 28.*
(f) *Harm. Euang. cap. 172. p. 21.* vbi & ineptam & a μισογυνίᾳ profectam Hieronymi sententiam producit, arbitrati, *ideo Ioannem plus amatum esse a Domino, quod semper virgo permanserit.*
(g) *Comment. in Euangelium Ioannis T. III. p. 59.*
(h) In *Praef.* ad Rusmeyeri *Comment. in Epistolas Ioannis.*
(i) *Marci X. 35. 37.*

nem (k) commentatur: *Hic titulus non tantum interiorem beneuolentiae affectum, sed eius significationem complectitur, euidentibus signis effectisque testatam multis modis. Cognita haec & perspecta fuisse caeteris discipulis necesse est, quoniam hac nota ab aliis secerni Ioannes satis potuit. Quanquam sigillatim haec nunc describere & determinare non liceat, Scriptura tacente; ipsa tamen res videtur admonere, hoc elogio declarari, quod Dominus euidentibus documentis ostenderit, fidem & obsequium Ioannis prae caeteris sibi gratiose probari.* Altiorem sane haec sapiunt indaginem, sed non tamen sufficiunt, vt mens nostra possit acquiescere. Non minus enim euidentibus signis Petro Dominus suam testatus est beneuolentiam indulgentiamque, itemque Iacobo, Ioannis fratri: quos & vna cum Ioanne a caeteris seiunctos in montem secum duxit Mosem conspecturos & Eliam ac formam suam maiestaticam.

Cum itaque nemo interpretum titulum hunc satis perspicuum reddiderit, &, quae sit eius vis, docuerit, liceat mihi vires experiri mei ingenioli. Quod si forte rem hanc nondum satis perduxisse videbor ad liquidum, id tamen fiet, vt dici possim aliis me acutioribus magisque exercitatis viam fecisse planiorem ad peruestigandum huius formulae sensum. Primo igitur tanquam certum pono, Ioannem cum modestiae causa nomen suum proferre nollet, hoc titulo indicium sui

(k) In *Exerc. de altera tertiaque Epistola Ioannea* §. XX.

ſui feciſſe iis, qui norant, iſto ſe appellari ſolere titulo. Hoc, quod quidem nemo non concedit, velim maneat alta mente repoſtum. Nam huic fundamento ea, quae dicentur, ſuperſtruam.

Nunc igitur ita pergo. Hic titulus non poteſt ſenſu vſitatiſſimo ſignificare, *Ioannem fuiſſe* a CHRISTO *amatum*. Hic enim non eſſet titulus diſtinctiuus. Amabat quippe IESVS omnes ſuos apoſtolos: id quod legimus diſerte ſcriptum *Ioan. XIII. 1. & 34. XV. 9. & 12.* Imo omnes ſuos amabat diſcipulos: quod ipſe CHRISTVS *Matth. XII. 49. 50.* eum docet in modum, vt ἐμφατικωτέρως doceri ſignificarique vix queat. Nec poteſt ille titulus ſignificare, *a* IESV *amatum eſſe Ioannem prae* (l) *caeteris apoſtolis*. Ita enim Ioannes ſe ipſe valde honoraſſet, ſuamque prae condiſcipulis praerogatiuam iactitaſſet. Iam vero ob id ipſum, quod erat honoris fugiens, nomen ſuum reticebat, modeſtiaque duce hoc ſe velabat titulo. Ergo titulus hic non eſt titulus honorem & praerogatiuam ſplendidam indicans, ſed aliquid ſignificat, quod vel modeſtiſſimus profiteri poteſt, isque, a quo & iactantia abeſt & iactantiae ſuſpicio. Quid igitur hoc eſt?

Antea, quam ad quaeſtionem hanc reſpondeo, obſeruo obſeruareque lectores meos iubeo, hunc titulum ſibi non ipſum imponere Ioannem, ſed

(l) Certe *amare* interdum ſignificat *amare aliquem prae caeteris*, e. g. *Gen. XXV. 28. XXIX. 18. XLIV. 20.*

ſed proferre appellationem ſui inter diſcipulos CHRISTI tum vſitatam. Res ipſa id loquitur. Reticens enim Ioannes nomen ſuum, alia ſe appellatione piis illius temporis lectoribus ſe indicauit. Indicare autem eo modo ſe non potuiſſet, niſi hic eſſet titulus, quo ſoleret a caeteris appellitari, & quo audito ſtatim ſciretur, ſignificari Ioannem.

Nunc igitur, quem habeat ſenſum haec appellatio, inquiramus age. Scilicet verbum ἀγαπᾷν ſignificat interdum *agere familiarius cum aliquo, quam cum aliis*. Iudicant homines etiam de amore e factis externis. Cum quo igitur frequentius quis conuerſatur, eum magis amare creditur ac dicitur. Nos quoque de iis, qui perfamiliariter inter ſe viuunt, dicere ſolemus: *Hi inter ſe valde amant*, ſie ſind ſehr gute Freunde. Hoc ſenſu CHRISTVS Ioan. XI. 5. dicebatur ἀγαπᾷν Lazarum, quippe cuius in domum ſubinde ventitabat, vt amicus ad amicum.

Eodem ſenſu & heri dicuntur *amare ſeruos* illos, quibus vtuntur familiarius &, vt ita loquar, intimius. Ita rex Saul (m) dicitur *amaſſe* ſeruum ſuum Dauidem, quia eius tanquam obſequioſi & ſolertis hominis miniſterio vtebatur libentius & familiarius. Faciebat itaque rex ille, quod fieri iuſſit (n) Siracides: Οἰκέτην συνετὸν ἀγαπάτω σȣ ἡ ψυχὴ, inquiens, *famulum prudentem ama*. Erat

(m) *1. Sam. XVI. 21.* vbi Graecus interpres: ἠγάπησεν αὐτὸν.

(n) *Cap. VII. 22.*

rat igitur Dauid Saulis seruus ἀγαπητὸς, *seruus intimus*, quem hodie vocamus des Königes Leib-Diener, Kammer-Diener. Huiusmodi seruum peculiarem & familiarissimum etiam *honorare* dicitur suus dominus. Dum enim ob spectatam fidem dexteritatemque & obsequendi alacritatem caeteris suis seruis eum praefert, id huic seruo ducatur laudi & honori necesse est. Qualis servus ἔντιμος, id est, apud dominum suum gratiosus, & hoc ipso caeteris seruis honoratior, occurrit *Lucae* VII. 2. ad quem locum Pricaeus aliorum veterum loca congessit, quibus serui commemorantur (o) τίμιοι.

Inuenisse nunc tandem nobis videmur, quod quaesiuimus. Ex iis enim, quae modo diximus, apparet, Ioannem a CHRISTO *amatum* fuisse vel tanquam amicum, vel tanquam seruum. Atqui tanquam amicum amare Lazarum quidem poterat CHRISTVS, non autem Ioannem, vnum quippe e discipulis suis domesticis, futurisque suis seruis ad omnes nationes emittendis. Inter amicos enim est quaedam aequalitas, cum neuter alteri sit subiectus: inter herum & seruum non item. Ergo *amauit* CHRISTVS Ioannem tanquam seruum suum, hoc est, caeteris suis discipulis iisdemque seruis eum praetulit, vsusque eo est seruo ordinario atque intimo. Talis igitur seruus

(o) De titulo τίμιος vid. & Casaubonus ad *Theophrasti Charact.* cap. IX. p. 84.

ſeruus & famulus CHRISTI fuit Ioannes, qualem non ſolum Moſes habuit Ioſuam, ſed etiam Elias Eliſaeum, Paulus Silan, Barnabas Marcum. Ὑπηρέτης nominari ſolet huiusmodi ſeruus: ac hoc ipſo nomine cum Silas, tum Marcus afficitur *Act.* XV. 39. 40. & XIII. 5. Vere iam dixeris, Ioannem fuiſſe ſeruum CHRISTI ἀγαπητὸν & ἔντιμον, & ob id vocari eum a condiſcipulis conſeruisque potuiſſe τὸν μαθητὴν, ὃν ἀγαπᾷ ὁ Ἰησοῦς.

Ne dicas, quaeſo, CHRISTI ſtatui exinanitionis (quem cum Paulo 2. *Cor.* XIII. 4. etiam ſtatum τῆς ἀσθενείας vocare poſſumus,) haud conuenire (p) ſeruum huiusmodi. Annon pauperrimo Eliae ſuus erat ſeruus? annon & pauperrimo Paulo? Quemadmodum igitur Paulus & Elias non poterant carere ſeruo, quem huc illuc mitterent, & cuius aliis vterentur obſequiis; ſic nec CHRISTVS, ſerui licet ipſe indutus formam & habitum. Opus ſcilicet erat ipſi aliquo, quem interdum ad matrem mitteret, (quod non ita raro factum eſſe, facile intelligitur,) quo vteretur ad lauandos ſibi pedes, ad induendos ſibi & exuendos

(p) Hoc argumentum iure maiori obieceris Cornelio a Lapide, qui in *Prooemio ad primam Ioannis Epiſtolam* ex eo, quod ſe appellat Ioannes *diſcipulum, quem diligebat IESVS,* colligit, eum fuiſſe *Secretarium CHRISTI.* Mirum vero, ei Ioannem non eſſe viſum *Conſiliarium* CHRISTI *intimum*, cum ſciret, regios ſupremi ordinis adminiſtros vocari conſueuiſſe regis ſui *amicos*,

uendos (q) calceos, qui ſibi praeſto eſſet ad mandata ſubita, qui in cubiculo ſibi adiaceret dormienti, qui alia ſibi praeſtaret minuta officiola domeſtica, qui propterea perpetuus ſibi eſſet (r) pediſequus, nec niſi iuſſus ab ipſo recederet.

Nunc & faciie intelligimus, qni factum ſit, vt auderet Ioannes cum CHRISTO loqui familiarius, &, quod Petrus e CHRISTO quaerere non audebat, id quaerere ex ipſo minime timeret, *Ioan. XIII. 24. 25. 26.* Familiaritas enim ſingularis & perpetua conſuetudo parit plus fiduciae, timoremque ac pudorem repellit. Hinc illud quoque factum eſſe puto, vt mater (s) Ioannis, recordata, quid contigerit ſeruo Moſis, Ioſuae, quid Eliae ſeruo, Eliſaeo, rogaret IESVM, vt in regno ſuo eum & ipſius fratrem, Iacobum, faceret miniſtros ſuos primarios. Hinc & factum,

(q) Ioannes baptiſta ſe iudicabat indignum, qui ſuos CHRISTO exueret calceos, *Matth. III. 11. Marci I. 8. Lucae III. 16. & Ioan. I. 27*

(r) Quid ſi dicam, Ioannem ad priſtinum ſuum *pediſequi* officium cupide rediiſſe, cum CHRISTVS poſt reſurrectionem venit ad diſcipulos? Certe *Ioan. XXI. 20.* reperimus eum ἀκολουθοῦντα τῷ Ἰησοῦ, cum Petrus cum CHRISTO haberet colloquium. Ἀκόλουθος autem Graecis eſt *famulus & pediſequus*, *e. g. Theophraſto Charact. cap. IX. & XI.* AEliano Var. *hiſtor. XIV.* 14. Diogeni Laërtio VIII. 73. vt taceam *acoluthos* veteris Eccleſiae. Infirmior quidem, fateor, eſt haec mea coniectura: ſed vel ob id non prorſus contemnenda, quia non reſelli ſatis poterit.

(s) *Matth. XX. 20. 21.*

vt morituro Domino adſtaret ſeruus hic praecipuae fidelitatis, itemque, vt diſcedens ex hac vita CHRISTVS matrem ſuam commendaret fidei eius: qui cum etiam cognatus Mariae eſſet, hoc ipſum momenti non nihil attuliſſe videtur ad id, vt CHRISTVS e ſuis diſcipulis hunc potiſſimum eligeret, quo vteretur ſeruo ordinario & familiariſſimo. Hinc denique eſt factum, vt, quemadmodum Eliſaeus, Eliae famulus, altero tanto maiorem, quam caeteri prophetici diſcipuli, accipiebat ſpiritum, ſic etiam Ioanni obtingeret ἀποκάλυψις plane ſingularis illa, quam in literas relatam habemus ad docendam Chriſtianam omnis aeui poſteritatem, quae fata ſint Eccleſiae futura, & quomodo regnum ſuum ſit adminiſtraturus CHRISTVS ad mundi vsque excidium.

Fortaſſe hic Lector, cogitabis, idoneam fuiſſe hanc rem ad pariendam Ioanni caeterorum vndecim diſcipulorum inuidiam, neque adeo CHRISTVM facturum fuiſſe id, quod eſſet inuidioſum. Sed audi me, quaeſo. Nonne ſciebant diſcipuli, hoc ita fieri ſolere, ipſa natura duce, vt, qui plures habeat ſeruos, ex iis vnum habeat peculiariter ſibi addictum, qui ordinaria ſolus praeſtet domino officia? Itaque cum duodecim CHRISTVS haberet ſeruos, qui iidem erant ipſius diſcipuli, euaſuri olim totius orbis terrarum doctores, omnes hi eum vocabant κύριον, *dominum ſuum:* ſed vnus eorum ordinaria obire ſeruitia a CHRISTO iuſſus erat. Hoc igitur,

gitur, tantum abeſt, vt inuidiam incenderet in caeteris, vt potius intelligerent ſatis, aliter id fieri non poſſe, nec aliter fieri ſolere ab aliis plurium ſeruorum dominis. Et qui poterant eo nomine inuidere Ioanni, cum hic propinqua eſſet cnm IESV coniunctus cognatione, adeoque naturale quoddam haberet hoc προτιμήσεως ius? Praeterea res ipſa non erat magnopere inuidenda, quippe cum hoc ſpeciale munus Ioannem redderet conſeruis ſuis ſerviorem, hoc eſt, magis & arctius δȣ̃λον, ſaepeque domino ſeruientem, cum caeteri relinquebantur in otio. Ita nec legimus, inuidiſſe caeteros diſcipulos Iudae illi, qui ſolus a CHRISTO praefectus erat marſupio. Nam nec hic aliter fieri poterat, quam vt vni demandaretur cura pecuniae.

Sic igitur iuſtam veramque vel ſaltim veriſimillimam exhibui reſponſionem ad quaeſtionem illam, cur Ioannes appellitatus fuerit ὁ μαθητὴς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησȣ̃ς. Significat videlicet haec appellatio ſeruum CHRISTI ſiue famulum peculiarem & familiaritatis intimae. Atque ita IOANNES erat *Ioannes veriſſimi nominis.* Conſtat enim, *Ioannem* ſignificare eum, qui eſt *gratioſus apud DEVM.* Iam vero ſeruiebat Ioannes ei, qui eſt ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας. Ἀμήν.

XVII.
DISSERTATIO (a)
DE
SENSV PAVLINO
VERBI ΟΙ'ΚΟΘΟΜΕ͂ΙΝ ET VOCABVLI ΟΙ'ΚΟΘΟΜΗ'.

I.

Verbum οἰκοδομεῖν & vocabulum οἰκοδομὴ cum in Pauli *Epistolis* occurrant perfrequenter, adeoque dignissima sit haec φράσις, cuius verus certusque sensus inuestigetur, ita tamen neglecta adhuc est a theologicis Philologis, vt de ea nemo egerit data opera. Flacius in *Clauis* suae Parte *posteriori p. 3.* hanc phrasin: *aedificare aliquem*, vocat, *procul petitum* ac durum *tropum.* Plane tacent de hoc dicendi genere Glassius in *Philologia sacra*, Fesselius, perdiligens alioqui Biblicarum phrasium interpres, in *Aduersariis sacris*, Stolbergius in *Exercitationibus Graecae linguae*, quarum in titulo profitetur, se acturum de dictionibus *a Paulo noue vsurpatis*; Vorstius in *Philologia sacra*; Suicerus in *Thesauro ecclesiastico*, Wolfius in *Curis philologicis N. T.* qui quidem non erat silentio praeteriturus huius dictionis interpretem, si quis ipsi occurrisset; Ioach. Lan-

(a) Primum edita in B. Bartholomaei Weimarischen Nützlichen Anmerkungen *T. II. p. 1. sqq.*

Langius, felix alioqui Biblicarum phrasium interpres & accuratus, in (a) *Comment. ad Epistolas Pauli*; Weismannus in edito nuper *Systemate Theologiae exegetico*: quo in opere alioqui solerter explicantur phrases Biblicae atque e sua obscuritate educuntur in lucem; Blackwallus in *Critica sacra*: quo titulo *Obseruationes* eius *ad N. T. grammaticas* ornauit Latinus interpres, Ven. Wollius. Ac iam olim periisse verum clarumque huius dictionis intellectum, ex eo colligi posse videtur, quod Patres Ecclesiae vocabulo hoc vti desierunt sensu Paulino. Certe Suicerus in *Thesauro* modo laudato ne vnum quidem huius notionis exemplum ex vllo Patrum protulit, prorsus omittens id vocabuli.

II.

Minime vero desperandum, erui posse liquidam huius dictionis significantiam, si omnia ea loca, quibus occurrit, conferamus inter se, & ex hac collatione primum cognoscamus, quid rei sibi Paulus velit ita loquens, deinde quomodo explicanda sit illa metaphora & applicanda. *Paulinam* enim iure vocamus hanc phrasin, crebro quippe in scriptis Pauli obuiam, & vix semel

(a) In *Indice* quidem occurrit vox Erbauung: sed loca ibi indicata non exhibent explicationem huius phrasis. Idem in *Oeconomia salutis morali* p 195. *vbi de aedificatione proximi* distincte agit, eam in eo ait consistere, vt proximus *verbis & factis excitetur ad Christianismi praxin;* at appellationis illius nullam profert rationem.

a Petro & Iuda (caeteri enim ſacri ſcriptores ea plane non ſunt vſi,) vſurpatam: quorum illum e Pauli epiſtolis (quas ſibi lectas eſſe, in poſterioris ſuae epiſtolae *cap. III. 16.* fatetur,) eam petiisſe, facile credimus; hunc eam a Petro accepiſſe, cuius illam epiſtolam inter ſcribendum ob oculos habebat, dubitare vix poſſumus. Eſt igitur haec phraſis ex illis vna, quibus, vti Glaſſius *Philol. ſacrae lib. I. tract. IV. ſect. IV. §. 4. p. 543* loquitur, *noua ſignificatione & ſenſu vtitur Apoſtolus.*

III.

En loca ſacri codicis, vbi haec metaphorica dictio occurrit! Et verbum quidem οἰκοδομεῖν octies reperitur. 1. *Cor.* VIII. 1: ἡ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. Ibidem *v.* 10: οἰκοδομηθήσεται εἰς τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν. 1. *Cor.* X. 23: οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. 1. *Cor.* XIV. 4; ὁ λαλῶν γλώσσῃ, ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ: ὁ δὲ προφητεύων ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ. Ibidem *v.* 17: ὁ ἕτερος οὐκ οἰκοδομεῖται. 1. *Theſſ.* V. 11: οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα. 1. *Petri* II. 5: οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικός. Compoſitum ἐποικοδομέω bis hoc ſenſu occurrit. *Act.* XX. 32. ait Paulus: τῷ Θεῷ τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι. *Iudae* (b) v. 20: τῇ πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυ-

(b) Recte Glaſſius *Philol. ſacrae lib. III. tract. VI.* in appendice ad *canonem XIX. p. 1079.* approbat Franc. Iunii interpretationem, qui voculae ἐπὶ hanc emphaſin eſſe ait, vt ſignificet *amplius*, & innuatur piorum officium, qui non debent oſcitanter acquieſcere in demenſo fidei, quod a Deo ac-

ἑαυτȣ̃ς. Denique οἰκοδομὴν hoc eodem ſenſu metaphorico duodecies dixit Paulus. *Rom.* XIV. 19: διώκωμεν τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλȣς. *Rom.* XV. 2: ἕκαςος τῶ πλησίον ἀρεσκέτω πρὸς οἰκοδομήν. 1. *Cor.* XIV. 3: ὁ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομήν. Ibidem *v.* 5: ἵνα ἡ ἐκκλησία οἰκοδομὴν λάβῃ. Ibidem *v.* 12: πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας. Ibidem *v.* 26: πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γενέϑω. 2. *Cor.* X. 8. & XIII. 10: ὁ κύριος ἔδωκεν ἡμῖν ἐξȣσίαν εἰς οἰκοδομὴν ὑμῶν. Ibidem *cap.* XII. 19: Λαλȣ̃μεν τὰ πάντα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς. *Eph.* IV. 12: εἰς οἰκοδομὴν τȣ̃ σώματος τȣ̃ Χριςȣ̃. Ibidem *v.* 16: εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτȣ̃ ἐν ἀγάπῃ. Ibidem *v.* 29: ἀγαθὸς λόγος πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας.

IX.

Haec loca cum intuemur interque ſe comparamus attentiſſime, deprehendimus, malo ſenſu id verbi vſurpari ſemel duntaxat, caeteris omnibus locis boni aliquid ſignificari. Et haec poſteriora loca rurſus duas in claſſes diſtribuere cogimur. Aliis enim locis hac dictione ſignificantur (c) *incrementa* ſeu, ſi ita loqui licet, *ac-*

acceperunt, ſed magis magisque fidem ſuam excolere atque ſtatuminare.

(c) Eodem ſenſu Epictetus in *Enchir. cap.* 49 vocat ἐπανόρθωσιν; id quod conuenit cum Lutheri verſione Beſſerung: quam & Flacius videtur ob oculos habuiſſe, in *Claui ſua p.* 25. id *interpretans* verbo *meliorare*,

trementa scientiae & virtutis Christianae in singulis, *videlicet* 1. *Cor.* XIV. 4. & 17; 1. *Thess.* V. 11; 1. *Petri* II. 5. *Iudae v.* 20. *Act.* XX. 32; 1. *Cor.* XIV. 3. 5. 12. 26. *Eph.* IV. 29. Apparet facile, petitam esse similitudinem a nouis aedificiis magis magisque in altum excrescentibus, donec ad summum perueniatur fastigium. Aliis locis significatur *studium communem Christianae reip. seu Ecclesiae*, siue *corporis CHRISTI mystici vtilitatem augendi*, videlicet 1. *Cor.* VIII. 1; X. 23. *Rom.* XIV. 19: XV. 2; 2. *Cor.* X. 8; XII. 19; XIII. 10. *Eph.* IV. 12. 16. Similitudo & hic innuitur cum aedificiis nouis, quibus communis labor incrementum affert, dissidium laborantium detrimentum & corruptionem. Quapropter his locis interdum *aedificationi* adiungitur atque opponitur *dissolutio & destructio*, videlicet *Rom.* XIV. 20; 2. *Cor.* X. 8; & XIII. 10. Conf. etiam *Gal.* II. 18. & *Ioan.* II. 19. & 2. *Tim* (d) II. 14. Vno denique loco *οἰκοδομεῖν* significat ingenti catechresi *augere* in deterius, scilicet 1. *Cor.* (e) VIII. 10. vbi alluditur ad exstructionem aedificii mali foedique.

V.

Facile hinc elucet, *οἰκοδομὴν* his locis non significare *aedificium*, (quae quidem est vsitatissima eius vocabuli notio, etiam 1. *Cor.* III. 9. oc-

(d) Ad hunc locum vid. Wolfius.

(e) Ad locum hunc consuli meretur Flacii *Clauis p.* 26. & Blackwallus *p.* 469.

occurrens & *Matth.* XXIV. 1.) sed *aedificationem*, adeoque poni pro οἰκοδομία, itemque οἰκοδομεῖν non significare *aedificium perficere*, sed dici pro ἐποικοδομεῖν, *superaedificare & aedificationem continuare*, siue *in aedificando* (f) *pergere*: quod & ipsum duobus locis reperitur, scilicet *Act.* XX. 32. & *Iudae v.* 20. Atque ita clare se interpretatur Paulus 1. *Cor.* III. 10: *Ego*, inquiens, *tanquam peritus architectus fundamentum posui*, ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ, hoc est, *aedificare pergit.* Praeterea etiam alibi diserte οἰκοδομίαν dixit Paulus, videlicet 1. *Tim.* I. 4: quod perperam nonnulli, interque eos Wolfius, in οἰκονομίαν mutatum voluerunt. Etiam *Act.* IX. 31. οἰκοδομεῖν significat *in aedificando pergere*, siue aedificium longius & altius prouehere: quo sensu & οἰκοδομεῖσθαι occurrit *Eph.* II. 22. Ipsemet rursus ita se interpretatur Apostolus, cum eadem de re loquens verbo αὐξάνω & αὐξάνομαι vtitur *Col.* I. 10. *Eph* II. 21. & 1. *Cor.* III. 6. 7. itemque verbo περισσεύω 1. *Cor.* XV. 58. *Rom.* XV. 13. 2. *Cor.* VIII. 7. *Phil.* I. 9. 1. *Thess.* IV. 1. & 10.

VI.

Caeterum vtriusque notionis §. IV. indicatae perspicuitas fiet maior, si recordemur, non solum

(f) Germanice igitur non debet reddi einen bauen, sed an einem bauen und immer fortbauen. Vulgare erbauen & erbaulich non habet perspicuum sensum, magisque dicitur, quam intelligitur. Mihi tamen is, qui Paulinum οἰκοδομεῖν primus reddidit, einen erbauen, nihil aliud significasse videtur, quam an einem geistlicher Weise bauen.

ſolum totam eccleſiam appellari *domum DEI Matth.* XVI. 18. 1. *Tim.* III. 15. *Eph.* II. 21. & 1. *Cor.* III. 9. verum etiam Chriſtianum vnumquemque dici *DEI habitaculum & Spiritus ſancti templum Eph.* II. 22. *Ioan.* XIV. 23. 1. *Cor.* III. 16. 17. & VI. 19. Vti igitur hoc praeſuppoſito dici poteſt *aedificari Eccleſia*, ita etiam ſinguli Chriſtiani *aedificari* dicuntur commode. Quilibet ſcilicet Chriſtianus eſt domus quaedam, cuius ſtructura curae eſt bonis doctoribus, qui eam magis ac magis ad perfectionem deducere & exornare ſtudent. Et quemadmodum Paulus ſe vocat 1. *Cor.* III. 10. *architectum Eccleſiae*, ſic ipſe, & quilibet veri nominis doctor, eſt architectus vniuscuiusque ſui auditoris, in eoque aedificando ſedulus eſt, hoc eſt, in dies magis ſapientem reddit eum ac pium. Imo quisque Chriſtianus nunquam non ſe ipſe aedificat, hoc eſt, cum in ſcientia, tum in virtute, nunquam intermiſſo eius exercitio, proficit. Quanquam naturae humanae vitio originali fit, vt domus haec DEI hac in vita nunquam fiat perfecta, ſed in altera demum illa, *Phil.* III. 12. *Hebr.* XII. 23. Domus igitur haec DEI vtraque perpetuo *aedificetur* neceſſe eſt, etſi nunquam in hac vita *peraedificabitur*, hoc eſt, domus perfecta fiet & omnibus numeris partibusque abſoluta, ſed ſemper aliquid retinebit imperfectionis ac vitii. Nec de ſcientia ſolum Chriſtiana dici debet cum Paulo 1. *Cor.* XIII. 9: Ἐκ μέρους γινώσκομεν, ſed, quod ibidem *v.* 10. dicimur in coeleſti illa demum vita

ade-

adepturi τέλειον, complectitur vtique etiam τὸ τέλειον virtutum.

VII.

Supereſt, vt inquiramus, vnde hanc loquendi rariorem formulam Paulus acceperit. Non eſt autem, quod cum Origine, Hieronymo, & Salmaſio de *Cilicismo* vel *Tarſisino* aliquo cogitemus: quam coniecturam probe confutauit Stolbergius in *Exercitationibus Graecae linguae p. 91. ſqq.* Mihi quidem non eſt dubium, originem & ſcaturiginem huius dictionis eſſe Hebraicam. *Gen.* XVI. 2. exoptat Sara *aedificari* ex ancilla, hoc eſt, liberos accipere ad exſtruendam domum ſiue familiam. Quae dictio & *Gen.* XXX. 3. reperitur, ac *Ieſaiae* LI. 2. per *multiplicare* exponitur. AEdificabatur igitur Sara, cum id adipiſcebatur, quod non habebat, & tamen habere vehementiſſime cupiebat. Ita quaeuis *acceſſio*, atque eo incremento facta *melioratio* vocatur *aedificatio.* Sic etiam *gratia* DEI *aedificari*, hoc eſt, maior in dies fieri, dicitur *Pſal.* XCIX. 3. Et *Pſal.* XXVIII. 5. itemque *Ierem.* XXIV. 6. & XLII. 10. eos dicitur DEVS *aedificare*, quorum auget felicitatem. Pari modo (g) *Prouerb.* XIV. 1. vxor ſapiens *aedificare domum* dicitur, hoc eſt, opes mariti augere prudentia domeſtica. Quid nunc dubitamus deriuare hoc e fonte dictionem illam Pauli, ad ſpiritualia incrementa applicantis phra-

(g) Vid. ad h. l. Geierus, qui & ipſe noſtra eſt in ſententia.

phrasin de incrementis terrestribus in V. T. vsurpari solitam?

VIII.

Nec Latinis Graecisque prorsus incognitus est iste loquendi modus. Certe apud Plautum *Trin.* I. 2. 95. *exaedificare suam incboatam ignaviam* nihil est aliud, quam efficere, vt otium otioque iuncta voluptas in dies augeatur. Etiam Cicero *lib. I. de oratore cap. 35: Exaedifices opus,* inquit, *quod instituisti,* hoc est, materiam hanc, quam tractare coepisti, edissere plenius ac vberius. Nec aliena hoc loco est illa phrasis, qua Latini dicunt *aedificare hortum*, id est, in dies magis ornare & instruere, donec fiat hortus perfectus. E Graecis scriptoribus non incommode Schwarzius in *Lexico N. T. p. 965.* produxit illud Diogenis *Laërtii lib. VI. cap. 49: Athletae suillis & bubulis carnibus exaedificati sunt*, ἀνῳκοδόμηνται, hoc est, corporum eorum carnositas ita aucta est magis magisque.

IX.

Explicata nunc & illustrata Paulina hac phrasi facile est docere, quid sit, vt in ecclesiis nostris loquimur, concio οἰκοδομικὴ, **eine erbauliche Predigt**, & concionator οἰκοδομικὸς, **ein erbaulicher Prediger.** Scilicet is est, qui generat vel adauget in auditorum suorum intellectu scientiam salutiferam, & in eorum voluntate fidem, spem, & caritatem. Hic igitur publico

suo

ſuo in ſermone proferre nihil debet, quod nec Chriſtianam audientium ſcientiam augeat, nec magis eos ad colendam pietatem accendat. Talia enim quantumuis docta abeſſe debent ab eccleſiaſtica cathedra. Cum vero docere non poſſit concionator, niſi intelligatur; intelligi autem debeat ab vniuerſo auditorum grege; vti eum oportet ſtylo idiotico & populari, hoc eſt, eo, qui cuiuis etiam de plebe auditori planus ſit & perſpicuus. Recte Ambroſius *lib. I. de officiis cap. 22: Oratio doctoris eccleſiaſtici ſit pura, ſimplex, dilucida atque manifeſta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia.* Id quod & Gregorius Nazianzenus praecipit *T. II p. 304. Quod ad orationem eccleſiaſticam attinet,* inquiens, *pedes eſto, ruſticoque dicendi genere vtitor.* Qui ſecus facit, ei cum Iſidoro Peluſiota h) acclamabimus: Διδάσκεις τερπνῶς, ἀλλ' οὐκ ἐνεργητικῶς, du predigeſt zwar annehmlich, (ſcilicet als eine klingende Schelle, 1. *Cor.* XIII. 1. τοῖς κνηθομένοις τὴν ἀκοήν, 2. *Tim.* IV. 3.) aber nicht erbaulich. Fugienda igitur concionatori ſunt verba phraſesque in ſcholis Academicis vſitatae, at plebi, imo plerisque auditoribus, incognitae. Fugienda item oratoria ſublimitas & meteorologia, praetereaque dictiones poëtarum propriae. Haec de ſtylo οἰκοδομικῷ. Ad doctrinam ipſam quod attinet, non niſi ea tradenda ſunt, ſacroque e codice confirmanda illuſtrandaque, quae cognitu ſunt neceſſaria, ſimulque errores Chriſtianae doctrinae repugnantes refellendi

lendi

(h) *Lib. I. epiſt. 112.*

lendi grauiter & placide. A controuersiis autem Theologorum subtilioribus prorsus abstinebit concionator, easque relinquet cathedris Academicis. Cum autem scientia Christiana sit breuis, (hoc est, non ita multis constet fidei articulis,) praxis autem Christiana sit longa & ardua, maxime in id incumbet, vt peccatores reddat γνησίως Christianos, piorumque maiorem ardentioremque faciat fidem & spem & caritatem. Distinctius exponere modum, quo fieri id oporteat, non est huius breuitatis. Satis nunc habeo exempla commendare *Lutheri*, *Hunnii*, *Arndii*, *Geieri*, *Speneri*, qui ita concionabantur, vt auditoribus bonis necesse esset e *Lucae* XXIV. 32. exclamare: **Brannte nicht unser Herz in uns, als er uns die Schrift erklärete?**

X.

Hoc in speculum qui inspexerit, libenter fatebitur, magnam hodie esse paucitatem concionatorum οἰκοδομικῶν, maxime in templis maioribus, ac verebitur iure, ne progenies futura sit vitiosior, cum permulti caudidatorum ecclesiasticorum id ipsum agere videantur in publicis suis sermonibus, vt hi ne sint concionibus CHRISTI & Apostolorum similes, adeoque οἰκοδομικαὶ, sed vt ipsis laus tribuatur & eximiae eloquentiae & philosophicae eruditionis. Precemur age DEVM (i) etiam atque etiam, ὅπως ἐργάτας (hoc est, veri nominis ἐργάτας,) ἐκβάλῃ εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

(i) *Matth.* IX. 58.

XVIII.
PROGRAMMA (a)
DE
SEPTEM SPIRITIBVS
APOC. I. 4.

D. G.

Quae de SPIRITV SANCTO docemur in ſacro codice, quo minus ea ratio naturalis poteſt aſſequi, eo altiori mente ſunt reponenda & pia fide firmiter tenenda tuendaque. De eo quae credere Chriſtianos oporteat, vno veluti verbo docuit ipſe CHRISTVS, cum apoſtolis ſuis formulam praeſcripſit baptizandi, *Baptizate*, inquiens, *in nomen* (a) PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI. Hoc vno verbo plures comprehenduntur veritates de SPIRITV SANCTO, quas attento cuique lectori eruere facile eſt, quasque

(a) Nomine Academiae ſcriptum.

(a) In priſca verſione Latina εἰς τὸ ὄνομα redditum eſt *in nomine*: quae verſio per ſecuta tempora in eccleſia retenta eſt ad aetatem vsque noſtram. Sed hoc *in nomine* idem prorſus, quod *in nomen*, ſignificare, facile apparet, & agnouit etiam ad hunc locum Calouius, itemque Wolſius. Melius tamen ac magis perſpicue verti *in nomen*, auf den Nahmen, vix cuiquam poteſt eſſe obſcurum.

que celebratissimus ille nostrae ecclesiae theologus, *Ioannes Gerhardus*, iusto ordine hunc in modum (b) exhibuit: *Non baptizamur in nomine PATRIS per FILIVM, sed in nomine PATRIS, FILII, & SPIRITVS SANCTI. Inuocatur ergo ibi non minus FILIVS & SPIRITVS SANCTVS, quam PATER. Virtus ergo baptismi a PATRE, FILIO, & SPIRITV SANCTO dependet aequaliter. Obligatur ergo baptizatus ad cultum, seruitium, & inuocationem PATRIS, FILII, & SPIRITVS SANCTI, vnius veri Dei. In nomine, non in nominibus, PATRIS, FILII, & SPIRITVS SANCTI baptizamur. Ergo vna est trium personarum essentia, & in vna indiuisa essentia sunt tres personae modis omnibus aequales.*

Similis huic loco locus cum in *primo Apocalypseos capite* occurrat, non autem nihil is obscuritatis habeat, haud alienum est ab huius festi temporis meditationibus, eum considerare attentius, verumque eius sensum inuestigare. En locum hunc v. 4. & 5.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, καὶ ἀπὸ τῶν ἑπ]ὰ πνευμάτων, ἃ ἐςιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριςοῦ, κ. τ. λ.

Gratia (sit) *vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & a Iesu Christo*, caetera.

Non

(b) In *Loco de Deo Patre & aeterno eius Filio* §. 144.

Nonnulli fugitiuis oculis hunc locum intuiti deprehendiſſe hic ſibi viſi ſunt ſeptem angelos ſiue potius archangelos: & alii quidem ita cenſuerunt errore ſimplici, alii hanc ſententiam ideo ſunt cupide amplexati, quod nouum hic reperirent ſcilicet fundamentum doctrinae de cultu angelorum. Inter priores *Beza* eſt, itemque *Druſius:* quorum ille, ſatis cernens, exaequari hos ſeptem Spiritus videri PATRI & CHRISTO, id ſibi negotii dabat, vt, falſum id eſſe, perſuaderet. At perpaucis perſuaſum id ab eo fuiſſe, hinc liquet, quod poſtea ex ipſius ſecta *Ludouicus Cappellus* (c) ſcripſit, SPIRITVM SANCTVM hic intelligi *a ſuae aetatis orthodoxis theologis omnibus. Hammondus* tamen tuendam ſuſcepit *Bezae* interpretationem, ſed ita, vt ieiuna admodum ad obiectionem de cultu diuino ſeptem his Spiritibus tributo reſponſione ſuos ipſe lectores ab aſſenſu retraheret. Inter noſtrates iſta ſententia placuit Wittebergenſi Graecae linguae doctori doctiſſimo, *Balthaſari Stolbergio*, in libro *de ſoloeciſmis Nouo Foederi falſo tributis.* At cum ſuaſiſſet (d) *Calouius*, vt noua in editione illius libri id omittatur, conſilio huic paruit in ſua editione *Schurzfleiſchius p.* 12.

Acriores haec ſententia propugnatores nacta eſt Pontificios, qui cernentes, cultum diuinum denegari non poſſe ſeptem his Spiritibus, ob hoc ipſum & crediderunt & ab aliis credi voluerunt,

(c) *Annot.* ad h. l.

(d) In *Bibliis illuſtratis* ad h. l.

runt, deſcribi hic ſeptem angelos ſiue archangelos. Adeo facile formam induit error veritatis, ſi doctrinae cuidam patrocinatur, non aliis e locis ſacri codicis confirmandae. Conſtat quippe, etiam ad angelos in illa eccleſia emitti preces. Propugnant proinde pro hac huius loci interpretatione duo eminentiores Ieſuitae, qui ſacrum codicem interpretari ſunt aggreſſi, *Iacobus Tirinus* & *Cornelius a Lapide.* Prior ſeptem horum angelorum nomina indicare audet, Amadeo cuidam (Luſitanus hic fuit Franciſcani ordinis,) a DEO reuelata, Michaelem, Gabrielem, Raphaëlem, Vrielem, Sealthielem, Iehudielem, Barachielem. *Hic ſuo nos exemplo docet Ioannes*, inquit, *eosdem angelos pari modo inuocare, & eorum interuentu ac precibus opem a DEO depoſcere.* Poſterior longos logos effundens ad hunc locum, ibidem contendit, *ſanciri hic a Ioanne inuocationem angelorum*: docens etiam, ſeptem illis, quos diximus, archangelis Panormi dicatum eſſe templum quoddam.

Qui non ſunt Pontificii, adeoque nullum capiunt ex hac interpretatione commodum ſectarium, ea occaſione hunc inciderunt in errorem, quod non ſunt recordati, ſtylum huius libri prorſus eſſe ſingularem & generis aenigmatici. Hoc ſi obſeruaſſent, ac tum totum hunc locum minus feſtinanter contemplati eſſent, non potuiſſent non agnoſcere, quod poſtea agnouerunt interpretes & noſtrae & Reformatae eccleſiae maximi, videlicet deſcribi hic tertiam perſonam

Tri-

Trinitatis. Apparet enim, Ioannem ſeptem ecclesiis Aſiae, quas adhuc rexerat, quarumque nomina in *capite tertio* & *quarto* proferuntur, precari *gratiam & pacem* a ſeptem Spiritibus, qualem quantamque pacem & gratiam dare poteſt ac dat PATER & FILIVS. Quis, quaeſo, alius pari poteſtate gratiam pacemque hominibus dandi pollet praeter SPIRITVM SANCTVM? Manifeſtum hinc eſſe debebat, per ſeptem Spiritus a Ioanne ſignificari SPIRITVM SANCTVM, ac disquiri oportere, cur hic apocalyptico & aenigmatico ſuo (e) ſtylo vſus ſit Ioannes. Profecto in promtu erat cernere, ob oculos verſari Ioanni ſeptem illas ſuas eccleſias, quarum vnaquaeque rectorem nacta erat SPIRITVM SANCTVM. Nec offendere debebat, quod prior SPIRITVS SANCTVS nominatur, quam IESVS CHRISTVS. Nam primum id fieri poterat ad indicandam trium aeternarum perſonarum aequalitatem: quem in modum Paulus 2. *Cor.* XIII. 13. primo loco FILIVM, ſecundo PATREM, tertio SPIRITVM SANCTVM, nominauit. Deinde & hanc cauſam, poſtremo loco nominandi FILIVM, habebat Ioannes, quod huius ſimul de-

(e) Stylum Ioannis hoc in libro eſſe *Cabbaliſticum*, contendentem ſingulari Diſſertatione, quam Meuſchenius iterum edidit in *Nouo Teſtamento ex Talmude illuſtrato*, Rhenferdium, virum alioqui pereruditum, & hinc noſtrum quoque locum *de ſeptem ſpiritibus* interpretari conatum, meras nugas agere, lucide docet *Clericus Biblioth. anc. & mod. T. XVII. p.* 88. *ſqq.*

describebat humanam naturam, mentionem faciens muneris ipsius didascalici mortisque ac resurrectionis: vt adeo IESVS hic exhibeatur tanquam DEVS caro factus. Hinc praeterea cognosci potest clarissime, septem hos Spiritus non posse esse septem angelos, quod PATREM & FILIVM, a quo gratiam & pacem precatur, inuocari gratiamque & pacem rogari satis manifeste iubet Ioannes. Iam vero, angelos non esse inuocandos, sed solum DEVM, doctori credimus CHRISTO: cui qui non credentes, vel mandatum eius distinctione inter λατρείαν & δουλείαν siue temperantes siue eludentes, inuocant angelos, suasque preces ab iis exaudiri putant, ii & angelos frustra orant, & angelorum dominum vehementer offendunt.

Verum huius loci Apocalyptici sensum post factam a LVTHERO reformationem ecclesiae primus exhibuit *Franciscus Lambertus*, Aueniomensis, primus primae a Lutherano Principe conditae Academiae Theologus, in suis *in Apocalypsin* praelectionibus, a. 1528. editis Marburgi, & quidem *folio* 17. Nec aliter intelligi, quam de SPIRITV SANCTO, posse hunc locum, censuit *Alfonsus Conradus*, Mantuanus, ipse quoque in Protestantium ecclesiam transgressus, in suo bonae frugis *Commentario in Apocalypsin*, Basileae 1574. edito, p. 5. Postea huius interpretationis euidentia tanta visa est & nostrae & Reformatae ecclesiae theologis, vt vix quisquam (f) secus

(f) Grotii sententia, septem partes prouidentiae diui-
uae

secus sentiret. Ac memoratu dignum, etiam Pontificia in ecclesia fuisse, qui haud aliter interpretandum censerent hunc locum: quos recensset in *Systemate* (g) suo *Quenstedius*. Quibus adiungimus *Tacitum Nicolaum Zegerum*, non ignobilem exegetam, Minoritam saeculi decimi sexti, in annotatione ad hunc locum ita scribentem: *Intelligitur septiformis Spiritus Sanctus, qui natura vnus & simplex est, gratiarum autem distributione multiplex.* Et hi quidem antiquiores, quam suae aetatis interpretes, sequi malebant. Nam SPIRITVM SANCTVM nostro loco agnouisse *Primasium, Ambrosium, Bedam, Ansbertum, Haymonem, Rupertum, Thomam*, docet, qui Iesuiticam interpretationem praefert, *Franciscus de Ribera*, Iesuita Hispanus, in *Commentario* suo *in Apocalypsin p.* 27.

Illud nunc hinc rectissime collegit agnouitque Christiana ecclesia, aeque, ac PATREM & FILIVM, adorari (h) a nobis inuocarique oportere SPIRITVM SANCTVM: & ipsi hoc nomine singulare dicauit festum, hoc ipsum videlicet, quod nunc celebratur per orbem Christia-

nae a Ioanne innui, rati, tam est imbecilla, vt, quid sibi velit Grotius, vix, ac ne vix quidem, intelligas.

(g) *P.* I. *p.* 492. sq.

(h) Arminianorum duorum hac de re disputatio, in consensum tamen de inuocando SPIRITV SANCTO desinens, occurrit in *Praestantium virorum Epistolis theologicis p.* 733. 735. & 736. editionis primae.

num vniuersum. Quam clarum enim ac perspicuum est, precandum esse eum, a quo gratiam & pacem aeternam exspectare nos iubet Ioannes noster! Annon idem praecipit hoc ipso CHRISTVS, cum credi & baptizari vult in SPIRITVM SANCTVM non minus, quam in se & PATREM? Quam in PATREM, FILIVM, & SPIRITVM SANCTVM fidem & fiduciam, adorationis atque inuocationis genitricem, etiam Apostolus 2. *Cor.* XIII. 13. inesse in Christianis debere, docet. Quapropter merito festis hisce diebus cantica quaedam ecclesiastica preces continent tota ad SPIRITVM SANCTVM directas: quas non e piis labiis, sed etiam e pio corde (*Eph.* V. 19.) profluere optamus.

Postremo loco monendum ducimus, non licere nobis dictione hac Apocalyptica nostris in sermonibus, scriptis, canticis vti, vt pro SPIRITV SANCTO dicamus *septem Spiritus*. Relinquenda est Ioanni & huic eius (i) libro mystica haec φϱάσις & emblematica: qua nec ipse caeteris suis in scriptis vsus est, hoc ipso nos docens, extra scripturam Apocalypticam non esse ita loquendum.

Finimus hanc de SEPTEM SPIRITIBVS Apocalypticis commentationem, & ad vos conuertimus sermonem, CIVES *amantissimi*. Estis vos

(i) Alter locus occurrit *cap.* IV. 5. quem satis illustrat *Vitringa*: a quo non dissentiunt laudati supra *Lambertus* & *Conradus*.

vos omnes baptizati in nomen PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI, atque ita in gregem Chriſtianum recepti. Gratiſſimis animis agnoſcite inaeſtimabile hoc DEI beneficium, &, vt nunquam non ſitis veri germanique Chriſtiani ac beatitudinis candidati aeternae, SPIRITVS SANCTI admonitionibus ac ductibus praebete vos obſequentiſſimos. Qui non habet in ſe SPIRITVM SANCTVM, qui non eſt *homo ſpiritualis*, eum eſſe Chriſtianum, negat Paulus *Rom.* VIII. 9. *Gal.* VI. 1. & 1. *Cor.* II. 15. Noſtis, AMICI, ſcholas tum minores, tum maiores, tum maximas ſiue vniuerſales, appellitari *OFFICINAS SPIRITVS SANCTI.* In his igitur regi pectora cum docentium, tum diſcentium, oportet ab hoc SPIRITV, eius ſubeſſe imperio & regimini. Talibus in officinis doctorum non ſolum lux eruditionis lucet, verum etiam lux pietatis. Quamvis occaſionem hi ſuis in praelectionibus arripiunt, ad ſtudium virtutis ſiue pietatis, ſtudiorum omnium longe nobiliſſimum, auditores exhortandi, ac omnium ipſi virtutum exempla iis praeeunt. Oſtendunt lucide, ſe nec gloriae animalcula, nec auaritiae vel turpis voluptatis eſſe mancipia. Duas bonus hortus Academicus habet inſignes arbores, alteram *ſcientiae*, alteram *vitae*. Vtraque alteri eſt coniunctiſſima: nec prior ſola Academicis eſſe in amore debet, ſed vtriusque fructus ſunt appetendi. Quam miſera enim ſcientia, qua vtuntur & fruuntur, quibus vera vita, vita ſcilicet ſpirituali vitaque aeterna, carendum eſt! Haec, quaeſumus, cogitate etiam at-

cf. Danhawer Paraeneſi, extremis Hodoſoph. Christiana pagina 1506, 1507.

que etiam, in idque incumbite toto pectore, vt Studiosi vtroque nomine vocari possitis, hoc est, & scientiae solidae & pietatis sincerae cultores strenuissimi. Allicit vos ad se (quod Herculi accidisse fabulati sunt veteres,) hinc Impietas, hostis vestra blandiens & Sirenis similis, illinc Pietas, amica vestra amoris verissimi sincerissimique. Vtra, quam audiatis, quam sequamini ducem, digna sit, non opus vobis est deliberatione longiori. Tantum rumpite vincula prauorum affectuum, & cum rationis, tum revelationis, praeceptis praestate obedientiam. Arduus est hic labor, fatemur. Sed bonam voluntatem dabit vobis & corroborabit, ac viribus vincendi irrationales & a DEO vetitos appetitus instruet vos SPIRITVS SANCTVS. Huius auxilium implorate, ad exaudiendas has preces, ad implenda odio vitiorum & amore virtutis pectora nostra, paratissimi. Transigite piis meditationibus piisque precibus triduum hoc sacrum, & publicis quoque in concionibus cum audiendo, tum preces & cantica fundendo, demonstrate, *officinas Spiritus sancti* esse vestras animas. Nos quidem DEVM precamur assidue, vt (*) *gratia Domini nostri, IESV CHRISTI, & caritas DEI, & communicatio SPIRITVS SANCTI, sit cum vobis omnibus. AMEN.*

P. P. primo die Pentecostes cIↃ IↃ CCLI.

(*) 2. *Corinth.* XIII. 13.

XIX.
PROGRAMMA (a)
AD VERBA PAVLI
ROM. IV. 25.

D. G.

Redeunt festi illi dies, CIVES CARISSIMI, quibus inde ab aeuo Apostolico recoli publicis in concionibus solet resurrectionis CHRISTI memoria. Est haec resurrectio non solum viua quasi vox, qua docemur, & ita, vt dubitationis relinquatur (a) nihil, perdocemur, CHRISTVM vere dixisse ad Iudaeos, esse se DEI FILIVM, adeoque certissimum ducem ad felicitatem aeternam; sed est etiam ἐνέχυρον (b) τῆς ἀναστάσεως ἡμῶν, *pignus nostrae resurrectionis*: cum victor hic mortis ita omnes alloquatur (c) sibi toto pectore addictos: Ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε. Vtrumque hoc argumentum hoc tempore pertractant publici doctores ecclesiae, exhibentes auditoribus illa sacri codicis loca, quibus vel CHRISTVS ipse vel eius Apostoli de hac resurrectione loquuntur, atque iis pie docteque vtentes (d) πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπα-

(a) Nomine Academiae editum.

(a) Hoc sibi vult Paulus *Rom. I.* 4. vocans IESVM τὸν ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν.

(b) Ita Theodoritus loquitur ad *Rom. VIII.* 11.

(c) *Ioan. XIV.* 19.

(d) 2. *Tim. III.* 16.

ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν, πρὸς (e) παράκλησιν. Primo enim luce meridiana clarius faciendum, rediisse in vitam IESVM nostrum ac coelum repetiisse, nostramque proinde in eum fidem esse & iustissimam & firmissimam, eique superstructam fundamento, quod qui euertere conetur, gigantum illorum stoliditatem aequare dicendus sit, quos poëtae narrant ipsi coelo bellum inferre ausos esse. Deinde iusto argumentorum pondere sunt prosternendi, qui vetus illud procerum Iudaeorum (f) exemplum secuti inter falsas fabulas referunt omnem de resurrectione CHRISTI historiam: quos inter nostra hac aetate principatum insaniae tenuisse constat Woolstonum. Tum denique a morte spirituali excitandi sunt impii professores religionis Christianae, iisque proponendus CHRISTVS tanquam iudex futurus humani generis, & immorigeros suos cives poena persecuturus nunquam finienda: illos e contrario, qui in hac vita resurrexerunt spiritualiter, & quos nouos homines fecit vera fides veraque pietas, extremo mundi die resuscitaturus ad beatitudinem aeternam.

Illa inter loca, quibus consideranda nobis proponitur resurrectio CHRISTI, visus est ille Theologis obscurior, quo Paulus ad Romanos Christianos scribens *cap. IV. 25.* a DEO Iesum *traditum fuisse* ait *propter peccata nostra, & resuscitatum propter nostri iustificationem.* Παρεδόθη, in-

(e) *Rom. XV. 4.*
(f) *Matth. XXVIII. 11. sqq.*

inquit, *διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἐγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.* Facile apparet causſa, cur intentiores hic locus in ſe conuerterit Theologorum oculos. Scilicet peccata noſtra eſſe cauſam, cur Filius DEI mortem ſubiret, & hanc mortem eſſe λύτρον pro peccatis noſtris, huiusque adeo mortis merito accipere nos remiſſionem peccatorum, docet ſacer codex verbis clariſſimis locisque plurimis: at, ob reſurrectionem CHRISTI nos iuſtificari, ſiue *ad iuſtificationem noſtri reſuſcitatum eſſe* CHRISTVM, ſingularis eſſe videtur doctrina huius loci, eoque admiratione dignior, quod noſter apoſtolus non ita loquitur alibi, ſed ſoli morti CHRISTI hanc vim, hoc meritum tribuere ſolet. Alia eius loca, quibus ita docet, vt praetereamus, ſtatim in proxime ſequenti huius epiſtolae capite v. 9. ſcribit, *nos iuſtificari* ἐν τῷ ἁίματι ἀυτοῦ, & *v.* 10. nos gratiam DEI, qua peccatores excideramus, recepiſſe διὰ τοῦ θανάτȣ τοῦ ὑιοῦ ἀυτοῦ.

Quid igitur ſibi velit apoſtolus, cum τὴν δικαίωσιν noſtri reſurrectioni CHRISTI tribuit, certe tribuere videtur, cum circumſpicerent Theologi, permultis eorum neceſſe viſum fuit ſtatuere, Paulum non loqui de δικαιώσει DEI tanquam iudicis, qua propter ſatisfactionem a Filio praeſtitam homini ſua peccata remittit, ſed de δικαιώσει (g) Spiritus ſancti tanquam medici, qua

(g) Hoc ſenſu verbum δικαιοῦν occurrit *Apoc. XXII.* 11. & 1. *Cor. VI.* 11. & *Tit. III.* 7. Agnoſcit hunc

qua impios reddit pios, morbisque mentis magis magisque liberatos veris induit virtutibus: vt ita Paulus hoc loco cum iustificatione sanctificationem (h) coniungat. Placet haec interpretatio non modo Socinianis & (i) Pontificiis, sed multis etiam melioris notae Theologis. Iam Martinus (k) Bucerus hunc sensum apostolo nostro tribuit, *Mori*, inquiens, *eum oportuit, vt indignatio* DEI *a nobis submoueretur: resurgere vero, vt per Spiritum eius ad imaginem ipsius continuo reformaremur, hoc est,* (l) *iustificaremur.* Hunc eun-

hunc sensum etiam Heerbrandus in *Compendio* suo *Theologiae*, & quidem in quaestione prima *Loci de Iustificatione.*

(h) Eadem coniunctio occurrit *Psal.* LIII. 3: *Qui condonat omnes iniquitates tuas, & medetur omnibus morbis tuis.* Etiam versui quarto *Psalmi* LI. hunc sensum tribuit Lutherus *T. IV. Operum Lat. Ien. f.* 381. *b.*

(i) E. g. Andradio apud Chemnitium *Exam. Conc. Trid. P.* I. *L.* VIII. *Sect.* IV. §. 12; Bellarmino *lib.* II. *de iustificatione cap.* 6. Aliter tamen ac melius interpretatos hunc locum Pontificios aliquot producit Gerhardus *Conf. Cathol. lib* II. *P.* III, *artic.* XXXIII. cap. 4 p 1497. Adiungimus Theologum saeculi noni, Remigium, cuius *Explanationes Epistolarum Pauli* Moguntiae 1614. editae sunt. Hic ita παραφράζει locum nostrum: *Traditus est propter iustificationem nostram, vt, dum credimus, eum passum pro nostra salute, & resurrexisse a mortuis, per hanc fidem iustificari mereamur.*

(k) In *Comment. ad Ioannis Euangelium f.* 101. *a.*

(l) Manifestum est, verbum *iustificare* hic vsurpari a Bucero non sensu iudiciali siue forensi, sed ethico, vt

eundem ſenſum Paulo tribuit in *Paraphraſi* ſua Erasmus, ita loquentem inducens apoſtolum: *Reuixit Chriſtus, vt reſuſcitati in nouam vitam deinceps viuamus iuſtitiae.* Atque etiam Hammondo haec placuit interpretatio: qui tamen hoc ſimul ſibi velle putat apoſtolum, CHRISTVM *ideo reſurrexiſſe, vt viam nobis ad coeleſtem vitam aperiret, & nos reſuſcitationis corporum noſtrorum olim futurae certiores faceret.* Quid? Zeltnerus, ſanctificationem quoque hic loci vna cum iuſtificatione reſpici a Paulo exiſtimat, ita in *Bibliis Altorfinis* eius verba interpretatus: Er iſt zu unſerer Rechtfertigung auferſtanden, ſie nemlich zu erwerben, zu ſchencken, und in einer neuen Lebens-Kraft mitzutheilen.

Ac ſane videri facile poſſunt ii, qui τὴν δικαίωσιν loci noſtri de ſanctificatione ſiue renouatione capiunt, dicique putant, CHRISTVM ideo

vt ſignificet *ſanctificationem.* Sancti enim piique cum ſacro in codice etiam appellitentur *iuſti*, ſanctificatio etiam vocari poteſt *iuſtificatio.* Verum hoc ſenſu *iuſtificatio* perraro dicitur a Theologis. Auguſtinus ita vſus eſt verbo *iuſtificare lib.* XXI. *de ciuitate* DEI *cap.* 16. & 27. imo & Lutherus noſter in Tomo quarto *Operum Lat. Ien. f.* 381. *b.* editionis anni 1570. *Duae ſunt*, inquit, *partes iuſtificationis. Prior eſt gratia per Chriſtum reuelata, quod per Chriſtum habeamus placatum Deum, vt peccatum amplius non poſſit nos accuſare, ſed conſcientia fiducia miſericordiae Dei ſit reducta in ſecuritatem. Poſterior eſt donatio Spiritus ſancti cum donis ſuis, — vt corpus noſtrum & concupiſcentiae frangantur, ne eis obediamus.*

ideo reſurrexiſſe, vt nos e morte peccati reſurgentes, nouamque vitam viuentes, olim reſurgamus ad vitam aeternam, vera eſſe in ſententia, Apoſtolus enim noſter ipſe hoc argumentum diligenter pertractat in ſexto huius ipſius epiſtolae capite. *Vti* CHRISTVS, inquit *v.* 4. *reſuſcitatus eſt e mortuis, ſic & nos oportet nouam vitam viuere, & (v. 5.) reſurrectione hac eum imitari. Vti* CHRISTVS *& mortuus eſt & reſurrexit*, (ita *v. 10.* pergit,) *ſic & nos peccato mori debemus*, DEO *viuere.* Quo minus tamen noſtrum locum capiamus hoc ſenſu, obſtant verba proxime (*cap. V. 1.*) ſubiuncta: quibus docet Paulus, illa de (m) *δικαιώσει, iuſtificatione*, ſe loqui, quae iudicialis eſt, quaque DEVS eis hominibus peccata remittit, atque eos in gratiam recipit, qui CHRISTVM fide accipiunt tanquam ſatisfactorem ſuum & DEI ſuis peccatis offenſi propitiatorem. *Nunc*, inquit, *iuſtificati ſumus* ἐκ πίστεως. Quam ſententiam vberius expoſuit paulo ante, ſcribens *cap. III.* 24. nos ſine noſtro merito *iuſtificari* διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, nec (*v.* 25. 26.) aliam eſſe noſtri iuſtificationem, niſi ἐν τῷ

(m) Verbum δικαιόω hoc ſenſu eſſe ſacri codicis proprium, nec ita vſurpari a profanis auctoribus, obſeruarunt Critici ſacri, Gatakerus *libri de ſtylo N. T. cap.* VIII. Suicerus *Theſ. eccl. T.* I. *p.* 916. Olearius *lib. de ſtylo N. T. p.* 109. ſqq. editionis Schwerzianae, Verpoortennius in *Primitiis Gedan. p.* 31. ſqq. qui & aliquem Aeſchyli locum, in quo reperiſſe ſibi videbantur Pfochenìani quidam ſenſum Biblicum, eruditiſſime interpretatur, eorumque errorem coarguit manifeſte.

τῷ αὐτοῦ αἵματι fide apprehenso: id quod rursus nostri quarti in capitis versu quinto docet tribusque subsequentibus.

Apparet hinc lucidissime, non de alia iustificatione eo loco, quem contemplamur, loqui Paulum, quam de iudiciali illa: idque agnoscunt Theologi nostrae ecclesiae communiter. Quare nunc circumspiciendum, quis sit sensus horum verborum: ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Breviter dixerunt suam sententiam quidam nostrorum Theologorum principum, quorum verba audiemus. Chemnitius (n) doceri ait a Paulo, Patrem resuscitatione Filii ostendisse, se satisfactionem Filii pro nobis mortui acceptasse. Si enim, inquit, Pater in morte reliquisset filium, inde cognosceretur, non acceptasse ipsum satisfactionem pro nobis, nec haberemus propter Christum remissionem peccatorum. AEgidius Hunnius in suo *in Epistolam ad Romanos Commentario* (o) leuiter tractauit hunc locum, nec, vt clara eum in luce collocaret, negotium sibi dedit. Fortasse nec omnes ei assenserint, hoc loco *circa causam iustificationis coniungi passionem & resurrectionem* CHRISTI. Certe Calouius (p) negat, CHRISTVM sua resurrectione meruisse nobis iustitiam. Rectius hoc adiicit Hunnius: *Etsi mors* CHRISTI *suffi-*

(n) *Exam. Conc. Trid. P.* I. *L.* VIII. *Sect.* IV. §. 12. 13. 14.
(o) *P.* 189.
(p) In *Bibliis illustratis* ad h. l.

sufficientissimum fuit λύτρον, *tamen per resurrectionem innotuit & declaratum est, quod peccatum, Satanam, & mortem deuicerit. Qui si non resurrexisset, manifestum fuisset indicium, eum mortem non vicisse.* Gerhardus (q) ait, hoc loco agi *de merito & passionis & resurrectionis* CHRISTI, *distincteque morti eius peccatorum nostrorum expiationem adscribi, resurrectioni eius nostram iustificationem, non quod a merito iustificationis mors* CHRISTI *sit exclusa, sed quia mors* CHRISTI *ad iustitiam acquirendam nobisque applicandam otiosa fuisset, nisi victor ex mortuis resurrexisset.* Danhauerus (r) scribit, CHRISTVM *e mortuis excitatum esse propter iustificationem nostri & asserendam & conferendam: & asserendam quidem, quia sponsore nostro e sepulcri carcere educto dubitari non possit de satisfactione praestita; conferendam vero, quia ideo resurrexit & ad coelos adscendit, vt bona a se parta dispensaret fidelibus.* Calouius in *Bibliis illustratis* ita hunc locum (s) interpretatur: *resuscitationem* CHRISTI *esse documentum infallibile plenissimae satisfactionis*

(q) in Loco *de iustificatione* §. 232.
(r) *Hodosophiae* p. 862.
(s) Hic etiam scribens, *Paulum non dicere* propter iustitiam nostram, *sed* propter iustificationem nostram, tacite notat versionem Lutheri: Er ist um unserer Gerechtigkeit willen auferwecket. Verum excusari potest Lutherus. Primo enim & ipsi perobscurus erat hic locus, miranti, resurrectioni CHRISTI tribui iustificationem hominum. Deinde, quod fit ad iustificationem nostri, recte etiam dicetur fieri ad iustitiam nobis conferendam.

nis CHRISTI: *quae si facta non esset*, DEVS *eum non resuscitasset.* Quae eadem est Ioach. Langii interpretatio in suo *Vrim & Thummim.*

Videmus, magnos hos Theologos iusto breuius explanasse locum Paulinum, nec satis magnam nauasse operam, vt eum plena perfunderent luce exegetica. Superest igitur, vt ἀποδείξει quadam exegetica omni dubitationi rima obstruatur. Quo labore cum abstinuerint superioris aetatis Theologi, minus mirum, non ita pridem Beausobrium, Theologum Berolinensem, cum nouam huius epistolae conficeret versionem Gallicam, annotationibus ornatam exegeticis, aliam ingressum esse viam ad tollendam huius loci obscuritatem. Opinatur (t) namque, *iustificare* hic loci non esse aliud, quam *dare iustis promissum praemium. hoc est, vitam aeternam. Hoc enim*, inquit, *est opus potentiae* CHRISTI *e morte resuscitati.* Quo pacto sensus huius loci hic foret, IESVM esse resuscitatum, vt pii accipiant ius consequendi vitam aeternam, & ad eam decursa hac vita perueniant. Verum hoc est vim adhibere verbo *iustificationis*, & ob id solum a communi Theologorum interpretatione huius verbi audacissime recedere, vt commodum aliquem sensum tribuere possis loco huic Paulino. Quanto laudabilius fecisset vir alioqui doctissimus,

(t) in *annot.* ad h. l. itemque in Praefatione ad hanc *Epistolam* §. 25 & 27. Videatur etiam interpretatio anonymi cuiusdam in Kohlii *Nouis literariis anni* 1748 *p.* 458. sq.

ſi prorſus abſtinens huius loci interpretatione docuiſſet ingenue, ſe ſenſum eius non aſſequi, nec aliorum in ſcriptis deprehendiſſe luculentam eius expoſitionem! Grotius certe, quem ſemper ob oculos habebat Beauſobrius, infeliciſſimus fuerat huius loci interpres, eumque iam refutarat Calouius: quare nec ducem ſequebatur hic Grotium Beauſobrius. Non magis perſpicuus erat hic locus Cocceio, quippe qui in ſuo ad hunc locum commentario non interpretem ſe praebuit, ſed declamatorem homileticum. En verba eius: *Iuſtitiae morte* CHRISTI *partae effectus eſt reſurrectio, quae ſpectat ad iuſtificationem credentium. Eſt igitur* CHRISTI *reſurrectio 1. teſtimonium iuſtitiae ipſius, 2. teſtimonium traditionis ipſius in mortem propter lapſus noſtros, 3. teſtimonium iuſtitiae nobis impetratae, 4. medium fidei noſtrae ac regenerationis, 5. medium ſpei noſtrae.* Non ita multo poſt ita pergit: *Per reſuſcitationem* CHRISTI *iuſtificamur, hoc eſt, perfecte abſoluimur a reatu & declaramur iuſti ſiue heredes vitae aeternae.* Hoc profecto non eſt interpretari hunc locum, ſed lectores ſuos maiori obſcuritati immergere.

Nobis quidem non ita difficile videtur aſſequi verum horum Pauli verborum ſenſum, modo duo vitentur peccata hermeneutica, a quibus qui ſibi non cauent, veram huius loci ſententiam inueſtigare claramque in lucem proferre fruſtra conabuntur. Iam vero interpretes modo memorati vtriusque illius peccati reos deprehendimus.

dimus. Primo videlicet verba iſta Pauli interpretari aggreſſi ſunt extra contextum, non obſervantes, verſus huius vigeſimi quinti interpretationem deduci oportere ex interpretatione verſus proxime praemiſſi. Atqui huius verſus vigeſimi quarti interpretatione ſecure abſtinuerunt, rati, eum ſatis eſſe clarum nec vlla indigere illuſtratione. Deinde, quod e priori errore fluebat, non agnouerunt, eam eſſe verſus vigeſimi quinti relationem ad vigeſimum quartum, vt hic principium ſiue primariam propoſitionem contineat, ex qua altera, quam verſus vigeſimus quintus exhibet, deducatur tanquam concluſio. Concluſionem itaque cum ſuo principio non connectentes, ſed eam habentes pro propoſitione quadam primaria & independenti, non potuerunt verum ac plenum eius ſenſum in apricum deducere.

Age igitur inquiramus, quid ſibi velit Apoſtolus, cum *v. 24.* non dicit, (vti in ſuperioris capitis *v. 22. 25. & 26.* dixerat,) credendum eſſe in CHRISTVM, ſi quis iuſtificari cupiat, ſed *in eum credi oportere, qui* IESVM *reſuſcitauit.* Quam facile intelligitur, non ſine graui cauſa ita loqui apoſtolum! Quae vero poteſt alia cauſa eſſe, quam haec, quod indicare vult, cur credendum ſit in IESVM? Propterea ſcilicet in eum credendum eſſe docet, quod non manſit in morte, ſed reſuſcitatus eſt. Iam vero reſuſcitare mortuos ſolius DEI eſt. Ergo a DEO (u) reſuſcita-

(u) DEVS *Ieſum reſuſcitauit* διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, inquit, noſter 1. *Cor.* VI. 14. id eſt, per potentiam,

ſcitatus eſt IESVS. Quod ſi DEVS eum reſuſcitauit, imo cum DEVS eum reſuſcitarit, reſuſcitatio haec eſt vox realis, qua DEVS exclamauit: Hic eſt filius meus, quem audiri & in quem credi volo. Proinde qui in DEVM credit, non poteſt non credere etiam in IESVM, τὸν ὁρισθέντα (*demonſtratum*) υἱὸν Θεοῦ ἐξ ἀναστάσεως, vti loquitur noſter apoſtolus in ipſo huius epiſtolae (x) exordio.

Hinc iam *v. 25.* ex eo, quod a DEO reſuſcitatus eſt IESVS, concludit Paulus concludique a nobis vult, nec moriturum fuiſſe IESVM, niſi id fieri voluiſſet DEVS: DEVM itaque decreto miſericordiſſimo filium ſuum pro nobis morti tradidiſſe, & mortem hanc virtute pollere afferendi nobis τὴν δικαίωσιν ſiue remiſſionem peccatorum reditumque in DEI gratiam. Minime enim, cum ſcribit, IESVM διὰ (y) τὴν δικαίωσιν ἡμῶν reſuſcitatum eſſe, negat, διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν (*vt iuſtificemur,*) mortuum eſſe. Imo vero qui ait, eum eſſe mortuum διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, annon id ipſum dicit, eum διὰ τὴν δικαίωσιν

tiam, quam ſolus habet: quod idem hiſce verbis dixit *Rom.* VI 4: ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. Quem poſteriorem locum optime illuſtrauit Grotius.

(x) *Cap.* I. 4.

(y) Verbulum διὰ hoc loco ſignare cauſam finalem, pro conceſſo habemus, idque etiam Glaſſius docet in *Philol. ſacrae lib.* III. *tract.* VI. *can.* 9. p. 1045. Recte igitur Beza vertit: *ad iuſtificationem noſtri.* Nec alio ſenſu capiunt hanc voculam ii, qui locum noſtrum de ſanctificatione interpretati ſunt.

σιν ἡμῶν mortuum eſſe? Mori enim διὰ τὰ παραπτώματα hominum eſt mori ad conſequendam iis remiſſionem peccatorum: nec aliud eſt mori διὰ τὴν δικαίωσιν hominum, quam morte ſua iis remiſſionem peccatorum acquirere. Ex quo ſequitur, Paulum, cum dicit, IESVM διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν reſuſcitatum eſſe, nihil aliud docere, quam mortem eius non potuiſſe mortem eſſe iuſtificatoriam, niſi reſurrexiſſet, ac, morte ſua nos iuſtificari, reſurrectione demonſtraſſet. Quod ſi enim non reſurrexiſſet, manifeſtum fuisſet, eum mentitum eſſe, cum DEI dixit ſe eſſe filium, adeoque mors eius haudquaquam fuiſſet expiatoria: vt Paulus noſter diſerte ſcribit *1. Cor. XV. 17.* Cum vero eſſet filius DEI, id reſurrectione ſua debebat manifeſtum facere. Ac ipſe ante ſuam mortem dixerat, ſe id hoc modo demonſtraturum eſſe, *Ioan. X. 17. 18.* & *II. 19.* ac rurſus poſt reſurrectionem dixit, ſe id hoc modo demonſtraſſe, *Apoc. I. 18.* Nec aliud ſibi volebat Paulus, cum ita *Rom VIII. 34.* ſcriberet: Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς· itemque cum Iudaeos Theſſalonicenſes *Act. XVII. 3.* doceret, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν.

His ita expoſitis facile erit iuſtam exhibere vtriusque verſus *(v. 24. & 25.) paraphraſin.* En eam! *Iuſtificabimur remiſſionemque peccatorum & gratiam* DEI *conſequemur, ſi in eum credemus, qui* IESVM *reſuſcitauit e mortuis, hoc eſt, in* DEVM, *cuius ſolius potentia mortuo* IESV *vita reddi*

reddi potuit. DEVS *itaque, qui eum resuscitavit, erat is, qui eum ad expianda peccata nostra mori volebat, & qui postea ad demonstrandam vim huius mortis expiatoriam eum reuocabat in vitam.*

Habetis nunc CIVES, veram & plenam illustris huius (z) Paulini loci sententiam, cognoscitisque clarissime, e resurrectione CHRISTI inuictum peti argumentum ad demonstrandum, non aliam, quam Christianam, religionem esse veram & salutiferam. Cauete vero, ne hic acquiescatis, putantes, qui CHRISTVM agnoscant FILIVM DEI & agnum illum, qui peccata totius mundi tulit abstulitque, eos etiam sine sanctitatis studio veros esse Christianos & candidatos aeternae beatitudinis. Imo vero & hac mente *μνημονεύετε (2. Tim. II. 8.)* Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, vt cogitetis, eum a DEO factum esse nobis non solum ἀπολύτρωσιν, sed etiam ἁγιασμόν. Agnoscite verba Pauli *1. Cor. I. 30.* qui & Titum suum assidue docere (a) iubet, CHRISTVM pro nobis mortuum esse, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Haec est prima resurrectio, resurrectio spiritualis e morte peccati: quam fieri a vobis oportet, si secun-

(z) Dignum memoratu, vocari hunc locum Pauli a Luthero *primum & principalem articulum Christianae fidei* in exordio Partis secundae *Articulorum Smalcaldicorum.*

(a) *Tit.* II. 14.

secundam appetitis resurrectionem, resurrectionem ad vitam felicitatemque aeternam. Cum igitur tanto erga vos exarserit amore CHRISTVS, vt pro salute vestra mortem subiret, vicissim eum amate, & cogitate, omni supplicio dignum esse, qui tantum sui amatorem, tantum suum εὐεργέτην, non redamet. Cogitate item stolidissimum esse & bonae mentis inopem sibique ipsum inimicissimum, qui CHRISTVM non amet, vnicum illum ab aeterna peccatorum poena liberatorem. Cogitantes hoc & saepe multumque expendentes amabitis certe eum & summum vestrum bonum agnoscetis. Qui autem eum amat, non potest non eius voluntati parere, &, quascunque is virtutes coli iussit, ardentissimo colere studio. Hosce igitur per dies inflammamini, quaesumus, amore FILII DEI, seruatoris & salvatoris vestri, hoc est, per quem consequuntur credentes in ipsum non solum remissionem peccatorum & poenae, verum etiam vitae aeternae beatitatem perfectissimam. Totos iam vos addicentes ei, totoque pectore in id incumbentes, vt amoris erga eum vestri documenta edatis perpetuo erga ipsius praecepta obsequio, tum demum credite, rite vos celebrare Pascha siue memoriam resurrectionis eius.

P. P. dierum Paschalium primo cIↃ IↃ CCXLVIII.

XX.
PROGRAMMA (a)
DE
PARENTHESI MESSIANA
IEREM. XXIII. 5. 6.

D. G.

Redit, CIVES lectiſſimi dilectiſſimique, concelebrandum cum vniuerſa eccleſia triduum illud, quo promiſſi inde a mundi initio Meſſiae natiuitas, tanquam ſolis ortus maximi, ſubiicitur oculis noſtris, & pietas noſtra accenditur ad IESVM CHRISTVM, vnum illum ad aeternam beatitatem ducem, demiſſiſſime colendum, ad vtraque manu amplexandum, ad pia fide per omnem vitam tenendum firmiſſime. Audietis per hos dies doctores eccleſiarum certatim praedicantes ſummum hoc coeli beneficium, vosque gratiſſimis argumentis exſtimulantes ad praeſtandum ei obſequium, ad eius exemplum vitae ſequendum, a quo magnificum geritis nomen CHRISTIANORVM.

Nos quoque ex more piam praeituri vobis ſumus meditationem de praecipuo quodam vaticinio, quo poſteritas Abrahami in ſpe confirmabatur, certiſſime adfuturum illum regem, qui tanto

(a) Nomine Academiae ſcriptum.

tanto maius regno Dauidico regnum ſit conditurus & ad finem vsque mundi recturus, quanto maius eſt imperium in mentes imperio in corpora, quantoque longius differt huius regis immortalitas regnique perpetuitas a prioris aetate & breui regni ſpatio. Effluxit hoc vaticinium ex ore IEREMIAE, & quidem bis effluxit, vt ſcilicet animis legentium audientiumue infigeretur altius. Primum exhibetur *cap. XXIII. 5. 6.* his Latine loquentium verbis:

> *Ecce, veniet tempus, dicit DEVS, quo excitabo Dauidi germen iuſtum, regnabitque rex, & proſpero ſucceſſu rem geret, atque iuſtum exercebit iudicium in mundo. Eius tempore beatus erit Iuda, & Iſrael habitabit expers timoris, & hoc nomen eſt eius, quo* (eum) *vocabit: IEHOVA, IVSTITIA NOSTRA.*

Alterius loci *cap. XXXIII. 14. 15. 16.* haec ſunt verba:

> *Ecce, veniet tempus, dicit DEVS, quo exhibebo bonum illud, quod pollicitus ſum domui Iſraelis & domui Iudae. Tempore illo faciam, vt progerminet Dauidi germen iuſtitiae, & exercebit* (hic Dauidis filius) *iuſtum iudicium in mundo. Illo tempore beatus erit Iuda, & ciues Hieroſolymae habitabunt in ſumma tranquillitate, & nominabitur IEHOVA, IVSTITIA NOSTRA.*

Germen Dauidis iuſtum appellatur hic CHRISTVS, hoc eſt, progenies ſanctiſſima, quippe

ſanctitate conſpicuus perfectiſſima. Non enim erat naſcendus ita, vt reliqui Dauidis poſteri, peccatoris patris futurus peccator filius; ſed Spiritus ſanctus virginem Dauidicae ſtirpis erat facturus matrem, τὸ γεννώμενον vt ἅγιον eſſet: quae ſunt verba natiuitatem CHRISTI huic virgini annuntiantis angeli *Lucae I. 35.* Hoc germen cum Graecis in Bibliis ἀνατολὴ vocatur, ne credatis, dici aliud. Non *orientem ſolem* hic intelligi volebant Alexandrini interpretes: id quod cum Hieronymo crediderunt complures; ſed Hebraeum צמח appellabant & hic & aliis locis ἀνατολήν. Docuit doctiſſime Sixtinus ab Amama in *Antibarbari Biblici libro quarto p.* 723. lingua helleniſtica, hoc eſt, Iudaeorum Graece loquentium propria, ἀνατολὴν vocari *germen*, adeoque vitii non oportere accuſari iſtam verſionem. Ac ſimilis locus occurrit *Marci IV.* 5. vbi de ſemine terrae immiſſo dicitur: εὐθέως ἐξανέτειλε, *ſtatim progerminauit*: ſimilior *Hebr. VII.* 14: Ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν, *e Iuda prognatus eſt CHRISTVS.*

Nomen, quo germen hoc Dauidis appellare, quod Meſſiae acclamare iubet DEVS, hoc eſt: *IEHOVA, IVSTITIA NOSTRA.* En veram & perſpicuam & plenam deſcriptionem Meſſiae! Noſſe vis eſſentiam eius? DEVS eſt ſiue IEHOVA. Vis noſſe beneficium eius in eccleſiam? Eſt *iuſtitia noſtra.* Eſt autem CHRISTVS duobus modis noſtra iuſtitia: primum remiſſionem peccatorum noſtrorum a Patre ſuo nobis impe-

petrando ſatisfactione; deinde Spiritus ſui influxu nos magis magisque faciendo ſanctos & iuſtos ſibique ſimiles. Nobis quidem Chriſtianis non eſt noua haec doctrina, edoctis a Ioanne *cap. I.* 1. CHRISTVM non ſolum eſſe DEI filium, ſed ipſum eſſe DEVM; edoctis a Paulo *Rom. IX.* 5. habere quidem CHRISTVM humanam naturam, ſed eſſe ſimul DEVM in omne aeuum colendum; edoctis ab eodem apoſtolo *1. Cor. I.* 30. factum eſſe nobis a DEO CHRISTVM *iuſtitiam*, *δικαιοσύνην καὶ ἁγιασμὸν καὶ ἀπολύτρωσιν.* At Iudaeos haec prophetici verbi ſimplicitas tam vehementer (a) offendit, vt non dubitarent ei affingere modo hunc, modo alium ſenſum, ita ſcilicet ſecum dicentes: Si Meſſias eſt Iehoua, quomodo eſſe poteſt Dauidis progenies? nec magis, quam commemorati *Matth XXII.* 45. 46. Phariſaei, habentes, quod ſapienter reſponderent.

Operae etiam pretium fuerit, contemplari verba huic Meſſiae nomini praemiſſa. Et priore quidem loco ſic ait propheta: וזה־שמו אשר־ יקראו, *& hoc eſt nomen eius, quo vocabit eum.* Ellipſis hic conſpicua duobus ſuppleri poteſt modis. Nam primo imperſonaliter ita loqui ſolent He-

(a) Iniurias ab Iudaeis huic loco illatas recenſet breuiter Pfeiferus in *Dubiis vexatis p.* 755. copioſius Friſchmuthus in *Diſp.* ad h. l. 1669. edita *cap. I.* §. 18. vsque ad 24. Mirum, a theologo quopiam noſtrate, anonymo quidem illo, inflatam fuiſſe tibiam hanc Iudaicam in *Diario theologico Loeſcheriano* anni 1737. *p.* 524.

Hebraei: quem ſenſum ſecutus Lutherus reddidit: man wird ihn nennen. Deinde reuocari huc poteſt nomen *Iſraël*, *quo nomine vocabit eum Iſraël.* Ac poſterior haec interpretatio magis placet (b) Glaſſio & Ioanni (c) Marckio: qui & Ioſuae Placaei verba producit ſubtiliter propugnantis hanc ſententiam. Alter vero locus plus habet obſcuritatis, haec verba exhibens: וזה־אשר־יקרא־לה. Vetus ille interpres ſecurius reddidit: *Et hoc eſt nomen*, *quod* (id eſt, *quo*) *vocabunt eum.* Glasſius *p.* 156 approbat Heluici interpretationem: *Et iſte*, *qui conuocabit eam*, (Hieroſolymam,) *eſt Iehoua iuſtitia noſtra.* Poſtea tamen hic ſenſus ipſi praeplacet: *Et hoc eſt*, *quod praedicabitur illi*, (Hieroſolymae,) *Iehoua iuſtitia noſtra.* Quae ſententia & nobis (d) probatur, intuentibus illud *Ieſaiae XL.* 2: קראו אליה. *acclamate ipſi*, ſcilicet Hieroſolymae. Quare & noſtrum locum ita reddimus: *Et hoc eſt*, *quod acclamabitur illi*, Hieroſolymae. Hanc interpretationem etiam approbans Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis*, vltimis verbis hunc ſenſum tribuit haud incommode: **Man wird ihr (der Stadt Jeruſalem mit Freuden) zurufen: Der Herr, der unſere Gerechtigkeit**

(b) *Philol. ſacrae p.* 154. editionis anni 1705.

(c) *Faſciculi* 1725. editi *Diſſertationum ad ſelectos V. T. textus Exercit.* XXIII. §. XI. *p.* 798.

(d) Minus probabiles interpretationes proferunt Hottingerus *Theſ. philol. p.* 172. & Sixtinus ab Amama *Antibarbari Biblici lib.* IV. *p.* 736. & Pfeiferus *Dub. vex. p.* 756. Vid. & Dachſelii *Biblia Hebraica accentuata P.* II. *p.* 268. *ſqq.* & 293.

tigkeit ist, ist vorhanden, oder ist da. Nec indigna videtur, quae placeat, interpretatio (e) Frischmuthi & Ioach. Langii: *Et ille, qui praedicabit illi*, (Hierosolymae,) der ihr predigen wird, *est Dominus iustitia nostra.*

Restat, vt, quis Iuda & Israël, quae Hierosolyma, describatur in hoc vaticinio, intelligamus. Non proprio & vsitatiore sensu, sed mystico & spirituali, capienda esse haec nomina, communiter iudicatur, & iustissime iudicatur. Longe enim plures ethnicos, quam Iudaeos, ab apostolis in ouile CHRISTI traductos fuisse, imo spretis Euangelii spretoribus Iudaeis apostolos transiisse ad ethnicos, historia loquitur, & Paulus *Act. XIII.* 46. & *XXVIII.* 28. Christiani scilicet hic vocantur eo nomine, quod vetus DEI populus gesserat: qui cum populus DEI esse desiisset, nouus DEI populus, Christiana ecclesia, nouus fiebat Iuda, nouus Israël: qui cum in vaticinio nostro dicitur expers timoris habitaturus esse, siue victurus in summa tranquillitate, spiritualis etiam tranquillitas & ἀφοβία siue ἀταραξία significatur, *pax illa, quam cum DEO habemus per IESVM CHRISTVM, Rom. V.* 1. Quanquam nec excludenda videtur externa tranquillitas, qua frui contigit ecclesiae post translatum ad Christianos ciuile imperium, quamque excepturam esse persecutiones saeuissimas, praedixerat & promiserat ecclesiae suae CHRISTVS *Matth. V.* 5. Caeterum de nouo Israële, de Israële spiritua-

(e) *Disp.* laudatae *cap.* II. §. 18.

rituali, loqui prophetam nostrum, eo certius statuimus, quod Paulus *Rom. IX. 6. 7.* & *Gal. VI. 16.* credentes in CHRISTVM vocat *veros Israëlitas*, & Ioannes baptista *Matth. III. 9.* praedixit, aliis ex gentibus posteros habiturum illum credentium patriarcham, Abrahamum.

Contemplati sumus pro eo, ac nunc satis est, CHRISTVM in vaticinio Ieremiae, nec dubitare potuimus, quin hic exhibeatur nobis CHRISTVS. Est haec sententia Christianorum communis omnium, imo & Iudaeorum. *Hoc dictum omnes omnino Iudaei, quos videre mihi licuit, de Messia interpretantur*, inquit Frischmuthus in prooemio suae ad hoc vaticinium *Dissertationis.* Antea iam Vatablus in sua ad hunc locum annotatione ita scripserat: *Hunc locum de CHRISTO intelligunt omnes Hebraei.* Vnus a via tam trita recessit, & vniuersi interpretum gregis oculos configere ausus est Grotius, quippe qui videre hic sibi videbatur Zorobabelem. Accurate hanc eius ψευδερμηνείαν praeter notissimum ipsius censorem, Calouium, refutauit Bochartus in (f) *Hierozoico.* At neuter respexit erroris huius Grotiani fontem: quod si fecissent, aliquid hoc ipso ad excusandum magnum illum virum attulissent. Non enim is erat Grotius, qui impio animo aggrederetur dicta prophetarum peruertere, sed ipsa pietate stimulante (cui etiam debetur laudatissimus ille liber *de veritate religionis Christianae,*) legebat relegebatque scriptores

(f) *P. I. lib. II. cap. 17.*

res ſacros, eorumque ſenſa iuueſtigabat. Quid igitur, inquies, abduxit eum a vero vaticinii huius ſenſu, aliis interpretibus cognito perſpectoque omnibus? Reſpondemus haud dubii, Grotium ſibi ſequendam duxiſſe legem illam hermeneuticam, qua maximam habere rationem *contextus* iubentur interpretes. Iam vero & verſus quartus, antecedens hoc Ieremiae vaticinium, &, qui ſubſequuntur, verſus ſeptimus & octauus, loquuntur de reditu Iudaeorum e captiuitate Babylonica in ſuam patriam. Neceſſe igitur videbatur Grotio, verſus quintum ac ſextum capi de Zorobabele, Dauidicae familiae viro, rectore reuerſorum tum Iudaeorum. Viderunt autem caeteri interpretes acutius, longe auguſtiora, quae hic loci profert propheta, eſſe, quam vt in Zorobabelem conueniant: viderunt, de promiſſo e Dauidis familia Meſſia ſermonem hunc eſſe clariſſimum, ſolo quippe futuro rege totius mundi, ſolo illo, qui nominari poſſit Iehoua, iuſtitia eorum, qui in ipſum crediderint. Atque hoc & Ioanni Clerico, quem conſtat ſectatorem Grotii eſſe haud infrequentem, adeo manifeſtum videbatur, vt in ſuo *Commentario* ſine vlla haeſitatione doceret, vehementer erraſſe Grotium, nec poſſe de alio, quam de CHRISTO, duos hosce prophetae verſus intelligi.

Debebatur vero cum a Clerico, tum a caeteris interpretibus, dilui obiectio Grotii, vrgentis *contextum*, hoc eſt, connexionem huius vaticinii & cum antecedenti & cum ſubſequenti ſer-

mone. Nos ante, quam hoc officium praestare aggredimur, obseruamus, quod recentioris aeui interpretum nemo animaduertit, perdiu ante Grotium iam Grotianum illum errorem errasse Alexandrinos illos sacri codicis interpretes, quos *septuaginta* vocari moris est. Hos, *nomen eius* יהוה צדקנו reddentes τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωσεδέκ, respexisse Zorobabelem & summum sacerdotem Iosuam, filium Iozadaci, rectores populi reducis, animaduersum est Theodorito (vulgo *Theodoretum* vocant,) in suis ad hoc Ieremiae caput *Quaestionibus*. Certe Iosuae illius patrem, qui Hebraeo in codice vocari solet *Iozadak*, vbique locorum (g) appellant Ἰωσεδέκ. Iam cum nossent, nomen *Iozadak* vel Ἰωσεδὲκ esse compositum e יהוה & צדק, colligerentque e contextu, prophetam de hoc Iosua & Zorobabele loqui, putabant, obscure hos a Ieremia indicari: prophetico scilicet nomine, *Iehoua iustitia nostra*, describi Iozadakum, Iosuae patrem, ac patris nomine significari filium, Zorobabelis in regendo populo collegam. Qua in sententia eos confirmasse videtur locus *Zach. VI.* 11. 12. non satis intellectus. *Impudenter vero*, inquit Theodoritus, *haec ad Zorobabelem trahunt* (h) *Iudaei. Is enim non rex fuit*, *sed dux populi*, *nec fuit nominatus Iosedek*. Nec tamen in totum falsam esse hanc interpretationem censet Theodoritus, typi-

(g) Vid. *Esdrae* III. 2. & 8. V. 2. *Nehem.* XII. 26. *Haggaei* I. 1. & 12. & 14.

(h) *Iudaeorum* appellatione hic significantur LXX *Interpretes*.

typice (i) innui a propheta Zorobabelem & Iosuam existimans, sed proprie ac principali destinatione describi CHRISTVM. Fuerunt igitur ante Grotium, ipsi, vt videtur, incogniti, qui eius in sententia fuerunt, ex toto quidem Graeci Ieremiae (k) interpretes, ex dimidio Theodoritus, saeculi quinti episcopus, isque (l) doctissimus. Apparet ex iis, quae diximus, errasse Drusium & Sixtinum ab Amama, cum sibi persuaserunt, Graecum illud Ἰωσεδὲκ, in nostro Ieremiae loco exhibitum, esse nomen CHRISTI contractum, eoque Messiam siue CHRISTVM significatum fuisse ab istis interpretibus.

Nunc denique confutabimus argumentum, quod pro sua interpretatione a *contextu* petiit Grotius. Errabat scilicet, cum, ad contextum pertinere haec verba, putabat. Non pertinent ad contextum, sed sunt parenthesis prophetica a contextu disiungenda, adeoque extra contextum interpretanda. Moris scilicet est prophetis, semper in oculis habentibus Messiam, eumque

 viden-

(i) Repetit hoc Theodoritus ad *cap.* XXXIII. 15.

(k) Quid sibi velit adiectum in eorum versione ἐν τοῖς προφήταις, erudite docet ad hunc locum Hieronymus, ostendens, e sequenti loco illa verba relata huc fuisse a librario.

(l) *Saeculi sui doctissimum virum* vocabant Scaliger ac Dallaeus. Commentarios eius Biblicos caeterorum Patrum omnium commentariis praefert Rich. Simonius in *Hist. crit. V. T. lib.* III. *cap.* 10. *p.* 408.

videndi cupiditate (m) ardentibus, oblata quapiam occasione erumpere in mentionem Messiae, tumque subito ad abruptum sermonis filum reverti. Obseruauithoc eximius ille hermeneuticae artis magister, Glassius, in sua *de stylo prophetico* dissertatione vltimum hunc exhibens (n) canonem: *Saepe prophetae, cum de aliis rebus sermo ipsis est, ad CHRISTVM, Scripturae nucleum, conuertuntur, & de eo in sensu literali prophetant.* Docet id septem exemplis, quae inter & noster locus est. Adiicimus octauum locum, qui *Iesaiae LVII.* 19. occurrit. Vocare hoc scribendi genus libet *parenthesin Messianam*, & per Glassium licet, scribentem, prophetas interiecta ex improuiso mentione venturi Messiae, *ad coeptum sermonem regredi.* Inter exempla illa cum Glassius etiam proferat *Iesaiae cap. VII.* 14. de matre CHRISTI virgine vaticinium, laudanda quoque nobis venit egregia super eodem illo loco meditatio Ven. Bengelii in *Gnomone N. T. ad Matth. I.* 23. Quem locum nec ipsum male interpretatus fuisset Grotius, si obseruare ipsi contigisset, quod obseruavit acutissime cernens hoc in genere noster Glassius.

Satis pro tempore contemplati sumus illustre IEREMIAE de CHRISTO vaticinium. Agite nunc intueamur, CIVES, denuo nomen hoc CHRISTI ad firmandam pietatem nostram augendamque. Appellatur primo IEHOVA, quod eius

(m) *Matth.* XIII. 17.
(n) *Pag.* 322.

eius ſolius nomen eſt, qui ab aeterno eſt, qui res creatas creauit omnes, qui ſapientia potentiaque infinita productum mundum eadem ſapientia & potentia regit, qui fons eſt omnis boni, & quidem fons aeternus, ἐξ (o) ὗ καὶ δι᾽ ὗ καὶ εἰς ὃν τὰ πάντα, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Hoc nomen IEHOVA cum tribuit propheta Ieremias CHRISTO, idem dicit, idem docet, quod Paulus, appellans eum *Rom. IX.* 5. Θεὸν εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. Veneremur proinde FILIVM DEI eadem cultus (p) menſura, qua PATREM, amemus eum ſupra omnia, timeamus eum ſupra omnia, omnem in eo collocemus fiduciam, & ab eo exſpectemus aeternam beatitudinem. Hanc noſtram fiduciam firmet alterius nominis pia conſideratio, quod ipſi propheta tribuit, vocans eum *IVSTITIAM NOSTRAM.*

Duobus modis eſt CHRISTVS *iuſtitia noſtra.* Sumus *natura filii irae*, (*Eph. II* 3.) peccatis quippe inquinatiſſimi, ſpiritualiter *pauperes, caeci, nudi*, (*Apoc. III.* 17.) carentes imagine DEI, ad quam creati eramus, adeoque digni, quos in omne aeuum DEVS coelo excluderet. Intercesſit CHRISTVS & mediatorem ſe praebuit, factus agnus DEI, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, (*Ioan. I.* 29.) atque ita reconcilians nos Patri, iraeque diuinae & debitae poenae metu nos exuens, *Rom. VIII.* 33. 34. Hoc pacto remittuntur nobis a DEO peccata, quotquot in CHRI-

(o) *Rom.* XI. 36.
(p) *Ioan.* V. 23.

STVM credimus, (*Ioan. III.* 16.) & *iustificamur ex hac fide Rom. V.* 1. *III.* 28. 30. *Gal. III.* 24. Transfert ita nos CHRISTVS e ſtatu irae & miſeriae in ſtatum gratiae. Hoc in ſtatu vt permaneamus, *altero modo* CHRISTVS eſt *iuſtitia noſtra*, factus nobis ἁγιασμὸς, (1. *Cor. I.* 30.) dum ſanctos nos facit per Spiritum ſuum, ſeruos DEI fideliſſimos nos facit, nouos homines imaginem DEI gerentes nos facit, *Tit. II.* 14. Quapropter CHRISTVS in oratione nobis praeſcripta non ſolum precari nos iubet: *Remitte nobis peccata*, hoc eſt, *iuſtifica nos*, ſed etiam: *Libera nos a malo*, hoc eſt, *ſanctifica nos*.

Scitote igitur, CIVES amantiſſimi, hoc vobis eſſe agendum hoc tempore, vt cogitetis aſſidue, natum eſſe FILIVM DEI ad vos cum iuſtificandos, tum ſanctificandos, & toto pectore ei vos dicate, vt per fidem in CHRISTVM fiatis *iuſti*, per obſequium erga Spiritum eius *ſancti*. Noſtis, lingua Noui Teſtamenti (q) *ſanctos* & *Chriſtianos* eodem ſenſu dici. Colite ergo, quaeſumus, virtutes, fugite vitia. Dolendum omnino, vt in caetero orbe, ſic & in Academiis, caput extollere tres illas mentium humanarum peſtes, φιλοτιμίαν, φιλαργυρίαν, φιληδονίαν. Eheu quam multi triplici illo amore turpiſſimo flagrant! Quam paucis in pectoribus habitet Pater coeleſtis cum Filio, (*Ioan. XIV.* 23.) ex eo cognitum habemus, quod rari ſunt, quorum vita con-

(q) *Rom.* I. 7; 1. *Cor.* I. 2; 2. *Cor.* I. 1; *Eph.* I. 1; *Phil.* I. 1. *Col.* I. 2.

conſpiciendum exhibet amorem CHRISTI & erga ipſius praecepta obſequium. Nomine plerique ſunt Chriſtiani, moribus ethnici. Non CHRISTO viuitur, ſed carni, ſed mundo, ſed Diabolo. Beatos vero vos, CIVES, imo beatiſſimos, ſi naturalis foeditatis & ἀθεότητος admoniti curam ſuſcipietis veſtrae ſalutis ſeriam, & audientes loquentem in pectore veſtro Spiritum ſanctum confugietis ad poenitentiam vitae adhuc actae doloris pleniſſimam, ad fidem in CHRISTVM firmiſſimam, ad preces ardentiſſimas, ſique fidem veſtram & pietatem aletis & corroborabitis frequenti lectione libri illius, quem legendum relegendumque nobis DEVS dedit, quemque librum qui non legit, & ipſum & ipſius auctorem (proh ſcelus!) ſpernit.

P. P. primo dierum natiuitati FILII DE ſacrorum cIɔ Iɔ ccLII.

XXI.
PROGRAMMA (a) DE THEOCRATIA MVNDI PERPETVA.

(a) Orationibus tribus, die REGIS natali habitis praemiſſum.

D. G.

Quod precari nos CHRISTVS quotidie iussit: ADVENIAT REGNVM TVVM, id occasionem nunc nobis praebuit piae meditationi subiiciendi *regnum DEI & vniuersale & perpetuum.* Manifestum quippe faciam, id quod vulgo haud satis attenditur, inde ab ortu generis humani DEVM se haud obscure, sed clarissime praebuisse regem terrarum omnium, suasque leges, felicitatis communis effectrices futuras, hominibus exposuisse: vt verissimum sit, quod in *psalmorum libro* (a) pronuntiatum est: *DOMINVS est rex magnus super omnem terram: DEVS est rex vniuersae terrae: DOMINVS regnabit in aeternum & in saeculum saeculi.* Nec vero voces eiusmodi capiendas esse de DEI prouidentia solum inconspicua, sed de conspicuo & omnium velut oculis exposito DEI regno, facile me persuasurum, persuasum habeo. Scilicet qui creator erat hominum, ei, si quidem bonus ac benignus est, (quid vero benignius Deo?) conueniebat gubernare genus illud humanum, legesque ferre saluberrimas. Nemo pater ab se impetrare potest, vt, quibus vitam dedit, eos non regat, nec viam eis ostendat ad vitae felicitatem. Iam cum nemo magis pater, nemo verius pater sit DEO, annon inde consequitur, semper DEVM regem esse voluisse hominum, suisque liberis praescripsisse, quae si sequantur, sint beatissimi? An forte

(a) *Psal. XLVII 3. & 8; X. 16; XXIX. 10; CXLVI. 10.*

forte cum Epicuro illo & ipſius grege obiiciemus, moleſtam DEO fore hancce curam ſuoque numine indignam? Quod ſi igitur, velle regere genus humanum, DEI eſt; ſi, poſſe id regere, DEI eſt; quid, quaeſo, obſtabit, quo minus concedamus, eſſe ac ſemper fuiſſe DEVM regem mundi vniuerſalem eundemque perpetuum?

Illud a me iure poſtulabitur, vt ex hiſtoriae ſacrae monumentis lucide demonſtrem, inde ab exordio mundi vsque ad haec noſtra tempora DEVM, quid fieri vellet, hominibus aperuiſſe, regioque eos rexiſſe imperio. Ac in paradiſo quidem ſubinde DEVM allocutum fuiſſe primum illud hominum par, ſatis (b) conſtat. Quo ipſo haud obſcure ſignificatur, eum cum veritates theoreticas praecipuas, (quas inter hiſtoriam creationis fuiſſe, a Moſe poſtea literis mandatam, haud abhorret a vero,) tum praecepta viuendi, eaque cum promiſſis, tum minis inſtructa, tradidiſſe perſpicue. Vnius quidem duntaxat legis, qua certum arborum genus intactum relinquere iubebantur, Moſes fecit (c) mentionem. Sed facile colligimus conſiderata paterna DEI caritate, caeteram quoque ſuam voluntatem ipſum patefeciſſe Adamo atque Euae: vt in tanta hiſtoriae ſuae breuitate eam tantummodo legem commemorandam duxerit ſacer ille hiſtoricus, quam violarant omnium primam. Certe CHRISTVS

(b) *Geneſ. I. 28. 29. III. 9.*
(c) *Geneſ. II. 16.*

disertis verbis (d) docuit. quod minus perspicue Moses tradiderat, DEVM etiam coniugalem legem primis illis hominibus praescripsisse, qua debeant in coniugio permanere ad vitae vsque exitum arctissimam colentes amicitiam.

Nec post commissam illam funestissimam inobedientiam, cum excessissent peccatores paradiso, DEVS suam iis subtraxit vocem regiam. Non enim solum stultitiam ipsorum grauiter castigauit peccando patratam, sed (quod nemo Theologus dubitat,) etiam poenitentia tanti criminis acta fiduciam in CHRISTO iussit eos collocare, eoque facto in gratiam recepit clementissime. Deinceps non quidem promiscue suam vocem edidit ad homines, sed tamen semper dedit iis prophetam aliquem, a quo mortalium genus vitae iustae beataeque praecepta acciperet. Nomina horum prophetarum quinto in capite perscripsit Moses, a nescio quo his comprehensa versiculis:

Adam, Seth, Enos, Cainan, Mahaleelque,
Iared, Enoch, Mathusla, Lamechus, itemque
Noachus.

Hos *doctores iustitiae* fuisse, Petrus (e) docet apostolus. Etsi enim soli Noacho id nominis tribuit, simul tamen indicat, Deum atroci poena totam hominum gentem affecisse: id quod praemissis prophetarum crebris monitis demum factum

(d) *Matth. XIX. 5.*
(e) *2. Petr. II. 5.*

ctum esse, nemo, qui DEVM nouerit, negauerit. Ac sexto Geneseos capite (f) id ipsum clare retulit Moses. Cum enim homines ibi dicuntur repudiasse DEVM *iudicem* siue *regem*, nec audisse *leges a Spiritu DEI propositas*, nonne inde sequitur, fuisse missos a DEO prophetas, qui duces hominibus essent pietatis sanctitatisque? Qua in re Stephanum sequimur interpretem: *Vos*, (g) inquientem, *semper resistitis Spiritui Sancto, & prophetas omni malo multatis.* Ex quo intelligimus, *Spiritui sancto immorigeros* vocari, qui plenos sanctissimi illius Spiritus viros, diuinitus constitutos hominum doctores ductoresque, contemnerent, ipsorumque monita susque deque haberent. Ac diserte quoque Iudas apostolus in sua *Epistola* (h) Henochum *prophetam* huius aeui nominat. Hos inter prophetas primum tenuisse locum Adamum, iamdudum obseruatum fuit (i) Theologis, idque vix quisquam lucidius exposuit Luthero nostro, quo duce ipse hoc argumentum quam potui clarissime pertractaui in *Actis* (k) *Philosophorum.* Caeterum cum homines

(f) *v.* 3.

(g) *Actor. VII. 51. 52.*

(h) *v* 14.

(i) Hieronymus ad *Ephes. V: Primus homo & primus vates Adam de Christo & de Ecclesia prophetauit.*

(k) *T I. p* 774.-781. vbi & alios, qui, Adamum munus gessisse prophetae, agnouerunt, laudaui; quibus adiungo Maresium, cuius sententia & producitur & comprobatur in *la Histoire critique de la Re-*

nes antediluuiani eo improbitatis prouecti essent, vt surdas pulsarent aures sanctissimi hi DEI nuntii, vtque hos *morum magistros* (l) partim irrisio, partim vexatio exciperet acerba; DEVS regia sua potestate vsus rebellem illam ciuitatem vniuersam sustulit aquis obrutam, seruato tantum in arca regni noui seminario.

Nec vero post diluuium regnare inter homines DEVS destitit, sed rursus suos habuit (m) prophetas, hoc est, mandatorum suorum regiorum interpretes & praecones: quorum a Semo vsque ad Abrahamum successio exhibetur *Genes. XI. 10 - 26.* Accidit autem non ita longo interiecto interuallo, vt magna pars hominum regiminis diuini pertaesa constituere sibi regem hominem sustineret condendamque susciperet vrbem regiam: quod quidem consilium miraculo quodam (n) DEVS reddidit irritum. Tamen DEI prophetarumque imperio postea se subduxerunt quamplurimi, solaque Hebraeorum gens ciuitatem DEI coepit constituere, reliquis pro vero illo DEO deos colentibus fictitios & a vera ad felicitatem via toto coelo aberrantibus. Cum igitur

Republique des lettres T. VII. p. 84. Etiam Heideggerus *T. I. Hist. Patriarch. Exercit. III.* § *7. & 8 p. 76* docet, patriarchas vniuersos fuisse prophetas, idque satis manifestum facit.

(l) Ita Lothum Sodomaei indignabuudi vocabant *Genes. XIX 9.*

(m Vid. Acta Philos. *loc. cit. p. 785. sqq.*

(n) *Genes. XI. 3. - 8.*

gitur Hebraei essent *populus DEI*, caeterae gentes, vt pulchre loquitur (o) Paulus, erant ἄθεοι, hoc est, non habebant DEVM rei suae publicae regem, sed suas quaeque sibi fecerant leges a diuinis legibus diuersissimas. Aperuit vero insigni suo prophetae (p) Abrahamo DEVS, non solum progeniem ipsius fore nouam DEI ciuitatem in orbe terrarum conspicuam, sed ex ea quoque oriturum esse regem quendam maximum toti orbi imperaturum, quem Hebraico nomine *Messiam*, Graeco *Christum*, appellamus.

Ac prius quidem factum est, cum Mosem (q) praefecit Hebraeis, ac manifestissimis miraculis

(o) *Ephes. II. 12. Conf. 1 Thess IV 5.*

(p) Ita vocatur ab ipso DEO *Genes. XX 7.*

(q) Mosaicum hoc regimen Iosephus *lib. II. contra Apionem cap. 16.* haud inconcinne appellauit θεοκρατίαν. Ex Isocratis *Areopagitica p 360.* vocari posset πολιτεία θεοποίητος. Vere Siracides *cap.* XVII 17: *Vnicuique genti DEVS constituit suum regem, sed propria DEI ciuitas est Israëlitica, siue proprius Israëlitarum rex DEVS est.* Caeterum lectu dignissimus est Io. Spenceri de speciali hac Theocratia liber, quem primo suorum *de legibus Hebraeorum ritualibus* librorum subiunxit *p 300 — 348*: cuius vestigiis institit, & ita institit, vt multa transcribat ipsa eius verba, Herm. Witsius in Oratione *de Theocratia Israëlitarum*, quae & ipsius *Miscellaneis sacris* inserta est *T. II. p 920 sqq.* & Godwini *Mosi & Aaroni* praefixa. Ducem quoque Spencerum secutus nuper est Iac. Saurinus, *Dissertationum ad V. T. Tomo II.* editionis Abelianae *p. 506.* de

lis demonstrauit, hunc esse suum proregem, perque eum dedit leges Hebraeis, imo integrum corpus iuris. Qui Moses quam non suum sit secutus arbitrium, ex eo apparet, quod grauissimis in rebus DEVM consuluit, ne praelium quidem vllum iniens sine ipsius auspicio. Mosem in regno hoc diuino excepit Iosua, hunc *Iudices* ab ipso DEO constituti, satisque gnari, se non esse domino; siue reges Hebraeorum, sed proreges ac ministros DEI. Haec enim vox erat (r) Gideonis, vnius ex illis Iudicibus. Quamdiu igitur DEO parebat hic populus, bene viuebat beateque: quem & saepe immissis calamitatibus DEVS reuocabat in viam rectam. Tandem regnante pro DEO Samuele incessit Hebraeum populum desiderium regis hominis, qui videlicet prauarum cupiditatum particeps eos facile pateretur consectari honores, voluptates ac diuitias remotis vel saltim laxatis diuinarum legum vinculis. Misertus quidem DEVS est incredibilis (s) huius stultitiae & amentiae; sed cum desiderium illud ne grauissima quidem Samuelis admonitione expugnari posset, in tantum indulsit eis DEVS, vt

&

sqq. de eodem argumento differens, quanquam breuiter ac perfunctorie.

(r) *Iudic. VIII. 23.*

(s) Merito Spencerus libri sui *de Theocratia Iudaica cap. IV. Sect. 2. p. 323.* ita exclamat: *Res est vltra captum credulitatis, verissima tamen, Israelitas imperium humanum diuino praeferre & regem ignotum DEO tot beneficiis noto celebrique praeponere potuisse.*

& regem iis daret & regem hunc (t) diuinis alligaret legibus.

At quam pauci reges huius populi esse se volebant proreges DEI & cum Dauide regnabant *secundum cor DEI!* Plerique suopte consilio administrantes rem publicam ciues reddebant infelicissimos, redacto ad vltimum hoc regno in potestatem barbarorum. Inter haec cum multi suam agnoscentes infelicitatem DEVM rursus cuperent habere regem, hic pro sua misericordia renouavit promissionem regis catholici, e posteritate Dauidis nascituri, & vniuerso generi humano leges praescripturi saluberrimas. Interpretem quidem haec vox DEI nacta est nouam Iudaeorum stoliditatem, regem sibi promittentium eum, sub quo perpetua victuri essent Bacchanalia. Quo factum est, vt, cum ad ipsos veniret hic rex, eum more ranarum AEsopiarum (u) adspernarentur, conspuerent, trucidarent. Qui vero venerat rex, professusque se regem (x) erat in ipsa mortis vicinia, victa morte ostendit, se regem esse eum, cui flecti (y) genua oporteat non ab hominibus solum, sed ab ipsis angelis. Statim quoque exercuit imperium suum per apostolos: quorum qui diutissime vixit, Ioannes, etiam Corpus iuris Christiani reliquit, hoc est, Noui Testamenti codicem, solos libros θεοπνεύστους complexum.

Factus

(t) Vid Zeltneri annot. ad 2. *Paralip. IX. 8.*
(u) Apud Phaedrum I. 2.
(x) *Matth. XXVII. 11.* & *Ioan. XVIII. 33. sqq.*
(y) *Phil. II. 9. 10. 11.*

Factus ita Christus est rex totius (z) mundi, quique eius praeceptis parebunt, hi in hac vita tran-

(z) Vbi vero, inquiet fortasse quispiam, Theocratia vniuersalis fuit longo illo tempore Christum antegresso, quo per tot saecula Iudaeis solis regem se praebuit DEVS, non ethnicis? Respondeo, DEVM tum omnino regem mansisse, sed regnum in impios ideo non exercuisse, quod ipsius paterno imperio indignos sese reddiderant reddereque pergebant. Victus tandem misericordia rursus eos suam in ciuitatem recepit, regiasque iis dedit leges. Praeclare id edisserit Paulus *Actor. XVII. 30 31: DEVS*, inquiens, *tempora ignorantiae* ὑπεριδὼν, *NVNC omnibus hominibus praecipit vbique locorum & gentium, vt agant poenitentiam, & CHRISTVM regem iudicemque suum agnoscant.* Idem apostolus *Rom. I. 21 sqq.* docet, iusta ira DEVM gentes a Iudaeis diuersas ob contemtionem sui imperii e ciuitate sua eiecisse, suaeque stultitiae & improbitati vindicandos reliquisse. Quanquam nec hoc omittendum, quod DEVS noctem illarum gentium subinde illustrauit missis philosophis, qui docerent veriora: id quod ipse ille profanarum gentium Apostolus haud obscure nos docet *Act.* XVII. 28 Bene Caluinus *Epist. p. 82: Philosophia praeclarum est DEI donum, &, qui omnibus saeculis exstiterunt docti viri, eos DEVS ipse excitauit, vt ad veri notitiam mundo praelucerent.* Bene item Bucerus *Comment. in Euangelium Ioannis fol. 35: Omnis veritas a DEO est: & veritas sane plurima in scriptis philosophorum legitur. Iam quantulumcunque id fuerit, quod de veritate philosophi tradiderunt, ad DEVM certe animos hominum attraxerunt, adeoque & Euangelio illos praepararunt.* Pluribus id edissero in *Actis Philos. T. I. cap. I.* §. 30 & 32 Conf. Clericus *Hist. eccl. Prolegom. Sect. II. cap. 7.*

tranquillitate fruentur animi, in altera felicitate non ſolum aeterna, verum etiam conſummatiſſima. Satis quidem diu portas inferorum, vt ſtylo ſacro vtar, habuit aduerſarias (a) regnum hoc CHRISTI: ſatis etiam diu proregem Chriſti ſe mentitus eſt Romanus antiſtes; ſemper tamen regnauit CHRISTVS, ſemperque regnabit. Noſtrum quidem eſt laetari, quod duobus his ſaeculis magis conſpicuum rurſus factum eſt CHRISTI regnum, apertis denuo apoſtolorum ipſius libris tanquam vitae vitaliſſimae fontibus, exortisque Principibus, qui Papa res ſibi ſuas habere iuſſo & Eccleſiam Chriſtianam a vi & inſidiis eius defendunt, & operam dant enixe, vt eruditio ſacra floreat eiusque lux per orbem diffundatur vniuerſum. Noſtrum item eſt orare, vt ADVENIAT REGNVM DEI, hoc eſt, vt poſtero quoque tempore regem agnoſcamus DEVM, vtque caeterae quoque nationes in ditionem CHRISTI redigantur. Denique noſtrum eſt, colere proreges DEI, qui exemplo Dauidis aliorumque piorum Iudaeae regum, DEI ſe miniſtros eſſe, agnoſcentes ita regnant, vt ſalua ſit CHRISTI Eccleſia, vtque legibus ſupremi huius regis ſua conſtet auctoritas.

Horum in numero cum emineat GEORGIVS II. Rex noſter longe clementiſſimus, Dominus noſter mitiſſimus, Pater noſter indulgentiſſi-

(a) Innuo perſecutiones Chriſtianorum ſub ethnicis Imperatoribus.

tiſſimus, nobis conſtitutum eſt, non (b) Romano, ſed Chriſtiano more cras reducem ipſius natalem diem piis excipere gratulationibus votisque publicis. Tres hoc conſilio prodibunt in ſcenam oratoriam iuuenes Muſarum noſtrarum lacte fruentes iucundiſſime, qui & laetitiae, quam regius natalis affert Gymnaſio regio, erunt interpretes, & ſummum illum regem deprecabuntur, vt REGI noſtro vitam det longam, ſuauem, glorioſam, praefaturi primus *de ſeptem illis Romae regibus*: qui & oſtendet, felix illud eſſe regnum, cui ſimul praeſit Romulus & Numa, hoc eſt, cuius rex fortiſſimus ſit idem & pacis ſtudioſiſſimus! alter *de tribus totius Iſraëlis regibus*: qui & docebit, felix illud eſſe regnum, cuius rex Dauid ſimul ſit & Salomo, hoc eſt, rex fortitudine ac pietate eminens, rex item pacis & commerciorum rationem habens maximam; poſtremus, *de duobus Iuliis duobusque Auguſtis*, Iulio ſcilicet Caeſare eiusque ſucceſſore Auguſto, Iulioque & (c) Auguſto, Principibus Guelficis: qui & felix praedicabit illud regnum, cuius rex ſit Iulius ſimul alter & alter Auguſtus, hoc eſt, rex literis impenſe fauens atque literatis.

Con-

(b) De annuis votis Romanorum pro ſalute Imperatoris ſui Lipſius agit *Comment. in Tacitum p. 440 ſq.*

(c) Memini, iam edidiſſe Ioach. Hildebrandum, Theologum excellentem, comparationem huius vtriusque Auguſti: cui libro hunc praeſcripſit titulum: *Auguſta Caeſaris Octauiani Auguſti*, & *Sereniſſ. Principis Auguſti. Ducis Bruns. & Luneb.* Helmſt. 1662.

Concurrite laeti, Patroni, Fautores, Doctores Cultoresque literarum, vocesque cum oratorum, tum muſicorum noſtrorum excipite digna vobis beneuolentia, tacitis acclamantes pectoribus: ViVAT, VIVAT REX!

Gottingae P. P. d. XI. Nou. cIↄ Iↄ ccxxxi.

XXII.

PROGRAMMA (a) DE TRIBVS MENSVRIS EFFVSIONIS SPIRITVS S. IN N. T.

Cum ſacris in (a) libris *effundi* a DEO legimus *Spiritum ſanctum* in homines, facile intelligimus, ſignari *Spiritus ſancti* appellatione eximia quaedam DEI beneficia, quae certa quadam ratione, quam *appropriationem* vocant ſcholae theo-

(a) Nomine Academiae ſcriptum.

(a) *Ieſaiae XXXII. 15; XLIV 3; Ioëlis III. 1; Zach. XII. 10; Act. II. 33; Tit. III. 6.*

theologicae, SPIRITVS SANCTI ſunt operationes, ob eamque cauſam appellitantur *dona* (b) *ſpiritualia*; *effuſionis* vero vocabulo ſignificari largam veluti admenſionem talium donorum facultatumque ſpiritualium. Ac poſterius quidem ipſum *effuſionis* nomen (c) ſatis clare indicat, ſcriptoribus etiam τοῖς ἔξω hac metaphora vtentibus ad deſcribendam quamcunque largitatem & copiam. Quanquam non quaeuis effuſio hac appellatione Biblica reſpicitur, ſed illa, quae fit oleo ſacro: id quod a Ioanne docemur, haec Spiritus ſancti χαρίσματα nominanti χρῖσμα in epiſtola (d) ſua catholica. Cuius collega coniunctior, Petrus, alterum nobis reddit perſpicuum, quod videlicet *effuſio Spiritus S.* vocetur, quod magis proprie eſt *donorum Spiritus S. effuſio* ſiue largitio. Cum enim Lucas *Act. VIII.* 17. dixiſſet, neophytos quosdam *accepiſſe Spiritum ſanctum*, ſequenti *v.* 20. Petrus ait, *accepiſſe eos dona DEI.* Vice verſa, cum Petrus *Act. X.* 45. dixiſſet, quosdam *Spiritum S.* accepiſſe, Lucas *v.* 45. ait, *effuſam in eos eſſe* τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Quid? Ipſe CHRISTVS *Act. I.* 8. docuit, in eos *effundi* dici *Spiritum ſanctum*, qui δύναμιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος *accipiant.*

Nec

(b) Χαρίσματα πνευματικὰ *1. Corinth. XII. 31.* & *XIV. 1.*

(c) Theophylactus ad *Rom. V 5:* Ἐκκέχυται, ἀντὶ τοῦ διαψιλῆς καὶ πλουσία φαίνεται.

(d) *Cap. II. 20. & 27. Conſ. Lucae IV. 18.*

Nec vero pari omnes menſura accepiſſe leguntur Spiritum ſanctum, ſed alii aliis vel largius vel parcius. Cuius obſeruationis neglectio cum nonnihil erroris in Eccleſia ſubinde pepererit, hac occaſione contemplabimur tres effuſionis Spiritus S. menſuras in N. T. commemoratas. Quartam enim, quae omnium fuit largiſſima, nunc omittimus: illam dicimus immenſurabilem menſuram, qua in CHRISTVM, qua hominem, Spiritus S. effuſus eſt (e) ὀυκ ἐκ μέτρȣ, ita vt in eo *habitaret* (f) πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. De hac igitur non eſt huius loci verba facere, ſed de iis duntaxat Spiritus S. effuſionibus, quibus beauit DEVS ſectatores cultoresque eius, de quo clara voce (g) exclamaverat: Οὗτός ἐϛιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

Maximam vero portionem Spiritus ſancti acceperunt primi illi CHRISTI legati, quos Graeco nomine vocamus Apoſtolos, quosque CHRISTVS prius fecerat diſcipulos ſuos domeſticos: & acceperunt quidem in ipſo illo, quod hoc tempore celebramus, feſto τῆς Πεντηκοϛῆς. Hos cum eſſe DEVS vellet doctores veritatis coeleſtis perfectos & ex omni parte implentes menſuram vicariorum CHRISTI, non tantum facultate eos inſtruxit patrandi miracula, (vt videlicet inde mani-

(e) *Ioan. III. 34.* Conf. *Pſal. XLV. 8; Lucae III. 22; IV. 1. & 18; Act. IV. 27. & X. 38.*
(f) *Coloſſ. II. 9.*
(g) *Matth. III. 17.*

manifeſtum foret omnibus, eos eſſe inſtrumenta ſupremi Numinis eiusque legatos,) verum etiam dedit iis & intellectum illuminatiſſimum & ſanctiſſimam voluntatem, ſcilicet vt & vera docendo & piiſſime viuendo *fundamentum* (h) eſſe poſſent nouae Eccleſiae. Faciebat igitur eos Spiritus ſanctus ratione intellectus infallibiles, ratione voluntatis impeccabiles, ſiue, vt loquamur clarius, indeficibiles. Ducebat eos Spiritus S. (i) εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, vt adeo, quicquid loquebantur ſcribebantue, id non ipſi (k) loquerentur vel ſcriberent, ſed Spiritus ſanctus eorum vel ore vel manu; vtque ſermo eorum non eſſet (l) ſermo hominum, ſed ipſius DEI ſermo; vt denique ipſorum doctrina tantum haberet (m) auctoritatis, quantum ipſius doctrina CHRISTI. Praeterea tantopere eorum corda Spiritus S. ſanctificauit, vt non ſolum ad CHRISTI, ſed ad ſui (n) quoque imitationem excitare poſſent auditores ſuos. Etſi enim non erant ſanctitate pares angelis, ſed aliquid imbecillitatis nonnunquam oſtendebant, (nam & Petrum (o) & Paulum (p) aliquando peccaſſe legimus peccatum praecipitantiae,) immunes tamen erant omnis peccati proaeretici & mortalis, nec quicquam valebat eos

(h) *Eph. II. 20.*
(i) *Ioan. XVI. 13.*
(k) *Matth. X. 20. & 2. Corinth. XIII. 3.*
(l) *1. Theſſ. II. 13.*
(m) *1. Corinth. VII. 40. coll. cum v. 10.*
(n) *1. Corinth. XI. 1.*
(o) *Gal. II. 12.*
(p) *Act. XV. 39.*

eos (q) diuellere ab amore ſui domini. Et, quod de vniuerſis veri nominis Chriſtianis pronuntiavit (r) Ioannes, *qui ex DEO ſit genitus, eum non peccare, cum in ſe habeat ſemen DEI*, (hoc eſt, Spiritum ſanctum,) *imo ne poſſe quidem peccare ob id ipſum, quod ſit ex DEO genitus*; id de Apoſtolis, vberrima menſura Spiritum S. adeptis, longe potiori iure dici neceſſe eſt.

Fortaſſe dixerit quispiam, adeo non fuiſſe infallibiles Apoſtolos, vt praeſul ille chori Apoſtolici, Petrus, vehementer tum errarit, cum (s) non putabat, impertiendos eſſe CHRISTI doctrina ethnicos. Ac certe ſcribere Theologus (t) quidam alioqui pereruditus ſuſtinuit, *Petrum hactenus communi Iudaeorum errore deceptum abhorruiſſe a gentilium hominum congreſſu.* Verum longe aliter ſe res habet. Petrus nimirum probe norat, CHRISTVM iuſſiſſe (u) Apoſtolos ſuos viam ad coelum monſtrare omni populo. Sed idem recordabatur, CHRISTVM (x) ipſis praecepiſſe, vt initio Iudaeis, tum Samaritanis, vltimo loco ethnicis ſeſe praeberent praecones

(q) *Rom VIII. 38 39. Recte Dannhauerus Hodoſ. p. 104. inter* criteria Apoſtoli *refert* eminentem ſanctitatem, quae non permitteret graue in conſcientiam vulnus.

(r) *1. Epiſt. III. 9.*

(s) *Act. X.*

(t) *Dan. Arcularius Comm. in Act. X. 34. p. 254. Eadem ſententia Origenis lib. II. contra Celſum p. 57.*

(u) *Matth. XXVIII. 19.*

(x) *Act. I. 8.*

Euangelii. Iam cum certum cuique horum officiorum non praeſcripſiſſet CHRISTVS tempus, merito Petrus exſpectabat diuinum mandatum eundi ad Samaritanos, & hinc ad ethnicos. Ad Samaritanos igitur proficiſcebatur iuſſu (y) totius collegii Apoſtolici, quem eſſe ipſius DEI (z) iuſſum, haud ignorabat. Atque ita tandem & ad ethnicos ſe conferebat ſine mora & ſine vlla reluctatione, ſimul ac id faciendi auctor ipſi fuerat DEVS per (a) ἔκστασιν. Apparet nunc, haudquaquam verſatum eſſe Petrum in errore, recteque Glaſſium (b) negare, ex verbis illis (c) Petri: *In veritate comperior, quod non eſt perſonarum acceptor DEVS*, ſequi, *Petrum antea ignoraſſe*, DEO etiam ethnicorum ſalutem eſſe curae cordique. Sapienter quoque Ioannes Erneſtus Gerhardus, Ienenſis quondam theologus, ad eundem locum haec (d) adſcripſit: *Non ignorauit Petrus, quod Euangelium gentibus praedicari debeat; ſed de modo rei, hoc eſt, quando, vbi, & quomodo id fieri debeat, haeſitauit hactenus; nunc vero per viſionem de ea fuit edoctus.*

Progredimur ad ſecundam effuſionis Spiritus ſancti in N. T. menſuram, quam aeuo Apoſtolico quidam per baptismum (e) accipiebant, vati-

(y) *Act. VIII. 14.*
(z) *Act. XV. 28.*
(a) *Act. X. 10. & XI. 5.*
(b) *Philol. S. lib. III. tract. III. can 4. p 759.*
(c) *Act. X. 34.*
(d) *p 351.*
(e) *Act. VIII. 15 17. & XIX. 6.*

vaticinia tum edentes & ignotis antea loquentes linguis. Erat haec effusio aeque *extraordinaria*, ac illa, quae in Apostolos facta fuerat: sed differebant inter se & modo & fine. *Vniuersalis* enim in Apostolos fiebat donorum Spiritus sancti effusio, hoc est, nihil non τῶν χαρισμάτων πνευματικῶν acceperant Apostoli. Quacunque loquebantur lingua: erant prophetae: sanabant aegrotos: reuocabant in vitam mortuos: solo verbo modo necabant impios, modo Satanae tradebant: & quae sunt alia χαρίσματα. Effusio contra illa, quae fiebat aliquando in baptizatos, *particularis* erat, aliis (f) prophetico agitatis spiritu, aliis morbos curantibus, aliis ignoto ante sermone tanquam patrio vtentibus, aliis lucide interpretantibus verbum DEI. Praeterea in Apostolos effusio Spiritus sancti facta erat a DEO immediate; in recens baptizatos DEVS mediate per Apostolos suum effundebat Spiritum. Ex quo statim liquet, quo id fine diuinitus factum sit. Scilicet effundendus in Apostolos erat Spiritus S. largiore mensura, habitaturus in iis perpetuo, eorumque intellectum redditurus certa veritatum salutarium cognitione perpetuo lucidum, voluntatem perpetuo sanctam & amore DEI inflammatissimam, atque ita per eos magister futurus vniuersi terrarum orbis. Altera vero Spiritus sancti effusio, quae in neophytos fiebat, huc tendebat, vt omnes perspicue cognoscerent, Apostolos esse viros diuinos & potestatem nactos impertiendi aliis facultates miraculosas. Ac facile

(f) *1. Corinth. XII. 9. 10. 28. 30.*

cile credimus, extraordinariam hanc effusionem etiam factam subinde fuisse in Apostolorum vicarios, hoc est, nouos doctores Ecclesiae. Certe Timotheum Paulus (g) ait eo tempore accepisse χάρισμα propheticum, quo ipse vna cum Presbyteris quibusdam imponebat ipsi manus, atque hoc ipso eum constituebat episcopum atque euangelistam.

Caeterum vti vtraque effusio erat extraordinaria, ita etiam temporaria erat vtraque. Cum namque prima illa, quae facta erat in Apostolos, ideo facta esset, vt doctrina eorum esset omni ex parte diuina, vtque foret ea posteritati norma credendi atque agendi; posteaquam norma illa literis fuit mandata ab Apostolis, sufficienter & abunde erudita est Ecclesia ad salutem, omnique posteritati acclamandum est illud: *Habetis non solum Mosem* (h) *& prophetas, sed Apostolos quoque, per scripta sua loquentes, & omne consilium* (i) *DEI vobis annuntiantes: hos, hos audítote.* Secunda vero cum fieret ideo, vt confirmaretur nouo hoc argumento diuina Apostolorum legatio, sequitur, egressis e mundo Apostolis non esse nostris temporibus exspectandam similem Spiritus sancti effusionem, grauissimoque eos captos esse & inflatos errore, qui hodie sibi persuadent talia ac tanta in Christianos effundi χαρίσματα; & proinde non solum miras atque inso-

(g) *1. Tim. IV. 14. & I. 18.*
(h) *Lucae XVI. 29.*
(i) *Act. XX. 27.*

insolitas mentium agitationes pro largioris mensurae affluxu Spiritus sancti habent, sed eos etiam, qui suam ipsis addicere nolunt credulitatem, insectantur, largeque iis ac effuse conuiciantur.

Tertia mensura Spiritus sancti siue χαρισμάτων πνευματικῶν communis est Christianorum omnium, beneque ideo vocabitur *ordinaria*. *Effundi* in omnes, qui credunt & baptizantur, *Spiritum sanctum*, his ipsis verbis docet Paulus (k) Titum suum: qui & in priore ad Corinthios Christicolas (l) epistola veros Christianos appellat *templa & habitacula Spiritus Dei*. In octauo vero epistolae ad Romanos Christi cultores scriptae capite tam luculenter hoc argumentum tractat, vt haec praecipua sit habenda huius doctrinae sedes. *Qui CHRISTI Spiritum non habet*, inquit *v 9. is non est Christianus. Habitat in vobis*, ita *v. 11.* pergit, *Spiritus Christi. Non alii*, ita rursus *v. 14.* pronuntiat, *Dei filii sunt, quam quos regit & agit Dei Spiritus*. Idem propterea Christianos nominat (m) πνευματικοὺς, contraque Iudas

(k) *Tit. III 6.*

(l) *1. Corinth. III. 16. & VI. 19.*

(m) *1. Corinth. II. 15. Lutherus Comment. in Genes. cap. XXIII. f. 323:* Spiritualis homo is est, qui credit & baptizatus est, siue sit laicus siue ecclesiasticus: *simulque eorum notat errorem, qui in Papatu ita proprium fecerant titulum* Spiritualium *sacerdotibus*, vt eius communione exclusos Christianos caeteros appellatione *Saecularium* & *Mundanorum* haud obscure infamarent.

das Apoſtolus (n) impios Chriſtianae religionis ſimulatores vocat ψυχικοὺς, Πνεῦμα μὴ ἔχοντας.

Iam ſi quaerimus, quid nobis afferat haec Spiritus S. menſura, vel leviter meditanti obuia eſt huius rei explicatio. Quemadmodum enim in Apoſtolis tantum operabatur Spiritus ſanctus, vt ſuſtinere poſſent perſonam legatorum CHRISTI; ſic in aliis Chriſtianis operatur tantum, vt ſe praeſtare valeant veros Chriſtianos ſiue vere pios homines. Cum igitur intellectus noſter natura careat luce viam ad coelum aperienti, voluntas non ſolum auerſa ſit a virtute, ſed etiam ad quoduis vitium incitatiſſima; Spiritus ſancti eſt, clara & ſufficienti ſcientia illuſtrare intellectum, effrenatasque cupiditates ita coërcere, vt flectatur voluntas ac regatur ad fugienda vitia colendamque virtutem. De hac Spiritus ſancti in intellectum hominis influxione dubitari vetat auctoritas Pauli, *neminem* ſcribentis (o) *IESVM poſſe agnoſcere & nominare* (hoc eſt, *καρδιᾳ nominare*, vt idem Apoſtolus *Rom. X.* 10. loquitur,) *Dominum*, *niſi per Spiritum ſanctum*: qui & hoc nos (p) docet, *certos reddi animos noſtros de diuina adoptione interno Spiritus ſancti teſtimonio*, ac (q) *Spiritum ſanctum & χρίσμα eſſe & ſigillum & arrhabonem diuinitus nobis datum.* Quod χρίσμα tan-

(n) *Epiſt. v. 19.*
(o) *1. Corinth. XII. 3.*
(p) *Rom. VIII. 16.*
(q) *2. Corinth. I. 21. & 22. Conf. Eph. I. 13. 14; IV. 30; 1. Corinth. V. 5.*

tantum habere virtutis, docet (r) Ioannes, vt nos reddat πανσόφους, hoc eſt, vt, quae ſunt ad ſummam felicitatem conſequendam neceſſaria, ſciamus omnia. Quantam vero vim inferat Spiritus ſanctus voluntati, vt incitetur ad vera bona conſectanda, vel ex illo Pauli teſtimonio ſatis conſtat, quo Chriſtianos (s) dicit Πνεύματι ἄγεσθαι, & κατὰ Πνεῦμα vel Πνεύματι περιπατεῖν. Quae de Spiritus ſancti in Chriſtianis pectoribus operatione cum dicta ſint admodum luculenter, permirum eſt, fuiſſe etiam doctiores theologos, qui immediatam, intimam, & veluti phyſicam Spiritus ſancti in piis operationem falſo tradi contenderent. Quid enim magis clare, magis ἐμφατικῶς dici potuit? Nonne, ſi falſa eſſet illa Chriſtianae Eccleſiae doctrina, DEVS per Apoſtolos magnificentiora iactaſſet, quam veriora? Eminuit vero inter iſtos pſeudotheologos Claudius Paionus, Salmurienſis prius, dein Aurelianenſis Reformatorum theologus: cuius placita & rite exponit & accurate deſtruit Spanhemius in ſingulari Diſſertatione, ſuo *Elencho controuerſiarum theologicarum* (t) inſerta. Nec Ioannes Clericus non eſt Paioniſmi reus, frigidam hanc & elumbem verbis hisce (u) Apoſtolicis: Τὸ Πνεῦ-

μα

(r) *1. Epiſt.* II. *20* & *27.* *Conf. Biblioth. Brem. T. IV. p. 991. ſqq.*

(s) *Gal.* V. *18.* & *16;* *Rom.* VIII. *1.* & *4.*

(t) *p 371. - 389. Petri Iuriaei & Anonymi cuiusdam oppoſitos Paioniano errori libros recenſitos, ſi placet, videas in* Actis eruditorum *Lipſiae publicatis a. 1688. p. 596 ſqq. & a. 1689. p. 519. ſqq.*

(u) *Rom.* VIII. *16.*

μα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, affundens interpretationem in annotatione Hammondianis inserta: *Spiritus adoptionis vel affectio illa animi erga Deum, quam parit in nobis Euangelium, spiritui nostro, hot est, menti, fiduciam illam immittit, qua, nos filiorum loco a Deo habitum iri, speramus.*

Nos autem nihil de interna in Christianorum mentibus inhabitatione Spiritus sancti dubitantes criteria nunc circumspicimus, e quibus certo cognoscat quisque, an ipse, an item alius quisquam, Spiritum sanctum habeat: quem qui non habeat, eum non esse Christianum, supra satis a Paulo edocti fuimus. Verum & hic faciles nacti sumus & perspicuos doctores Apostolos. Scilicet non est Spiritus sanctus, nisi vbi regnat. Regnat autem, vbi impetus prauarum cupiditatum fortiter reprimuntur & omnis generis virtutes laetissime efflorescunt: vbi ex agro cordis progerminat amor DEI coniunctus cum contemtu mundi, amor item proximi, & omnes illi *Spiritus sancti fructus*, quos Paulus laudat in suis ad Galatas (x) literis. Regnat, inquam, ibi, & sanctificati pectoris robur in dies auget, maiorem in dies facit tranquillitatem voluptatemque, atque ad orandum (y) seque propius DEO iungendum incendit pium hominem. Iam quia nihil

(x) *Gal.* V. 22.

(y) *Vid. Gal.* IV. 6. *vbi Spiritus Christi in Christiani hominis pectore, & quidem inflammatissime, precari dicitur. Idem docetur Rom.* VIII. 15. & 26.

hil boni non operatur in nobis & efficit Spiritus ſanctus, ex eo appellari ſe voluit *ſpiritum* (z) *precum*, *ſpiritum* (a) *ſapientiae*, *ſpiritum* (b) *filialis fiduciae*, *ſpiritum* (c) *veritatis*, *ſpiritum* (d) *fidei*, *ſpiritum* (e) *ſpei ſiue promiſſionis*, *ſpiritum* (f) *caritatis*, *ſpiritum* (g) *gratiae*, *ſpiritum* (h) *conſilii & fortitudinis*, *ſpiritum* (i) *pietatis ac timoris Domini*: quia ſcilicet (k) πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ Πνεῦμα. Quod ſi forte, homo pie, non ſatis ſentire tibi videris inhabitantem in te Spiritum ſanctum, eumque ſentire cupis viuidius, ſequere conſilium vel potius praeceptum CHRISTI, *orare* (l) iubentis, *vt det tibi pater coeleſtis Spiritum ſanctum*, hoc eſt, vt vim & efficaciam huius ſui Spiritus in te adaugeat, teque magis ac magis πνευματικὸν reddat, atque ita promiſſum CHRISTI (m) impleat: Τῷ ἔχοντι δοθήσεται, καὶ περισσευθήσεται. Habet enim haec, de qua diſſerimus, Spiritus ſancti menſura certos gradus, vt alius ſit infans in CHRI-

(z) *Zach.* XII. 10.
(a) *Ieſaiae* XI 2. & *Eph.* I. 17.
(b) *Rom* VIII 15.
(c) *Ioan.* XIV. 17; XV. 26; XVI. 13.
(d) 2 *Corinth.* IV. 13.
(e) *Eph.* I 13.
(f) 2. *Tim* I. 7.
(g) *Hebr.* X 29 & *Zach.* XII. 10.
(h) *Ieſaiae* XI. 2. & 2. *Tim.* I. 7.
(i) Eodem vtroque loco.
(k) 1. *Corinth.* XII. 1.
(l) *Lucae* XI. 13
(m) *Matth.* XIII. 12. & XXV. 29.

CHRISTO, alius vir; in alio fortius, in alio infirmius reluctetur Spiritui caro; alius alium ſapientia, ſanctitate, & conſtantia ſuperet.

Plura cum de ſanctiſſimo hoc argumento proferre nunc quidem non liceat, ſatis tamen vobis dictum putamus, CIVES CARISSIMI, hoc tempore, quo praeparandi eſtis ad rite agendum hoc ſacrum, quod SPIRITVS SANCTI laudibus & honoribus vniuerſa dicauit Eccleſia. Cogitate, ſumma pietate colendum eſſe eum, qui eſt *ſpiritus ſapientiae*: cogitate hoc, qui conſectatores vos profitemini ſapientiae. Scitote, qui non ei ſe tradat gubernandum, eum pro vera σοφίᾳ amplecti vaniſſimam vmbram, δοκησισοφίαν. Audite igitur, quaeſumus, verba feſtis his diebus pro concione ſacra facturos de SPIRITV SANCTO deque ſummis eius beneficiis, cumque Dauide identidem taciti quisque exclamate: *Cor mundum crea in me, DEVS, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me a facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me.*

P. P. die primo feſto Pentecoſtes anni cIↃ IↃ CCXXXVI.

XXIII.
PROGRAMMA (α)
DE
QVAESTIONE ILLA, CVR SPIRITVS S. HODIE NON EDAT IN ECCLESIA MIRACVLA.

Effuſo poſt CHRISTI ad Patrem reditum in ipſius duodecim vicarios omnipotenti eodemque ſapientiſſimo Spiritu propagatam per orbem vniuerſum fuiſſe ſalutiferam religionem confirmantibns ſanctiſſimam doctrinam miraculis, *Hiſtoria* docet *Apoſtolorum*, a Luca, & quidem, vt veteres (a) admodum credibiliter tradunt, auctore & hortatore Paulo Apoſtolo, nobis relicta. Ipſius huius effuſionis hiſtorlam tota hoc tempore contemplatur Eccleſia, proque hoc ſummo diffuſiſſimoque beneficio piarum gratiarum debitum DEO

(α) Nomine Academiae ſcriptum.

(a) Irenaeus *lib. III cap 1*; Tertullianus *lib. IV. adv. Marcionem cap. 5*; Euſebius *Hiſt. eccl lib. III. cap. 4*; Hieronymus *Catal. ſcript. eccl. cap. 7* Ac Ven. Pfaffius Paulum vocare non dubitat *primarium auctorem Euangelii Lucae* libri *de genuinis N. T. lectionibus cap. II. §. 6. p. 41*

DEO persoluit. Prisca vero Ecclesia & hoc facere solebat, vt toto illo interuallo, quod inter Pascha & Pentecosten interiectum est, omnem illam Lucae Apostolicam historiam piae subiiceret meditationi, ac miracula consideraret singula, quae ad confirmandam domini sui resurrectionem patrantes duodecimuiri tantam hominum multitudinem reddiderunt Christianam, illud implentes Iacobi (b) vaticinium: *Messiae se addicet, quicquid est in orbe gentium.* Testis huius moris est (c) Augustinus: *Actus Apostolorum testes sunt*, inquiens, *qui liber canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniuersaria solennitate post passionem Domini nostis illum librum recitari.* Testis item est Chrysostomus in singulari (d) homilia, qua exponit huius ipsius consuetudinis caussam, his verbis Latine redditis: *Demonstratio resurrectionis miracula sunt Apostolica. Atqui nihil aliud est liber ille*, (loquitur de *Actis Apostolorum*,) *quam Apostolicorum schola miraculorum. Quod igitur Dominicae resurrectionis maxime fidem facit, hoc statim post resurrectionem patres legi statuerunt. Hanc igitur ob causam, dilectissimi, statim post crucem ac resurrectionem miracula legimus Apostolorum, vt manifestam & indubitatam resurrectionis probationem habeamus.* Iusta omnino haec causa fuit vetere illo aeuo id facien-

(b) *Genes. XLIX. 10.*

(c) *Tract. VI. in Ioannem*, Tomo IX. *Operum pag.* 24. edit. Plantinianae.

(d) *T. V. homil. 66. p.* 849. edit. Mogunt. vel potius Francof.

ciendi, cum ciuitates Chriſtianorum Principum plurimos adhuc haberent ethnicos, hac diuinitatis religionis Chriſtianae demonſtratione adducendos in ouile CHRISTI. Neque adeo ſecuti aevi Eccleſia peccauit, cum, poſtquam ſublatae eſſent vanae & impiae religiones, omiſit hunc morem, ac pro hiſtoria Apoſtolica inter Paſcha & Pentecoſten explicari populo voluit ſermonum CHRISTI paulo ante viuificam ſuam mortem habitorum partem aliquam, eamque conſolationis pleniſſimam.

Nos nunc priſci illius moris recordati hanc ſuſcipimus excutiendam quaeſtionem, CVR, QVI PER APOSTOLOS TOT TANTAQVE PATRAVIT MIRACVLA, SPIRITVS SANCTVS NON ITEM HODIE PATRET MIRACVLA. Quae quaeſtio duas habet partes: vt prius diſpiciatur, cur *in Eccleſia* hodie non fiant miracula; deinde, cur non *extra Eccleſiam*, ad Iudaeos, Muhammedanos, & ethnicos ſui erroris conuincendos veraque imbuendos religione. Vtramque quidem nunc tractare & expedire cum noſtra prohibeat breuitas, prior noſtram lectorumque noſtrorum occupabit meditationem. Venit ſane facile in mentem, quaerere, cur hodiernae Eccleſiae deſint miraculorum patratores, ac de prouidentiae CHRISTI erga ſuam eccleſiam perpetuitate & efficacia qualitercunque dubitare. Iam Marſilii Ficini (e) aetate erant, *qui pertinaciter*

(e) Id hic refert in libri *de Chriſtiana religione* capitis decimi exordio.

citer noua ad fidem CHRISTI *confirmandam exigerent miracula.* Nec proinde intactam hancce obiectionem dimisit Grotius in suo (f) *de veritate religionis Christianae* laudatissimo opere. Nec vero, qui cum hac quaestione luctantur, dubitant, parem omni tempore esse Numinis potentiam. Illud obscurum ipsis videtur, quo pacto diuinae bonitati sua possit asseri perpetuitas, diversis temporibus dissimiles eius fructus ostentantibus. Salua autem erunt omnia, si nobiscum circumspicient causam, cur olim DEVS legatos emiserit miraculis insignes. Hac enim inuestigata lucide apparebit, sublata causa illa cessandum fuisse miraculis. Atque ita elucebit DEI sapientia pariter ac potentia, nec tamen eius minuetur erga Ecclesiam benignitas.

Scilicet in prima aetate mundi, vigente inter homines cognitione DEI veraeque religionis, vt fructus efferret illa cognitio, vtque scientia religionis fieret practica, & ad metam religionis, hoc est, ad aeternam felicitatem, homines perduceret, DEVS pro sua φιλανθρωπίᾳ semper vni alterique maiorem tribuit veluti mensuram sui Spiritus, qui dux esset caeteris & doctor & strenuus hortator ad DEVM mente opereque colendum. Increscente deinceps hominum malitia, malitiamque sequente mentium caecitate ac religione irreligiosissima, Hebraeorum tamen familia plurimum semper sacrae veritatis retinuit. Hinc in ea veluti habitare perrexit Spiritus sanctus,

(f) *Lib. I. §. 18:*

ctus, ſuoque inſtinctu nunquam non excitauit quosdam, qui & verum Numinis cultum traderent caeteris, & ſanctis moribus publico eſſent exemplo. Miſeratus poſtea reliquae multitudinis humanae inſcientiam religionis natamque hinc vitae improbitatem, cum gens Hebraea facta eſſet ingens populus, & inter AEgyptios, turpiſſimarum religionum cultores, non ſine periculo, imo non ſine contagione peſtis, ageret, piiſſimus humani generis pater mittere ſtatuit, qui & Hebraeum populum ſibi ſoli aſſereret addiceretque, & caetero orbi pro ſole eſſet, cuius lucem haurirent etiam reliqui huius vniuerſi incolae. Moſem igitur miſit ad Hebraeos, facturum eos ſeparatam rempublicam, ſoli DEO devotam, florentemque tum verae religionis notitia, tum verae exercitio virtutis. Hic Moſes quin eſſet a DEO emiſſus verusque diuinae voluntatis praeco, ne dubitari poſſet, inſtruxit eum miraculis, hoc eſt, ea facere iuſſit, quae humanas excedere vires a ſoloque DEO proficiſci, foret manifeſtiſſimum. Moſis quoque ſucceſſorem in rectione huius populi, Ioſuam, aeque diuina patrare voluit opera, donec occupata certa ſede ſanctus hic populus, qui iam & librum nactus erat, in quo, quicquid ad DEI cultum pertineret, exhibebatur, miraculoſis DEI legatis carere poſſet. Igitur raro poſtea ſimiles Moſi legatos ad hunc populum miſit, nec niſi tum, cum magna eius pars omnem religionem veram exuiſſet, & hoc modo rectam reducenda eſſet in viam. Florente igitur ſub regno Dauidis & Salomonis

 caete-

caeterorumque piorum regum religione vera nemo ſurgebat, qui editis miraculis doctor eſſet publicus. Ad illos vero reges, qui proprie appellabantur Iſraëlitici, cum falſiſſimae religioni eſſent impliciti, ſimiles Moſi miraculorum patratione miſit Eliam atque Eliſam, qui illam Abrahamidarum partem a ſimulacrorum cultu reuocatam vera pietate imbuerent, veroſque eos ac germanos efficerent Iſraëlitas. Radices tandem cum egiſſet in Hebraeorum gente religio, veritasque ſalutifera ſine aemula regnaret, longa fuit miraculorum quies & ceſſatio, exſtantibus ſcilicet ſacris libris eorumque publicis interpretibus. Tandem, quod iam olim pollicitus erat DEVS, ipſe DEI filius aeternus in orbem venit, qui & vitiis, quae ſacram in religionem irrepſerant, mederetur, & abrogatis Moſaicis caerimoniis reliquum quoque orbem dimiſſis legatis ſuis luce beatificae veritatis colluſtraret. Summus hic DEI legatus & agnoſci debebat a Iudaeis, &, vt agnoſceretur, non poterat effici, niſi miraculis, quae largiſſime edens innumeros faciebat veros verae diuinitatis cultores. Ac hac etiam potentia accepta legati eius, Graeco *Apoſtolorum* nomine inſignes, facta poſt eius diſceſſum edebant apertiſſime diuina: eaque facientes, quae nonniſi a DEO per ipſos fieri, dubitari nullo iure poterat, vbique terrarum ac gentium condebant Eccleſias DEI, atque vniuerſum mundum implebant cognitione (g) veri DEI ac filii eius, IESV CHRISTI.

Appa-

(g) *Ioan. XVII. 3.*

Apparet ex iis, quae diximus, miracula esse legatorum DEI criteria, omnium agnitioni exposita, quos non coecos permanere cogeret summa sua & omnem medicinam respuens vitiositas. Sunt enim miracula eiusmodi facta, quae certo scimus humanis viribus effici non posse, sed sola DEI potentia, e. g. sola voluntate soloque verbo caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis vel plane incedere non valentibus gressum, mortuis vitam reddere. His quasi signare & (h) sigillare suos legatos debet DEVS, quos mittit ad homines, suo nomine aliquid novi praecepturos, maxime si nouam velit ab iis tradi religionem. Alias enim nec posset nec deberet fides iis haberi. Nec iusta erat olim suspicio nonnullorum Iudaeorum, Diabolica, non diuina, esse CHRISTI opera. Nam vt vel vulgo appareret, (eruditi enim hominis non est, Diaboli potentiam aequare diuinae, sibique persuadere, Diabolum vel propriis vel acceptis a DEO viribus efficere posse veri nominis miracula:) miracula, quae edebantur, DEI opera esse, non Diaboli, legati il-

 li

(h) *Pater me* ἐσφράγισεν, inquit CHRISTVS *Ioan. VI. 27.* Commode proinde Werenfelsius in *Syloge Dissertationum Theologicarum, Diss. IV. p.* 140. miracula vocat *literas fiduciales*, (gleichsam das Creditiv,) *quibus Rex Regum instruit eos, quos extra ordinem ad genus hominum ablegare dignatur, vt ita dictis eorum fidem & auctoritatem conciliet.*

(hh) Memorabilis est locus Pauli 1. *Corinth II.* 4. quo docere se ait ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως.

li DEI primum vita sua moribusque (hh) ostendebant, DEVM a se coli religiosissime; deinde illas proferebant doctrinas, quae nihil aliud spectabant, quam honorem & gloriam veri Numinis salutemque generis humani, quaeque tendebant ad destruendum imperium Diaboli. Talis autem vir manifesto DEI seruus est, non Diaboli: nisi forte credimus (i) absurdissime, fieri posse, vt Diabolus regnum ipse suum euertat, idque summis viribus agat, vt rite colatur DEVS, vtque genus humanum a peccatis auersum felicitatem consequatur perpetuam.

Vidimus, quam necesse quondam fuerit, DEVM per legatos suos edere miracula, ac homines manifestissima ratione perdocere, hos ab se missos esse, his sine vlla dubitatione habendam fidem, praestandum obsequium. Nunc haud est difficile, causam perspicere, cur hodie non habeat Ecclesia tales legatos coelestes, curque desierint fieri similia miracula. Scilicet DEVM hodie ad religionis nostrae veritatem eo modo nobis

μεως. Quibus verbis significat, moribus se suis demonstrasse, a Spiritu sancto se regi, & suis miraculis, se missum esse a DEO.

(i) Hoc argumentum Iudaeis obiiciebat ipse Dominus *Lucae XI.* 18 Laudari hic meretur liber non ita pridem editus Iacobi Sercesii sub hoc titulo: *Traité sur les Miracles, dans lequel on prouvé, que le Diable n'en sauroit faire pour confirmer l'erreur*: in quo tamen obiectionem miraculorum illorum, quos olim magi Pharaonis edere videbantur, non ita soluit ac diluit, vti fieri debebat.

bis demonſtrandam nulla vrget neceſſitas, quoniam nullam nos habemus deſiderandi ad approbandam eam miracula cauſam iuſtam. Habemus (k) namque ob oculos miracula Moſis, habemus miracula CHRISTI, habemus Apoſtolorum miracula, ab eiusmodi memoriae prodita teſtibus, qui omni ſunt exceptione maiores, quibusque fidem habet certam, quicquid eſt Chriſtianorum hominum. Ad eruditulos autem illos, qui hiſtoriam de priſcis miraculis reddere conantur dubiam, ſui conuincendos erroris habemus ſcripta eruditiſſimorum ſubtiliſſimorumque noſtri aeui virorum, a quibus tam perſpicue, tam ἀποδεικτικῶς aſſerta eſt ſua Chriſtianae religioni diuinitas, vt, qui non aſſentiantur, iis talpas neceſſe ſit eſſe oculatiores, quas aiunt videre nihil. Qui igitur hodie exigunt ad confirmandam religionem miracula, ſimiliter faciunt, ac ii, qui, tum demum, diem eſſe, ſe aſſenſuros, profitentur, cum alterum in coelo viderint ſolem: certe nec id credituri, ſi vel centum ſoles mundus acciperet. Atque haec ipſa erat CHRISTI (l) reſponſio: *Si Moſi non credunt*, inquientis, *qui Iudaei ſunt, nec nunc credent, ſi vel mortuus aliquis in vitam reuocetur.* Nos ita pergimus: Qui CHRISTI

 Apo-

(k) Hunc in modum etiam ad quaeſtionem noſtram reſpondet Stillingfleetus *Orig. ſacr. lib. II. cap. 3. p.* 267. verſionis Bremenſis, & Gottfr. Olearius libri *de Ieſu Meſſia P. II cap 4 p. 376 ſqq. & 444. ſq.* & Clericus libri *de l'incredulité P. II. cap. 6 p. 267. ſq.*

(l) *Lucae XVI. 31.*

Apoſtolorumque non mouentur miraculis, quorum veritas eſt exploratiſſima, eorum caecitas nec tolletur vel ſexcentis nouis miraculis. Animaduertendum vero & hoc eſt, miſericorditer ſe DEVM gerere erga induratas eiusmodi mentes, noua iis non obiicientem miracula: atrociora quippe ſubituras olim ſupplicia, ſi nouis quoque legationibus ſurdas praeberent aures caecaque pectora: id quod ipſe nos docuit (m) doctor omnium maximus ac diuiniſſimus.

Iam cum quotidie audiri poſſit loquens per Scripturam DEVS, cumque quotidie in Scriptura videre queamus patrantes miracula Moſem, CHRISTVM, & Apoſtolos, ac ſola & fidei & vitae noſtrae norma ſit codex ſacer, quam, quaeſo, indocte faciebant illi Pontificiorum Theologi, qui exſurgentis Lutheri noſtri doctrinam hac de cauſa reiiciebant, quod ad eam confirmandam nihil ederet miraculi! *Percontari id vnum a Luthero velim*, inquiebat (n) Iodocus (o) Clichtoveus, Pariſienſis Theologus, *in qua poteſtate hoc facit, & quis dedit illi hanc poteſtatem, vt antiquam formam* (religionis) *immutet, & nouam fabricet? Si enim de coelo ſe miſſum contendit aut*

a

(m) *Matth. XI. 21 - 24.*

(n) Verba haec eius recitat & comprobat Cochlaeus in *Hiſtoria Lutheri f. 72. a*, edit. Pariſ. anni 1565.

(o) Hic *PRIMVS e Pariſienſibus Theologis aduerſus Lutheranos calamum ſtrinxit*, inquit Launoius libri *de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi cap. XII. p. 51.* editionis ſecundae.

a DEI Spiritu ad moliendum id opus, ſigna ſui Apoſtolatus oſtendat oportet, quibus fidem faciat, a DEO ipſum eſſe, quod tentat. Erras vero, Clichtouee, erras: ac tu quoque erras, Cochlaee. Nec legatus DEI Apoſtolicus haberi voluit Lutherus, nec immediato Numinis legato opus erat illa tempeſtate. Ob oculos omnium verſabatur ſacer codex, cuius negloctio, cum tamen ab vniverſis agnoſceretur θεόπνευςος, tot tantosque errores pepererat. Legebat autem Lutherus ſacrum illud volumen aſſidue, atque e fonte hoc hauriebat veram religionem Chriſtianam, ſimul agnoſcens errores plurimos, qui eccleſiam reddiderant vitioſam ac deformem. Tum alios eodem e fonte haurire iubebat, non ſibi fidem haberi cupiens, ſed loquenti per has literas in perpetuum CHRISTO atque eius Apoſtolis. Quorſum igitur hic miracula?

Simul etiam hinc intelligimus, grauiſſime peccatum fuiſſe ab illis, qui ſecutis tractum temporis Apoſtolicum temporibus effinxerunt miracula: quae praeterea tam inepte fabricauerunt, vt cauſam Chriſtianae religionis non, quod quidem ſibi facere videbantur, adiuuarent, ſed proderent. Quo in numero praecipue reprehendi merentur Gregorius Nyſſenus, cognominis Thaumaturgi laudator, ac Sulpicius Seuerus, praeco Martini Turonenſis: vterque (p) miracula heroi ſuo

(p) Poſſunt hi duumuiri comparari per omnia. Par in vtroque eloquentia, par iudicii puſillitas, par ſuper-

ſuo tribuens, quae facta non eſſe, dubitare non poſſumus: ſeuero proinde, ſed vero debitoque (q) iudicio excepti a Chriſtianae prudentiae calentioribus. Inualeſcebat videlicet falſa illa opinio, nunquam eccleſiam carere poſſe miraculis: quam hodie tueri non deſinunt Pontificii Theologi, miracula recenſentes inter notas (r) Eccleſiae

ſuperſtitionis granditas & exſuperantia. Vterque etiam peſtilentem illam opinionem imbiberat, non ſolum mentiri, ſed etiam iurato mentiri fas eſſe ei, qui fictas fabellas adhibeat ad amplificandam DEI gloriam. Non igitur debebat G Arnoldus lib. VII. der Abbildung der erſten Chriſten cap 3. praecipiti credulitate excipere Martini Turonenſis & Gregorii Thaumaturgi miracula ſimilesque fabulas alias

(q) Vid Ven Moshemii *Inſtit. Hiſt. Chriſt. ſaec. IV. P. II cap 3.* § 14 *p.* 325 & 327. vbi eodem hoc carbone notat Hieronymum aliosque bene alioqui de Eccleſia meritos. Dodwellus etiam *Diſſ. Cypr. XI.* §. 64. Sulpicium illum vocat *virum fabulis addictiſſimum*, & Spanhemius *Comp. Introd. ad Hiſt. Eccl. p.* 143. *nimis credulum portentorum narratorem:* qui & Nyſſenum illum Gregorium *p.* 128. appellat *virum credulum nimium ac ſuperſtitioſum*, imo in maiori *Hiſt. eccl Saec. IV p* 920. *anilem* ei *credulitatem* tribuit. Ahr item Scultetus *Medullae Patrum p.* 888. Vitam Thaumaturgi a Nyſſeno ſcriptam vocat *ſomnium ſomniorum.*

(r) Vid. Gerhardi *Locus de Eccleſia* §. 271. *ſqq. T. V. p.* 1222. *ſqq.* & Seb. Niemanni Muſaeo Praeſide a. 1655. habita *Diſp de miraculis Eccleſiae Pontificiae*: vbi & §. 31. & 32. Auguſtinum adducit atque Chryſoſtomum, ingenue faſſos, aetate ſua ceſſaſſe in Eccleſia miracula.

ſiae perpetuas, atque hoc ipſo errore coacti narrare ſuis miracula etiam noſtri (s) aeui, quorum falſitatem ipſa ſua prodit mirabilitas & a Biblicis miraculis maxima diuerſitas.

Hoc tamen concedimus, imo contendimus, etſi DEVS iuſtiſſima de cauſa mittere ad nos deſierit legatos θαυματούργους, ſubinde CHRISTVM,

(s) Exempli cauſa vnum commemoramus Hiſpanum, Io. Patricium Fernandez, Ieſuitam, qui in libri *de Apoſtolicis miſſionibus apud Chiquitos, Paraquariae populos*, Latino ſermone Auguſtae Vindelicorum ſex abhinc annis editi, *p.* 161. narrat, Ieſuitam quendam ab hoſtibus circumdatum obiecta iis tela in ſe emiſſuris effigie Mariae effeciſſe, vt nemo eorum ex intento iam arcu eiicere telum vllum valeret: & *p.* 175. eundem telis petitum, cum Mariae geſtaret effigiem, adeo non eſſe vulneratum, vt etiam emiſſae ſagittae ſumma vi retro ſe in hoſtes conuerterent; & *p.* 190. ab eodem Diabolum ſcintillantibus oculis praeditum ita fugatum eſſe, vt horrendum eiularet in modum; denique *p.* 197. hoc Cevallerio a. 1711. ab adverſariis trucidato ipſa iumenta inceſſiſſe religionem, vt ſua ſponte per longam viam accurrerent, ac martyris huius corpus aſportarent. Caetera illius libri miracula recitare iure ſuperſedemus, hoc vnum tamen adiicientes e *p.* 275. & 276. quod a. 1729 in America Chriſtiani facti baptizatique ſunt a Ieſuiticis Apoſtolis 129668 ethnici. Quis talia fando temperet a ſatyra, eaque iuſta & pia? Scilicet, vt fatetur Rich. Simonius *Epiſt. ſelect T. II. n. XI p.* 80. multis Eccleſiae Pontificiae Theologis iuſtum habetur ac pium, ficta iactare miracula. Et quis ignorat afficta hodie a Ianſenianis Franciſco Pariſio miracula?

STVM, regem Ecclesiae, ea edere suae prouidentiae vigilantiaeque miracula, quae confirment hanc suam (t) praedictionem pariter ac promissionem: *Aduersus Ecclesiam meam non praeualebunt portae inferni.* Quantum est miraculum, olim rerum potientibus ethnicis, & omnem suam potentiam, omnem crudelitatem expromentibus ad eiiciendam orbe terrarum Ecclesiam, semper mansisse, semper viguisse ac in dies laetius effloruisse ciuitatem CHRISTI! Quantum miraculum, cum plurimum tenebratum obscurasset Ecclesiam, iusto DEI iudicio cathedras occupantibus doctoribus falsis, veramque Apostolicam doctrinam summa vi summaque arte opprimere studentibus, nullo tempore non esse diuinitus datos veritatis sacrae custodes (u) & praecones, qui & ipsi satis cognoscerent Christianam religionem & ad alios multos propagarent! Quantum miraculum, saeculo decimo sexto (x) frustra repugnantibus erro-

(t) *Matth. XVI.* 18. Conf. 1. *Tim. III.* 15.

(u) Vid. *Catalogus testium veritatis.*

(x) Recte & acute probus ille Lutheri discipulus, Ioannes Mathesius, in *Historia Lutheri f.* 185. & 186. hoc edisserit. Ex illo loco, qui legi dignus totus est, haec excerpimus: Der Tag der Zeichen und Wunder, so auf die Predigt des Evangelii folgen solte, ist vergangen, und Gottes Wort ist der gantzen Welt erschollen und kund worden. Da aber ja jemand Christi Wunderwerck gern sehen wolte, dem kan ich etliche fürstellen D. Luthers Lehre zu Ehren. Lasset dieses ein kräftiges Wunder und Göttliches unerhörtes Werck seyn, daß Ein Mensch sich wider das ver-

errorum doctoribus patronisque tyrannidi Romanae se subduxisse ingentem Christianorum partem, & ita suam constabiliuisse sacram rempublicam, vt regnum sibi debitum vindicaret verbum DEI! Quantum denique miraculum, postera quoque aetate nullas artes, nullas vires suffecisse ad redigendam rediuiuam Ecclesiam sub eius potestatem, qui nullo iure haberi se vult caput & principem Ecclesiae! DEI, DEI hos esse effectus, non humanae potentiae prouidentiaeque, luculentissime agnoscimus, nec possumus (y) non exclamare: מיהוה יצא הדבר, das hat GOtt gethan.

Agite, CIVES, recordamini nobiscum & expendite hoc tempore ista DEI beneficia, atque intensissimum solidissimumque gaudete gaudium, quod ad nos etiam peruenit doctrina illa, quam effusus hoc ipso anni articulo in Apostolos Spiritus sanctus toti manifestauit orbi, vt, quisquis

vermeynte Haupt der Christenheit auflehnet. - - Lasset diß ein groß und unerhört Wunderwerck seyn, daß ein kleines Davidlein einen solchen großen Goliath angreifet, und ungeschlagen davon kömmt. - - Diß Wunderwerck, daß Ein Mann die dreyfache Krone angreifet, und den rechten Gottesdienst wieder aufrichtet, und niemand ihm darüber ein Härlein krümmen kan, lasset, lieben Freunde, ein Wunderwerck seyn, dadurch D. Luthers Lehre von oben herab bekräftiget ist. Pertinent huc etiam, quae Saubertus scripsit *de miraculis Augustanae Confessionis*, Dorschaeus *de prouidentia Dei circa Augustanam Confessionem*, Heideggerus *de miraculis Ecclesiae Euangelicae*

(y) *Genes. XXIV. 50.*

quis in CHRISTVM crediderit, vitam habeat (hoc eſt, felicitatem) aeternam. Hic, o NOSTRI, hic eſt iuſtus feſtorum huius temporis dierum vſus & fructus. Hoc agentes erimus veri & ſapientiae & pietatis Studioſi. Hoc pacto Spiritus ille coeleſtis reget nos ac manuducet, noſtrisque pectoribus infundet (z) δικαιοσύνην καὶ εἰρήνην καὶ χαράν. Γείνοιτο.

P. P. die primo Pentecoſtes anni cIↃ IↃ CCXXXIX.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱o✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

XXIV.

PROGRAMMA (a) DE TESTIMONIO RESVRRECTIONIS CHRISTI ANGELICO.

D. G.

Nihil eſſe mortalibus poteſt iucundius, quam ſpes certa reditus in vitam, & in vitam quidem non ſolum beatiorem priori, ſed beatam perfectiſſime. Nec vero quisquam iure fouet hanc

(z) *Rom. XIV. 17.*
(a) Nomine Academiae ſcriptum.

hanc ſpem praeter Chriſtianos veri nominis: quibus quippe promiſſa eſt a CHRISTO vita poſt hanc vitam, eaque vita aeterna & tot tantisque cumulata felicitatibus, vt cumulatior eſſe nequeat. Fuit haec ſpes etiam illo aeuo ſolatrix piorum, quod aduentum FILII DEI in terrarum orbem anteceſſit: ſed poſtea, quam hic mortuus ſepultusque in vitam rediit, atque e noſtro mundo transiit in mundum illum mundiſſimum, nouum haec ſpes accepit robur, eoque magis mors, qua nihil eſt terribilius huius ſpei expertibus, facta eſt piis res expetenda, imo propterea quam auidiſſime expetenda, quod alia via non patet in coelum, in ſedem vitae felicitatisque perpetuae. Hac de cauſa dulciſſima ipſis eſt memoria reſurrectionis CHRISTI, & iucundiſſimi feſti illi dies, quibus templa domusque perſonant vocibus de CHRISTI reſurrectione deque ſecutura eam piorum reſurrectione beatiſſima.

Iam cum & noſtri moris ſit, hoc tempore ad vos, CIVES cariſſimi, verborum nonnihil facere de Salvatoris reſurrectione, contemplamini age nobiscum nunc teſtimonium huius reſurrectionis angelicum, & quidem reſurrectionis vtriusque. Non modo namque e morte & ſepulcro in terram reſurrexit, ſed poſtea etiam elapſis quadraginta diebus e terra reſurrexit in coelum. *Exii a patre*, inquiebat *Ioan. XVI. 28. & in mundum veni. Nunc rurſus excedo mundo & ad patrem abeo.* Et ipſe Ioannes *cap. XIII.* 3, ait, *exiiſſe CHRISTVM a DEO, &* poſt mortem ſuam

ad DEVM reuertisse. Vtriusque resurrectionis non ignoratis testes fuisse (a) binos angelos.

Facile iam animos nostros subit haec dubitatio, cur angeli a DEO missi fuerint & resurrectionis CHRISTI & adscensionis in coelum testes. Ad eius enim discipulos quod attinet, non erat iis necessarium hoc testimonium, cum CHRISTVS ipse subinde se conspiciendum exhiberet discipulis, & multis modis (b) confirmaret suum in

(a) Matthaeus & Marcus in historia resurrectionis vnum memorant angelum, Lucas & Ioannes duos. Priores scilicet vnum illum duntaxat nominant, qui loquebatur. Vid. Wolfius ad *Matth.* XXVIII. 2. & ad *Ioan.* XX. 12.

(b) Tantum abest, vt obiici discipulis possit praeceps credulitas, vt potius accusandi sint dubitationis male sanae. Erant enim inter eos, qui putabant, illis, qui CHRISTVM vidisse se & audisse testabantur, conspectum esse φάντασμα aliquod: atque id praecipue de Thoma relatum legimus. Conf. *Luc.* XXIV. 37. Imo nonnulli non quidem apostolorum, sed aliorum piorum, adscensurum iamiam CHRISTVM videntes, dubitabant, an hic verus sit CHRISTVS. Quod discrimen si venisset in mentem Bezae (id quod probe fecit Rusius in *Harm. Euang. T.* III. *p.* 1578. *sq.* & ante eum Gerhardus in *Harm. Euang. cap.* 216. *p.* 441.) hoc est, si apostolos a caeteris fratribus discreuisset, non esset ausus *Matth.* XXVIII. 17. pro οἱ δὲ ἐδίςασαν rescribere οὐδὲ ἐδίσταςαν. Ac merito fuit ob id reprehensus a Casaubono in *epistola* 133. editionis Graeuianae p. 151. Ἐδίσταςαν igi-

in vitam reditum. Non enim ſolum ſaepius ad eos veniebat, cumque iis colloquebatur cibumque capiebat, ſingularem etiam in modum expugnans Thomae incredulitatem, & praeterea tum e prophetis demonſtrabat, ſibi in vitam redeundum (c) fuiſſe, tum praecepta dabat de gerendo poſthac apoſtolico munere; verum etiam inſigni miraculo ſe iis manifeſtabat, plures ad ſatietatem vsque cibans (d) vno piſciculo & vno

igitur initio ipſi apoſtoli Luca teſte *cap.* XXIV. 11. & 41. Verum poſtea vna omnium vox erat, quae ex ore Thomae erumpebat *Ioan.* XX. 28: *Hic eſt* DOMINVS *&* DEVS *noſter.*

(c) Haud dubie etiam hoc tempore Petrus, Ioannes, & Iacobus mandati CHRISTI (*Matth.* XVII. 9) memores narrarunt condiſcipulis, quae viderant in monte & audierant, cum Moſes & Elias praedicerent (*Lucae* IX. 31.) τὴν ἔξοδον CHRISTI, hoc eſt, eius ex hoc mundo in coelum abitum, Eliae adſcenſioni in coelum ſimilem. Hoc ſenſu liber Moſis ſecundus appellatur *Exodus*, quia in eo deſcribitur Iſraëlitarum egreſſio ex AEgypto calamitatum perpetuarum plena in regionem beatiſſimam. Mirum videri poſſit, hunc huius ἐξόδȣ ſenſum fugiſſe interpretes loci huius. Sed non obſeruarunt ſcilicet, τὸ ἐν Ἱερȣσαλὴμ, quod adiectum eſt, dilatatiori ſenſu vſurpari, vt includatur, (id quod & *Lucae* XIII. 33 fit,) quicquid ἐγγὺς Ἱερȣσαλὴμ eſt: e quo loco adſcendiſſe CHRISTVM, Lucas docet *Act.* I 12.

(d) Non fuiſſe naturalem hanc cibationem, ſed miraculoſam, non ita pridem a me demonſtratum eſt in *Obſeruationibus ſelectis* a S. R. Bartholomaeo editis *T.* II. *p.* 517. ſqq.

paruulo pane, & vtroque quidem allato diuinitus. Tot ac tanta discipuli habebant praesentiae CHRISTI rediuiui, vt loquamur cum (e) Luca, τεκμήρια. Quorsum igitur, inquietis, testimonium resurrectionis CHRISTI angelicum? Nec adscensionis eius testes fuisse necessarios angelos dici potest, cum suismet oculis & apostoli omnes & magna reliquorum discipulorum multitudo cerneret eum e terra adscendentem in coelum.

Impios autem hoc angelorum testimonio tum de reditu CHRISTI in vitam, tum de eius adscensione in coelum, non fuisse flexos ad assentiendum, non est, quod miremur. Testes namque hi coelestes ad eos non adierant: quod quidem facturi fuisse videntur, si impiorum causa fuissent emissi. Testes autem huius angelici testimonii discipulos CHRISTI non absurde reiicere sibi videbantur CHRISTI aduersarii & interfectores: cum initio inter ipsos apostolos essent, qui fratrum sororumue hac de re testimonia parui penderent. Iam cum nec discipulis CHRISTI necessarium esset hoc angelorum testimonium, & apud hostes eius nullum haberet pondus, merito inuestigare studemus causam, qua permotus DEVS illuc misit hos angelos. Pia quidem certe est nostra haec curiositas, &, vt paulo post apparebit, eius exitus is est, vt gloria CHRISTI nouo quodam documento effulgeat.

Ob-

(e) *Act.* I. 3. Τεκμήριον Graecis dici signum infallibile & vim luculentae demonstrationis habens, Aristoteles docet *Rhet.* I. 2. 40.

Obſeruamus igitur primum, omnino non ideo miſſos eſſe hos angelos, vt crederent impii, & reuixiſſe IESVM & in coelum euectum eſſe, ſed ad ſolos CHRISTI cultores, & praecipue ad apoſtolos, venire iuſſos eſſe eos, vt ſcilicet hi non ſolum qualescunque dubitationis reliquias prorſus eiicerent animis, ſed etiam agnoſcerent ſummam DEI erga ſe gratiam, eiusque contemplatione magis magisque inflammari ſentirent ſuum erga DEVM amorem, ſuam DEI reuerentiam. Imo nec ipſe CHRISTVS eo tempore id ſpectabat, vt ſua rediuiui ἐπιφάνεια permoueret impios ad credendnm, ſe & e morte rediiſſe in vitam & ex hac terra per aërios aetheriosque campos transiiſſe in coelum. Norat quippe pro καρδιογνωσία ſua, tam dura eſſe adhuc eorum pectora, tam coecas mentes, vt, ſe non IESVM, ſed phantasma (f) IESV, vidiſſe, dicturi ſint. Ac iamdudum praedixerat (g) CHRISTVS, non fore, vt credatur a falſi nominis Iſraëlitis, ſi vel reſurgeret aliquis in vitam, & ad ipſos a DEO mitteretur. Quapropter non exhibebat ſe conſpiciendum niſi (h) ſuis apoſtolis & intimis diſcipulis, atque vltimo mundanae ſuae vitae die diſcipulis aliis quingentis.

(f) Sic Celſus philoſophus apud Origenem *lib.* VII. p. 353. credebat, non ipſum IESVM, ſed ſpectrum, vidiſſe eius diſcipulos.

(g) *Lucae* XVI. 31.

(h) Id aperte docet Lucas *Act.* I. 3. & X. 40. 41.

Nec vero manere in ἀπιστίᾳ volebat hostes suos, (absit, vt hoc Tertulliano (i) assentiamur & (k) Lactantio!) sed, horum vt vinceretur ad non credendum obstinatio, breui post faciebat apostolos suos doctores sapientissimos ac eloquentissimos summorumque patratores miraculorum: quae miracula intuiti plurimi non solum permovebantur, vt certissimum haberent, resurrexisse IESVM, sed etiam pro saluatore suo eum amplexarentur, totosque se ei dederent & consecrarent, summa fide eius doctrinas, summo obsequio praecepta eius prosequentes. Qui igitur non erant credituri, si corpus eius conspexissent sermonemque audissent, fidem ei habebant reuerso ad se per opera haud dubie diuina, per testimonia vitae suae deitatisque suae realissima & ad expugnandam τὴν ἀπιστίαν efficacissima.

Reuertimur nunc ad quaestionem illam, cur testes tum miserit DEVS angelos, quorum tamen testimonium dici possit apud IESV discipulos superuacaneum, apud eos, qui ipsum antea reiecerant, inutile & inefficax. Hoc ipsum vero viam nobis pandit ad responsionem iustissimam. Cum enim discipuli CHRISTI carere possent hoc ange-

(i) Hic in *Apol. cap.* 21. ideo nemini impio apparuisse rediuiuum CHRISTVM arbitratur, *ne impii errore suo liberarentur*, &, *vt fides, non mediocri praemio destinata, difficultate constaret.*

(k) Hic *lib.* IV. *cap.* 20: *Noluit* CHRISTVS, inquit, *se Iudaeis ostendere, ne adduceret eos in poenitentiam atque impios resanaret.*

angelorum teſtimonio, nec ad impios venirent coeleſtes illi teſtes, quid reſtat, quam vt agnoſcamus, angelos hos veniſſe ideo, quod id conveniret maieſtati eius, qui & reſurrexerat e ſepulcro & in coelum adſcenderat? Accedebant igitur hi vtriusque reſurrectionis teſtes propterea, quia id ἔπρεπε (l) DEO & eius aeterno filio. Cum enim CHRISTVM creatorem ac dominum ſuum reuerentiſſime colerent angeli, quam congruens erat, eos adeſſe ſubinde ſuo huic domino, & ſua ei praeſtare ſeruitia! Statim igitur cum naſciturus eſſet e virgine, eius, imo etiam prodromi eius, natiuitatem praedicebat angelus quidam. Nec ad ſolam Mariam, verum etiam ad ſponſum eius, coeleſtis veniebat nuntius. Natus cum eſſet, illico cohors & chorus angelorum id nuntiabat modo magnificentiſſimo. Non ita multo poſt, vt fugeret cum infante CHRISTO & matre Ioſephus in AEgyptum, mandatum DEI afferebat angelus: atque hic vel alius angelus eum poſtea reuerti iuſſit in patriam. Cum deinceps tanquam alter Dauid, imo heros Dauide immenſum in modum maior, de Goliatho illo infernali reportaſſet CHRISTVS victoriam, praeſto ei erant angeli tanquam victoris huius θεανθρώπου miniſtri, & hoc ipſo oſtendebant, ſuum hunc eſſe dominum, non, quae diaboli erat opinio, hominem ſerpentina ſua ſapientia ſuperabilem. Sub eius denique ex hac vita exitum, cum in ſummis animi anguſtiis tanquam piacularis victima in ocu-

(l) Vtitur hoc loquendi modo auctor *Epiſtolae ad Hebraeos cap.* II. 10.

lis haberet mortem ſaeuiſſimam, ei conſpectus in coelo (m) angelus robuſtiſſimo erat ſolatio. Quam decens

(m) *Lucae* XXII. 43. De hoc loco nuper a pluribus viris doctiſſimis diſputatum eſt in *Miſcellaneae bibliothecae Hamburgenſis T.* I. p. 518. ſeq. 520. ſeqq. 870 ſeqq. & *T.* II. p. 163. ſeqq. 275. ſeqq. 531. ſeqq 972. ſeqq. qui omnes credunt, angelum in terra ſtetiſſe CHRISTO proximum. Quod quidem falſum eſſe, nos non dubitamus. Dicitur enim angelus *apparuiſſe* CHRISTO ἀπ᾽ οὐρανοῦ eodem ſenſu, quo CHRISTVS 2. *Theſſ.* I. 7. extremo mundi die appariturus eſſe dicitur ἀπ᾽ οὐρανοῦ, hoc eſt, am Himmel, ſtans in coelo. Quo eodem modo apud Lucam *cap.* XXI. 11. portenta praenuntiantur ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ futura: quae dictio & apud Marcum occurrit *cap.* VIII. 11. Docet itaque Lucas, (haud dubie id edoctus a tribus illis Apoſtolis, quos teſtes angoris ſui CHRISTVS adſciuerat,) conſpectum eſſe a CHRISTO angelum in coelo, vti Stephanus videbat ſtantem in coelo CHRISTVM *Act.* VII. 55. & loquentem מִשָּׁמַיִם (in coelo & e coelo) angelum Hagar *Gen.* XXI. 17. Hic angeli conſpectus animum CHRISTI confirmabat *deſtituti deitatis in ſe habitantis virtute*, *humanaeque naturae relicti*, vti Grotius ad hunc locum cum noſtris Theologis loquitur. CHRISTVS enim περίλυπος cognoſcens hinc liquido, ſe curae cordique eſſe patri hunc angelum mittenti, nouum capiebat fortitudinis incrementum. Itaque non angelus, ſed conſpectus angeli, ſolabatur CHRISTVM. Cauſa, cur hoc non verbale, ſed reale ſolatium CHRISTO pater ſuus exhibuerit, profertur in verſu ſubſequenti: vbi καὶ ſignificat *nam*: quo ſenſu quam ſaepe vocula *&* cum in N. tum ſu V. T. oc-

decens iam erat, quam conueniens & Χριστοπρεπὲς, resurrectionis etiam eius testes ac praecones esse angelos, itemque gloriosae adscensionis in coelestem patriam!

Intelligimus hinc admodum perspicue, quid sibi voluerit Saluator, cum ipso sui manifestationls initio ad primos suos discipulos *Ioan.* I. 52. haec verba expromeret: Ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Nec praetereundum, proximis quoque post adscensum suum annis angelorum ministerio subinde vsum esse CHRISTVM. Nouimus enim, ab angelo emissos fuisse e carcere Petrum & Ioannem, & Petrum aliquo tempore post

occurrat, Noldius docet sub ו §. 37. similia alia quinque Lucae loca simul indicans.

Quam modo tuiti sumus sententiam, in ea iam fuit Ioannes d'Espagne, doctor Londinensis ecclesiae acutissimus, in *Operum* suorum p. 747. seq. versionis Germanicae docens, non accessisse hunc angelum ad CHRISTVM, sed in coelo conspectum solatio fuisse CHRISTO tanquam amoris paterni pignus. Cum autem ille tribus verbis suam sententiam protulerit, non pro eo, ac par erat, illustrarit, minus miramur, nullum, quod quidem sciamus, eam nactam esse subscriptorem. Nec nos ipsos, si antea, quam haec scripsimus, eius locum inspexissemus, permoturus fuisse videtur ad assentiendum. Dissentientis enim ab aliis nulla prolata causa & quasi ex tripode loquentis sententiam qui cupide facit suam, non veritatis, sed nouitatis prodit studium.

iterum; Philippum ab angelo iussum esse accedere ad aulicum reginae Candaces, eumque Christianum facere; angelum venisse ad centurionem Cornelium clementiae DEI nuntium; angelum denique Paulo indicasse, nec se nec nauigationis suae socios perituros. Quo, quaeso, alio tempore praestiterunt se tam λειτουργικὰ πνεύματα angeli? Scilicet proprium hoc fuit illius temporis, quo FILIVS DEI se mundo exhibuit factum hominem, regnique sui fundamentum posuit.

Sed reuertamur ad sermonem CHRISTI plerisque interpretibus non satis intellectum. *Nunc coeli porta*, inquit, *est aperta*, *quae clausa erat antea*, *hoc est*, *nunc*, *quod longissimo temporis spatio factum non est*, *fiet crebro*, *vt scilicet angeli de coelo in terram mittantur*, *& quidem propter* (n) *me & ad me*, *qui formam indutus serui esse videor* filius hominis, *sed* DEI *sum filius aeternus*, *creatorque angelorum ac dominus*, *adeoque seruitio eorum dignissimus*. Nec proinde credamus cum Martino Bucero (o) necesse est, vidisse discipu-

(n) Vocula ἐπὶ obscuritatis habet aliquid. Ac intactum reliquerunt hunc locum in *Lexicis* suis *N. T.* Pasor & Schwarzius. Ad seruitium vero & officium filio DEI praestandum cum missi fuerint angeli, id ipsum hic significari τῷ ἐπὶ, non est, quod dubitemus. Non solum igitur designat haec particula personam, ad quam, (vti *Act.* X. 11.) sed simul scopum & finem, propter quem facta est angelorum ablegatio.

(o) In *Comment.* ad hunc locum. *Indubie*, inquit, *vide-*

ſcipulos illos, quos CHRISTVS affabatur, ſuis oculis modo adſcendentes, modo deſcendentes ſuper CHRISTVM angelos. Hoc enim hic loci ſibi non vult verbum ὄψεσθε, ſed genetatim ſignat notitiam certiſſimam, atque ita reddi debet: *cognoſcetis partim veſtris ipſorum oculis, partim e digniſſimis fide teſtimoniis aliorum.* Qui quidem loquendi modus (p) nec Latinis nec Graecis nec Hebraeis (*) eſt inuſitatus. Eſt vero praeterea & hoc obſeruandum, ἀπ' ἄρτι non ſignificare *inde ab hoc tempore, quo vos alloquor*, ſed *inde ab illo tempore, quo Meſſias veni in mundum, vsque ad illud tempus, quo egreſſus fuero mundo & egreſſi quoque fuerint mei vicarii, apoſtoli.* Formula enim illa Graeca praeſens & praeteritum tempora coniungi ſolere, ſatis conſtat (q)

viderunt diſcipuli, quod eos viſuros eſſe CHRISTVS *hic promiſit: quanquam nusquam id nominatim memoret ſacra hiſtoria.*

(p) *Quid homines de genere mortis Scipionis ſuſpicentur, videtis*, inquit Cicero *de amic.* cap. 3. hoc eſt, auditis & fama accipitis. Quintilianus in Dialogo *de cauſis corruptae eloquentiae cap. 6: Vllane tanta voluptas, quam ſpectare homines conſitentes*, caetera. Moſes *Gen. VIII. 8: Emiſit columbam Noachus, vt videret, an aquae receſſerint. Numer. XXII. 2: Rex Balac viderat*, id eſt, fama nuntia cognouerat, *quae geſſerant Iſraëlitae adverſus Amoraeos. Matth. II. 16.* deluſum ſe eſſe a magis, *videbat* Herodes. Similia e Graecis ſcriptoribus loca Gatakerus profert haud pauca in *cap.* 48. libri ſui *de ſtylo Noui Teſtamenti.*

(*) Addo, nec nobis Germanis. Du wirſt es wohl ſehen, inquimus, hoc eſt, erfahren.

(q) inter eos, qui Graecas tractant literas. Apparet igitur satis, CHRISTVM apud Ioannem hoc docere, hoc esse tempus, quo pater suus, quod perdiu nunquam, antiquissimis temporibus admodum raro fecerit, frequenter missurus in terram sit angelos ad luculentius ostendendam eius maiestatem, qui tum homo erat humillimus: vt scilicet & hinc appareret, eum esse filium DEI & angelorum dominum, ad eiusque seruitia hos coelites esse paratissimos, nec esse quicquam conuenientius, quam vt ad se & propter se, cum descendisset in terram, subinde descenderent coelo serui sui nobilissimi deuotissimique.

Habetis, CIVES carissimi, causam, ob quam & resurrectionem CHRISTI e sepulcro & transitum in coelum subsecuta angelorum ἐπιφάνεια. Discamus nunc a priori angelorum pari, CHRISTVM esse (r) τὸν ζῶντα, esse vitam (s) ipsam, hoc est, & ab aeterno in aeternumque viuere, & vitam dare conseruareque viuentibus siue in hoc siue in altero mundo omnibus. A posteriori angelorum pari (t) doceamur, aliquando rediturum esse CHRISTVM. *Quid spectatis coelum,* inquiebant, *quo* IESVS *abiit? Abiit, sed non deseruit vos, piae animae. Ita abiit, vt maneat vobis-*

(q) Pluribus hoc edisserit Gottfr. Olearius in *Obs.* XXXI. *ad Matthaeum* §. 3. 4. 5.

(r) *Lucae* XXIV. 5.

(s) *Ioan.* I. 4. & XIV. 6. itemque 1. *Ioan.* I. 2.

(t) *Act.* I. 11.

vobiscum (u) *perpetuo. Non tam abiit, quam* (x) *praeiit, rediturus olim, ac tum vos euecturus* (y) *in coelum, secum futuros in perpetuum summaque & voluptate & gloria fruituros.* Cauete vero ad vos pertinere putetis augustam hanc promissionem, qui caretis amore CHRISTI nascentique hinc (z) pietate totius vitae. Redibit quidem & ad vos CHRISTVS, sed redibit iudex seuerissimus. Non vos adscendere iubebit in coelum, sed in sedem descendere damnatorum spirituum. Cogitent hoc, qui Academiarum, quae Spiritus sancti debent esse officinae, haud exiguam partem reddunt officinam daemonum: qui non CHRISTI sunt serui, sed infernalis Antichristi. Huius enim serui sunt, qui pietatis omisso studio caecis obsequuntur cupiditatibus & securissime spernunt leges supremi domini. Hi si non resurgent in hac vita e morte peccati ad vitam sanctam, eos certissimum est nec post hanc vitam resurrecturos esse ad vitam beatam. Fugite igitur, fugite, o NOSTRI, (a) τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, & estote iuuenes (b) fide robusti, verboque DEI tanquam gladio armati vincite diabolum. Obite conciones horum dierum sacras cupidissimi audiendi, quae dicentur de CHRISTO, qui (c) *mortuus est propter peccata nostra,*

(u) *Matth.* XXVIII. 20.
(x) *Ioan.* XIV. 3.
(y) 1. *Thess.* IV. 17.
(z) *Ioan.* XIV. 23.
(a) 2. *Tim* II. 22.
(b) 1 *Ioan.* II. 13. 14.
(c) *Rom.* IV. 25.

nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vos vero, *qui dormitis,* (d) *expergiscimini,* & e mortuis reddimini viui per *illuminationem* CHRISTI. Desinite vitam viuere ethnicorum, qui (e) *tenebris obscuratas habentes mentes carent vita* DEI. At vos e nostris, vos, qui CHRISTVM toto amatis pectore, qui resurrectionem eius recordamini laetissima cum spe vestrae ad aeternam vitam resurrectionis, *orate* (f) DEVM, *patrem domini nostri*, IESV CHRISTI, *vt per Spiritum suum vos corroboret in dies magis, vt* CHRISTVS *habitet in vobis vsque ad mortalis huius vitae exitum.*

P. P. dierum Paschalium primo ↀↄ Iↄ CCXLVI.

XXV.

PROGRAMMA
DE
TITVLO
DEI GRATIA.

D. G.

Non alienum duxi iis temporibus, quibus natalis REGIS publice Musis concelebrandus fuit nostris, regalium titulorum exponere historiam

(d) *Eph.* IV. 14.
(e) *Eph.* IV. 17. 18.
(f) *Eph.* III. 14. 16.

riam diligentius, & ex vltima antiquitate repetere, quae ſatisfacere poſſe viderentur curioſis harum rerum lectoribus. Primo igitur loco de PATRIS PATRIAE, tum de AVGVSTI, deinceps de SERENISSIMI, nouiſſime de DEFENSORIS FIDEI titulo diſſerui. Nunc, ſummam nactus opportunitatem, quis primus Princeps nomini ſuo adſcripſerit DEI GRATIA, & quo tempore id moris factum ſit publici ac perpetui, inueſtigabo, nec omiſſis caeteris, quae huncce in locum iuſte commodeque referenda viſa fuerint.

Primum itaque obſeruo, ethnicos Imperatores ac Reges hoc more nunquam vſos fuiſſe, & inter Chriſtianos Principes primum id par verborum nomini ſubieciſſe ſuo Pipinum, Caroli M. patrem. Seldenus (a) quidem, Carolo M. primo in mentem veniſſe putat vti hoc titulo. At errare virum eximium, Pipini manifeſtum facit epiſtola, inter Bonifacianas nonageſimum ſextum tenens locum, cuius hoc eſt exordium: *Pipinus, Gratia DEI Rex Francorum.* Ac facile apparet, Pipinum eo tempore non maieſtatis, ſed humilitatis Chriſtianae hunc eſſe voluiſſe titulum: id quod & Mabillonius agnoſcit, ipſum iudicans (b) ſignificatum voluiſſe, *ſe extraordinario modo perveniſſe ad regnum*, hoc eſt, ſingulari DEI gratia. Si quaeris, cur haec, non alia verba Pipinus ſuo appoſuerit nomini, ipſa collocatio verborum (non enim *Dei gratia*, ſed *Gratia Dei* ſcripſit,) mihi

(a) Lib. I. *de titulis honorum* cap. 7. §. 2. p. 130.
(b) Lib. II. *de re diplom.* cap. 3. §. 6.

mihi perſuadet, feciſſe id eum imitatione Pauli apoſtoli, priore ad Corinthi Chriſticolas (c) epiſtola ita ſcribentis: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Ipſa enim haec Paulinorum verborum interpretatio exſtat in Latino ſacrorum librorum codice, quem *vulgatum* vocant, quique iſto aevo ſolus erat in manibus hominum. Quam igitur modeſtiam animi, bona quaeuis ad ſolum DEVM auctorem referentis, oſtenderat apoſtolus, ea ſe quoque praeditum eſſe, pie docere (d) conabatur Pipinus. Nec ſuffragari poſſum anonymo (e) cuidam auctori, qui leui quadam coniectura nixus docet, Romani Pontificis inſtinctu epiſcopos ſuaſores fuiſſe Carolo M. vt hoc titulo vteretur, ſignificaturus ſcilicet, regna ſe ſua tenere Papae, vicarii DEI, gratia & beneficio. Etſi enim, cuius rei teſtis eſt (f) Io. Bodinus, anno demum 1468. Senatusconſulto Francorum decretum fuit, *ne quis regiam poteſtatem ab arbitrio Pontificum pendere exiſtimet;* tamen non

(c) Cap. XV. 10.

(d) Eam quoque ſententiam fuiſſe exiſtimo cuiusdam in Anglia reguli, quem ſimili titulo lingua Saxonica vſum aliquando fuiſſe, teſtis nobis eſt Seldenus loco laudato.

(e) In *Obſeruationibus ſelectis*, Halae Germanica lingua editis, T. III. Diſſ. IX. §. 20. p. 254. ſq. Tota iſta Diſſ. agitur de titulo *Dei gratia*, de quo etiam Frid. Geislerum, Prof. Lipſ. duas edidiſſe Diſputationes, relatum legi: quas quidem videre mihi non contigit. Eodem de titulo longus eſt Celeb. Pfeffingerus *Vitriarii illuſtrati* Lib. I. tit. IV. p. 392. - 400.

(f) Lib. I. *de rep.* cap. 7. p. 166.

non eſt, cur, quam modo diximus, ſententiam comprobemus, praeſertim cum veri multo ſimiliorem inuenire nobis licuerit.

Poſt Pipinum a Carolo quoque M. id tituli vſurpatum fuiſſe *fere perpetuo*, obſeruatum eſt (g) Mabillonio: qui cum (h) addit, nec nunquam Carolo M. placuiſſe titulum *Imperatoris a DEO coronati*, *&* *per* (i) *miſericordiam DEI Regis Francorum*, animaduertere ſimul poterat, priorem titulum etiam in Impp. Conſtantinopolitanorum, quorum aetas praeceſſit Carolum, nummis (k) occurrere, adeoque horum exemplum Carolum eſſe ſecutum. Poſt Carolum hunc ſubinde quidem occurrit iſte ſummorum Principum titulus, non tamen ante annum MCC eum fuiſſe ordinarium (kk) perpetuoque vſurpatum, Seldeno (l) cre-

(g) Loco cit. §. 7. Epiſtolam quandam Caroli M. in qua ſe appellat *Dei gratia Francorum Regem*, exhibet etiam Launoius libri *de ſcholis a Carolo M. inſtauratis* cap. 1. p. 5. Idem tamen Imperator in titulo operis *de cultu imaginum* ſe appellat *nutu Dei Regem Francorum*.

(h) §. 7. & 8.

(i) An hic Paulum Carolus M. ſecutus ſit praeeuntem 1 Tim 1. 13. alii iudicent.

(k) Vid Caroli du Freſne libellus de Impp. Conſtantinop. nummis §. 29.

(kk) Vnde modo haec verba, *Dei gratia*, modo iſta, *Diuina fauente gratia*, *Diuina ordinante prouidentia*, ſubiiciebant nominibus ſuis. Vid. Becmannus *Notit. dignit.* Diſſ. I. c. 3. §. 6. p. 26. & Pfeffingerus loc. cit.

(l) p. 130.

credere fas videtur. Quo vero tempore id vsuvenit, non humilitatem solam significatum iuerunt Principes, sed maiestatem nulli mortalium obnoxiam, solique DEO subiectam, siue, vt Seldeni (m) vtamur verbis, *dependentiam nonnisi a solo Deo.* Vere igitur (n) Duarenus ICtus Gallorum Regem ideo hoc vti docet titulo, *quod nullius hominis, sed solius Dei gratia Rex sit.* Superbiam proinde, non piam modestiam interpretati sunt Galliae Reges, vbi suo subiectorum imperio Principum quispiam illud verborum par adscribere nomini suo sustinuit. Regem Carolum VII. ingenti ira incensum fuisse, cum quidam Armaniaci Comes se *Comitem Dei Gratia* diceret, quippe cum *solis supremis Principibus hoc titulo vti fas esset ad indicandum supremum dominium,* Ioan. Bussierius refert in *Historia* sua (o) *Franciae.* Idem (p) alio loco memoriae prodidit, Ludouicum XI. Francisco, Britanniae Duci, mandari iussisse, *ne se Dei Gratia Ducem inscriberet.* Quam eandem rem exponens Franciscus Belcarius (q) addit, *Ducem illum hisce verbis infitiari visum esse, se esse Regis beneficiarium, solique Deo, non Regi, acceptum ferre Ducatum suum.* Testis etiam Hoffmannus est in *Lexico vniuersali*, quendam Henrici M. filium naturalem, cum Armoricanum nactus Ducatum isto titulo vsus esset, postulatum fuisse

(m) Cap. 2. p. 126.
(n) *Comment. ad consuetud. feud.* cap. 1.
(o) Lib. XII. cap. 26. p. 509.
(p) Lib. XIII. cap. 6.
(q) *Comment. rerum Gallic.* lib. I. §. 14. ad a. 1464.

fuiſſe a Ludouico XIII. perduellionis, quod *crimen* vulgo vocant *laeſae maieſtatis.* Etiam Platina in Vita Innocentii VI. ſcriptum reliquit, illo Pontifice Franciſcum quendam Baroncellum, ciuem Romanum admodum potentem, tribunitiam dignitatem ſibi vſurpaſſe, adſcito titulo *Dei Gratia almae vrbis tribuni;* ſed breui Pontificem hominis audaciam compreſſiſſe, eumque interficiendum curaſſe. Arauſionis hinc Principi celeberrimus ICtus (r) inde praeter caetera aſſerit imperium ſummum, quod & conditor iſtius Principatus & omnes eius ſucceſſores nemine refragante vſi ſint titulo *D. G.* Ac Germaniae quoque Principum ex eo elucet dignitas, quod iſto ſolent vti titulo, & hoc pacto (s) oſtendunt, ſe ſuarum regionum tantum non Reges eſſe, ſolique Imperatori ſubiectos tanquam *Status* Rom. Germ. Imperii, non tanquam *ſubditos* & *officiales.*

Quando igitur antiquo quodam tempore vſitatum fuiſſe traditur, vt *quiuis* (t) *fere ſeu laici*

(r) Io. Petrus Ludewig, Prof. Hal. Diſp. *de Arauſione ſupremo imperio vindicata* §. 6. p. 22.

(s) Vid. Furſtenerius, hoc eſt, Leibnitius lib. *de iure ſuprematus Principum Germaniae* cap. 24. p. 76. & anonymus quidam in Meieriano *Corpore Iuris Apanagii* p. 407. Nuper etiam Io. Breualius Anglus, *Itinerarii* ſui T. II. p. 65. obſeruauit, Burgundiae Duces olim eſſe hoc vſos titulo: *Dux & Rector Burgundiae, Dei & Imperatorum Gratia.*

(t) Ita ſcribit Freſneus *Gloſſ. Lat.* v. *Dei Gratia.* Bodinus

ci seu ecclesiastici ordinis praeponerent hunc titulum titulis suis honorariis, cognoscamus oportet, modestiae (u) scribentium id concessum fuisse: etsi facile se prodit nonnullorum (x) arrogantia & maiestatis affectatio, aliis dubium relinquentibus, Pauli apostoli exemplo, an animo quodam regio, id facerent. Lutherum vero, cuius animum ab omni vanitate remotissimum fuisse compertum habemus, facile excusamus, cum quodam

dinus quoque lib. I. *de rep.* cap. 10. p. 269. seq. ait, titulo *D. G.* olim vsos esse non solum Duces Galliae, sed etiam minimos magistratus ac legatos. Nobiles etiam quosdam eo vsos fuisse titulo, illustris vir, Io. Petrus de Ludewig docet T. V. *Reliquiarum MSS.* p. 264. Vt omittam Comites Germaniae, inter quos Waldecciae Comites nunquam id non fecisse, discas licet e Celeb. Hahnii *Collect.* T. I. p. 811. 813. 814. 815. 826. 837.

(x) Vnde cum Ant. Dadinus Alteserra lib. III. *de Duc. prouinc. Gall.* cap. 5. exhibuisset exempla Principum inferioris ordinis & Regibus subiectorum, qui titulum *D. G.* adscripserunt suo nomini, Ludewigius in superius laudata Diss. p. 23. distingui recte iubet stylum priuatum a publico, & priuatam pietatem a solenni vsu huius tituli.

(x) Aliis permitto iudicium de Episcopis & Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris, quibus vti isto titulo visum fuit. Exempla si quaeris, adi Seldenum §. 2. p. 127. sqq. Becmannum *Notit. Dign.* Diss. XII. cap. 2. § 7. p. 433; Thomam Capuanum, saeculi XIII. Cardinalem, in *Dictatore* suo, hoc est, Arte epistolica, nuper a Celeb. Hahnio in lucem prolata, p. 283 - 287; Bibliothecam Bremensem T. VIII. p. 249.

dam tempore ſe nominauit (y) *Euangeliſtam Dei gratia*: nec dubitamus bonum item ſenſum tribuere Ioanni cuidam Baptiſtae, qui recordatus diuini beneficii, quo e Iudaeorum ſchola in caſtra CHRISTI traductus fuit, nomini ſuo ſaepius ſubiunxit *Dei gratia* in *Confutatione* (z) ſua *ſectae Iudaicae* a. 1500. emiſſa. Quem in modum etiam Otfridus *Hiſtoriae* ſuae *Euangelicae* haec verba praeſcripſit: *Incipit liber Euangeliorum, DOMINI GRATIA Theotisce conſcriptus.* Nec ſuperbo animo feciſſe videtur, qui, vt Pezius refert in *Praef.* ad *Theſ. anecdot. T. I. p. 87.* ita libro ſuo praeſcripſit: *Ioannes, Dei gratia in Wurzburgenſi Eccleſia id, quod eſt.* Nec magis accuſare hos aequum fuerit, quam eos, qui maximo numero vtuntur praenomine *Ioannis*, quo *Dei gratiam* ſignificari (a) nemini cuiquam obſcurum eſt.

Ad TE nunc ſuppliciter accedere mihi liceat, DEI GRATIA REX BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE, DEFENSOR FI-

(y) Vid. Becmannus §. 8. p. 28; Celeb. Bierlingius Diſſ. *de officio Euangeliſtae* p. 10; Seckendorfius *Hiſt. Luth.* lib. I. §. 123. n. 1.

(z) Vid. Celeb. Wolfius *Biblioth. Hebr.* T. III p. 354. Minus iuſte igitur illum Baptiſtam hoc nomine notauit Becmannus §. 8. p. 188.

(a) Vid. Georgius Paſor in *Etymis nominum propriorum* p. 37. ſcribens, *Ioannem* idem eſſe, quod *Dei Gratia.* Dignum & cognitu eſt, in America eſſe oppidum quoddam, cui Hiſpani nomen indiderunt *Gratia a Deos, id eſt, Dei gratia.* Vid. Morerii *Diction.*

FIDEI, eademque DEI GRATIA PRINCEPS ELECTOR GERMANIAE, DVX BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS, DOMINE MVLTO CLEMENTISSIME. Non ſummo ſolum iure, ſed ſumma quoque pietate TE appellas DEI GRATIA REGEM, hoc eſt, eo titulo non tantum ſignificas TVAM maieſtatem, omni humano imperio ſuperiorem, verum etiam piam TVAM humilitatem. Agnoſcis, DEI gratiae TVA TE regna, TVAS prouincias, debere, a DEO TE praefectum eſſe tantis opibus, conſtitutumque patrem ac paſtorem immenſi populi. Agnoſcis, a DEO TIBI datam eſſe tam praeſtantem vxorem, nulli vllius aeui Reginarum ſecundam, datos tam multos tamque fulgentes omni virtute liberos, tam amantes & obſequii gloria florentes ciues, tam fideles tamque ſapientes adminiſtros, tam validos fidosque ſocios, tam fortes tamque copioſos terra marique exercitus. Nec vero praeteritam ſolum innuis diuini Numinis gratiam, cum TE REGEM DEI GRATIA appellitas, ſed praeſentem quoque, ſed futuram etiam. Quo pacto TE in poſterum quoque committis commendasque *DEI gratiae*, eaque fretus omnes officii regii partes exples cumulatiſſime, Regibus ſcilicet ab omni poſteritate annumerandus non potentia ſolum, ſed virtute maximis. Nos quoque, qui TVIS auſpiciis (TV quippe non modo DEFENSOR es FIDEI, ſed & APOLLO DEFENSOR (b) ſalutari dignus,) bonas

(b) Titulus hic exſtat apud Gruterum *Inſcript.* p 39. n. 9.

bonas reique publicae salutares hoc in Gymnasio colimus literas, hodierno die, qui diuino beneficio TVAE TE dedit patriae, futurum perdiu ipsius & plurium regnorum Patrem ac Rectorem, inter tot aliorum ciuium vota nihil TIBI aliud pie apprecamur, quam DEI GRATIAM. Paulus ac Petrus, summi Numinis legati sanctissimi, suae religionis sociis, ad quos scribebant, omnia bona apprecaturi apprecabantur DEI GRATIAM. Ac sane, REX AVGVSTISSIME, *sufficit* (c) *TIBI gratia DEI*, quicquid est vel TIBI vel TVIS salubre, complectens. *Si* namque *DEVS* (d) *pro TE, quis contra TE? Haurias* (e) igitur *tanquam Rex optimus gratiam a Domino*, & semper *in TE* (f) *sit DEI gratia!* Caeterum fiat quoque TVA pace & indulgentia, REX, vt aliquot Orationibus natalem hunc TVVM sanctissimum celebret hoc TVVM Gymnasium, vtque quatuor bonae spei iuuenes, pro concione literata dicant, primus *de ominibus felicicatis publicae*, quae TE regnum ineunte se nobis & conspicienda praebent & admiranda; alter supplicem gratulationem hoc natali die TVO Numini Maiestatique admoueat; tertius virtutes REGVM cardinales, sapientiam, clementiam, iustitiam, fortitudinem contempletur, simulque exemplis confirmet, potissimum clementia erga literarum professores gloriam Regum reddi immortalem;

 quar-

(c) 2. Corinth. XII. 9.
(d) Rom. VIII. 31.
(e) Prouerb. XII. 2.
(f) Luc. II. 40.

quartus carmine Germanico doceat, TIBI, GEORGI SECVNDE, ita esse secunda omnia, vt felicissimus REX, felicissimus MARITVS, felicissimus PATER sis habendus. VIVE, REX, VIVE, VIVE!

Vos denique rogatos volo quam officiosissime, Gottingae nostrae praesidia partim, partim decora, Viri omnium ordinum spectatissimi, crastini diei hora secunda pomeridiana vt in auditorium nostrum supremum conuenire, Orationesque natali Regio sacratas beneuolentissimis excipere dignemini auribus.

P. P. Gottingae d. IX. Nou. cIↃ IↃ CCXXVII.

APPENDIX.

Inepte iudicat Hobbesius in *Leuiathanis cap. 44. p. 291.* titulum hunc: *Dei gratia Rex*, significare, Reges regnum suum non a DEO accipere, nisi per DEI vicarium, Papam.

De *Episcopis*, qui olim suo nomini subscribebant *Dei gratia*, vid. Richerii *Hist. Conciliorum generalium lib. I. cap. 10. §. 11.* In Gudeni *Diplomatum* Tomo primo non solum *Episcopi* deprehenduntur nomini suo praefixisse D. G. sed etiam *Abbates p.* 27. 38. 129. 138. imo & *Praepositi p.* 134. & 158. In Baluzii *Miscell. T. IV. p.* 459. quidam Abbas ad S. Bernhardum ita scribit: *Bernardo, Dei gratia Clararum vallium Abbati.* Vid. ibidem *T. V. p.* 272. 273. 279. 295.

In

In iisdem *Miscellaneis lib. VII. p.* 227. & 263: *Ego Wilhelmus, Gratia Dei Normannorum Comes.*

De *Comitibus* Wunstorpiensibus idem apparet ex Polycarpi Leyseri *Historia illorum Comitum*, & quidem e *Diplomatibus p.* 45. 49. 50. 52. 54. 58. 61. & 65. editionis secundae productis.

Schurzfleischius *Epist.* 210. *p.* 282. refert, se vidisse membranam anni 1323. in qua Gebhardus Portfeldius ita scripsit de se: *Dei gratia. Commendator in Sublinburg.*

XXVI.
PROGRAMMA
DE
TITVLO
PACIFICI.

D. G.

Inter tot summis orbis rectoribus imposita cognomina principem mereri locum titulum PACIFICI, cum auctoritate omnium eminentissima, tum rationibus clarissima luce radiantibus, facile confirmauero. Auctor scilicet huius sententiae mihi is est, cui refragari non impium solum est,

ſed inſanum. DEVM dico, qui cum Dauidis, cariſſimi ſibi Regis, filio, principatum regiarum laudum conſecuturo, nomen omnium maxime regium eſſet inditurus, SALOMONEM eum, hoc eſt, PACIFICVM, appellatum voluit. Verba ſummi Numinis (a) hunc in modum reddidit vetus ille interpres: *Filius*, *qui naſcetur tibi*, Dauid, *erit vir quietiſſimus. Faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum. Et ob hanc cauſam PACIFICVS* (b) *vocabitur: & pacem & otium dabo in Iſraël cunctis diebus eius.* Ac eſſe hunc titulum optimo quoque Rege digniſſimum, contemplatio regii muneris ita facit manifeſtum, locus vt nullus relinquatur dubitationi. Cum enim in ſtatu naturali, quem philoſophi vocant, omnium inter ſe bellum futurum eſſet perpetuum, conditae ſunt ciuitates eo conſilio, vt PACE fruatur humanum genus, hoc eſt, vt ſua cuique vita, ſuae cuique opes tutae ſint ab hominum humanitatis expertium iniuriis. Pax illa in internam & externam diuidatur neceſſe eſt. Primum quippe ciuis a ciue, deinde ciuitas a ciuitatibus caeteris vt tuta ſit, Regi elaborandum eſt. Quorum alterum is conſequitur iuſtiſſimas ferendo leges, earumque violatores grauibus perſequendo poenis; alterum, nihil iniuriae vicinis inferendo, foedera cum pacis ſtudioſis

(a) 1. Paral. XXII. (al. XXIII.) 9.

(b) *Salomon*, *qui PACIFICVS interpretatur*, inquit Carolus M. lib. I. *de imaginibus* cap. 20. p. 124. Ita, & Prudentius *Paciferum* appellat Salomonem Pſychom. v. 807.

ſis principibus ciuitatibusue ineundo, exercitus denique terrorem inimicis incuſſuros ſemper habendo in promtu. Interna illa pax rurſus alia ciuilis eſt, alia religioſa. Nam cum, quae mentium humanarum eſt caligo, non idem de cultu Numinis ſentiant omnes, regalis eſt prudentiae, non modo fouere ingenia veritati exquirendae oppugnandisque erroribus idonea, verum etiam prouidere, ne falſarum religionum antiſtites e ciuibus hoſtes faciant & rem collabefactent publicam. Apparet hinc lucidiſſime, nihil aliud Regi bono menſuramque ſui muneris impleturo propoſitum eſſe, niſi PACEM. Apparet indidem, minus ex vero iudicare Alexandros, cum hoc demum regium (*) eſſe exiſtimant, bello inflammare orbem, famamque & imperium armis extendere quam fieri poteſt longiſſime. Apud vulgus quidem mortalium ea res habet admirationis plurimum, at nihil gloriae apud ſapientes. Quorum e numero Philiſcus quidam ita magno illi Alexandro praecepiſſe (c) legitur: *Fac incumbas ad gloriam. Nec vero ſis peſtis vel magnus aliquis morbus, ſed PAX, ſed ſanitas. Peſtilentiae enim eſt, crudeliter imperare, ciuitates expugnare, gentes exſcindere. Contra pax & ſanitas ſummam afferunt ciuitatibus felicitatem.* Recte

(*) Ludouicum XIV. morti proximum poenitentiam egiſſe vitae ſuae bellicoſae, ſucceſſoremque ſuum adhortatum eſſe, vt ne ſuum ſequatur exemplum, ſed rex ſit *pacificus*, refertur in *Memoires du regne de George I. Tome II. p. 146.*

(c) Apud AElianum *Var. hiſt.* lib. XIV. cap. 11.

cte vero Philiſcus ille ſanitatem pacemque coniunxit. Eſt enim ſanitas pax humorum corporis; pax eſt ſanitas corporis, vt ita dixerim, politici. Non itaque inſcite templa poſuerunt & SANITATI & PACI veteres Romani, ſatis videlicet intelligentes, homini ſanitate, hominibus, hoc eſt, ciuitati, pace, ſi externa bona circumſpicias, nihil quicquam eſſe optabilius. Eosdem, Romuli dico nepotes, vetuſta monumenta docent HERCVLEM coluiſſe PACIFERVM & APOLLINEM PACIFERVM. Supereſt Romae inſcriptio HERCVLI PACIFERO dicata, productaque a Tomaſino in egregio *de donariis* (d) opere: qui & veterem (e) laudat lapidem, Pataui ſuperſtitem, ita inſcriptum: DEO SANCTO APOLLINI PACIFERO. Sic enim legi oportere pro PACI. ERO, liquido apparet: vt mirer, Tomaſino id non fuiſſe animaduerſum. Quid? GENIVM PACIFERVM, MINERVAM PACIFERAM, SOLEM PACIFERVM exhibent Inſcriptiones (f) Reineſianae. Quod cum ita ſit, mirari poſſis, Romanos non poſuiſſe inter virtutum nomina *pacificentiam*, niſi conſtaret, Martis eos videri voluiſſe progeniem, atque, vt vere olim Britannus quidam, nomine Galgacus, de iis (g) ſentiebat, *auferre, trucidare, rapere, falſis*

(d) Cap. 23. p. 169. Alia inſcriptio *Herculem Paciferum* exhibens conſpici poteſt apud Gruterum p. 49. n. 1; alia p. 1013. n. 4.

(e) Cap. 22. p. 165.

(f) Lib. I. n. 166. 228. & 236.

(g) Apud Tacitum *Vita Agricolae* cap. XXX. 7. Exſtat etiam

ſis nominibus IMPERIVM, atque, vbi ſolitudinem facerent, PACEM appellaſſe. Nec indignum eſt obſeruatu, in Gruteriani Indicis, *Corpori Inſcriptionum* ſubiecti, capite XIII. quod *epitheta,* hoc eſt, cognomenta, *Imperatorum* permagno numero exhibet, ne ſemel quidem occurrere titulum *pacifici:* quaſi vero vel nulla haec vel omnium poſtrema Principis laus ſit. Nec tamen defuerunt inter Romanos illos Principes, qui perſpectius ſaperent, paceque danda ſeruandaque optime conſuli ſui populi rationibus arbitrarentur. Qui non plane hoſpes eſt in hiſtoria Romae, continuo recordabitur Numae, quem ſuo merito *pacificum* vocauit (h) Martialis; Auguſti item, Veſpaſiani, Probi, Antonini Pii, &c, vt pluribus nominandis ſuperſedeam, Hadriani, de quo praeclara haec exſtat vox (i) Pauſaniae: *Is & Deum vnus omnium religioſiſſime colit, & populorum, quotquot ipſi parent, felicitati quam maxime conſulit, nec vllum bellum niſi inuitus ſuſcipit.* At horum tamen nemo affectus fuit cognomine *pacifici:* niſi quod *pacatorem orbis* appellitatum eſſe (k) legimus Imp. Septimium Seuerum. Nec poſterior aetas hoc elogio mactandos cenſuit Reges ſuos: imo minuendi honoris cauſa nonnullis Principibus, quorum nec vires bellis gerendis pares erant,

etiam Alberici Gentilis liber *de iniuſtitia armorum Romanorum.*

(h) Lib XII. epigr. 63.

(i) Lib. I. *Graeciae* p. 9.

(k) in Gruteri *Inſcriptionibus* p. 56. n. 5. & 6; p. 262. n. 9; p. 266. n. 3; & p. 267. n. 2. 3. 4. & 6

erant, ita nominari contigit. Certe saeculum decimum quintum inter Saxoniae Duces *Fridericum Pacificum* (l) exhibet, inter Duces Brunsuicenses *Henricum* (m) *Pacificum*, eodem sensu, quo hominem simplicem modestiores *probum* vocant, &, quod vel falsa ecclesia credit, credentes *orthodoxos*. *Amadeus* quoque, primus Sabaudiae Dux, postea factus Papa adscito *Felicis V.* nomine, nonnisi iocose cohonestatus esse videtur cognomine *Pacifici*. Nec magnae laudi est Imp. *Friderico tertio*, quod *pacificus* a quibusdam scriptoribus fuit appellatus. Addunt quippe (n) alii, *plus aequo negligentem*, *desidiosum & tardum* eum fuisse. Alia sane & melior mens erat iis, qui Carolum M. vocabant *Imperatorem* (o) *pacificum*:

(l) Germanice vocabatur Der Einfältige. Vid. Speneri *Sylloge Geneal. Hist.* p. 327. & Glafey *Hist. Sax.* p. 101. & 111. Vix est, quod in memoriam revocem lectoribus, Germanicum illud nomen *Friderici* significare *hominem pacificum*.

(m) Eidem inditum fuisse *Pii* cognomen, ex Matthiae Bergii *Historia* versibus contexta *Ducum Brunsuicensium*, Retmeieriano *Chronico Brunsuicensi* inserta, disco, & quidem e p. 983. De Pacifico illo Henrico Celeb. Rethmeierus luculenter disserit operis laudati *P. III. cap* 53. nec *Sylloge* Speneriana lectorem dimittit hiantem p. 524. sq

(n) Vid. Struuii *Synt. Hist. Germ.* Diss. XXX. §. 2. p. 1019

(o) Ita ei acclamabatur a populo, cum Leo Papa Imperatorem eum creasset. Testis est Platina in *Vita Leonis III.* f. 128. b. & ante eum Regino *lib. II. Chronic.* ad a. 801. atque ad eundem annum Siffridus presbyter.

cum: imo ipſi illi Carolo, cum in diplomate quodam, quod Mabillonius (p) aeri inciſum exhibet, ſemet ipſe nominabat *pacificum Imperatorem*. Sed, ſi ducem ſequimur hiſtoriam, multo verius eum *bellicoſum* appellaueris, quam *pacificum.* Scilicet laudatur & ab iis virtus, apud quos vel maxime alget. Satis vero nos habemus, Carolum M. virum non magis opibus, quam ingenio, valentem, iudicaſſe, maiorem melioremque, quam PACIFICI titulum, in tanto regalium titulorum prouentu ſibi occurriſſe nullum.

Iam cum PACIFICI titulus ſit, vt ſupra cognouimus, ab ipſo DEO profectus, & omnes complectatur laudes regias, merito felicitati nos noſtrae gratulamur, qui REGEM habemus, quem & noſtra & poſtera omnis aetas ornandum ducet cognomine PACIFICI. Natus eſt PATRE, cuius omnes curae & cogitationes in eo euigilabant, vt pacem vel daret vel conſeruaret Europae, quique nunc fruitur illo praemio, quod PRINCEPS PACIS (q) ipſi propoſuerat hisce (r) verbis: BEATI PACIFICI. Huic SALOMONI ſummo DEI beneficio ſucceſſit SALOMO, hoc eſt, Auguſtiſſimus Rex noſter GEORGIVS II. qui & ipſe omnem mouet lapidem, vt pacem inter ciues, pacem

(p) Lib. V. *de re diplomatica* p. 391.
(q) Ita vocatur Chriſtus ab Eſaia cap. IX. 6. Idem *dominus pacis* appellabatur *Iudic. VI.* 24. Ac nomen *Schilo Gen. XLIX* 10. ſignificare *regem pacificum*, quorundam eſt ſententia.
(r) Matth. V. 9.

pacem inter ciuitates confirmet, *pacatumque* (s) *regat patriis virtutibus orbem.* Verissime Seneca in *Octauia act. II. sc.* 2: *Dare orbi quietem, saeculo pacem, haec summa virtus, petitur hac coelum via.* Summis proinde iure meritoque gratulationibus natalem eius diem nunc excipit non sola Britannia, non Germanici solum eius ciues, sed vniuersus Europaeus orbis, qui Suessionensi paci per aliquot iam menses nascenti, qua (t) *ferrea* (id est, bellica,) *desinet, ac toto surget gens aurea mundo*, impense fauet, nec ei solum paci vitam apprecatur, & quidem vitam longissimam, sed etiam praecipuo Pacis istius auctori, REGI nostro. Idem Musarum votum est, quae sub vmbra Principum pacificorum beatissime res suas gerunt, quarumque vetus haec vox est: *Nulla salus bello, pax, pax, te poscimus, alma.* Agite igitur, Musae Gottingensis Heliconis, DEO persoluite piissimas gratias, cuius clementissima voluntate renasci nunc videtis natalem REGIS OPTIMI MAXIMI, eumque flagrantissimis votis assidue efflagitate, vt REGEM, verissimum Patriae Patrem, vt REGINAM, incomparabilis exempli heroinam, vt PRINCIPEM WALLIAE, maximam illam orbis spem, caeteramque prolem Regiam, diutissime viuere & immensis florere laudibus ac felicitatibus iubeat.

VIVE, PATER PATRIAE, FLOREQVE, SECVNDE GEORGI!
ESSE DEVS IVBEAT CVNCTA SECVNDA TIBI!

P. P. Gottingae d. IX. Nouemb. cIↃ IↃ CCXXVIII.

(s) Virg. *ecl.* IV. 17.
(t) Ibid. v. 9.

XXVII.

PROGRAMMA (a)

ΠΕΡΙ ΑΦΡΟΣΥΝΗΣ

von der Unvernunft

MARCI VII. 22.

D. G.

Inter loca *Noui Testamenti* vel neglecta vel perparum considerata, etiam a clarissimis interpretibus, illum quoque deprehendimus, quo CHRISTVS *Marci VII. 22.* inter vitia maxima & pestilentissima notat damnatque τὴν ἀφροσύνην. Sunt, qui huius vitii interpretatione plane abstinent, silentioque locum hunc praetereunt, Hieronymus, *Glossae ordinariae* auctor, Erasmus, Beza, Camerarius, Piscator, Maldonatus, Tirinus, Calouius, (a) Gerberus. Nec illustrando huic verbo operam suam commodarunt, qui e profana Graecia tot sacra loca studiosissime illustrarunt, Lamb. Bosius, Raphelius, Elsnerus, Albertius. Eos inter, qui non plane tacent, nec tamen

(a) Praemissum Disputationi inaugurali Maxime Reuerendi D. REVSMANNI 1747. d. 27. Sept.

(a) In huius opere *de peccatis non agnitis*, von den unerkannten Sünden, singulare caput de hoc peccato frustra quaesiueris.

tamen nisi fugitiuo oculo hunc locum inspexerunt, Theophylactus est, *conuicium in homines* interpretatus: quam sententiam etiam secutum esse video Nic. Lyranum. Grotius incogitate putat, significari *incogitantiam & incuriam rerum bonarum.* Quae tamen sententia adstipulatorem nacta est Ioach. Langium & (b) Heupelium. Lyserus (c), vel *idololatriam* vel *foediora aduersus sextam decalogi legem peccata*, hoc verbo describi, existimat. Zegerus (d), & ipse incertus, modo de *prauo affectu*, modo de *imprudentia*, modo de *immodestia* & *inconsiderantia*, huncce locum capi oportere, non tam decernit, quam hariolatur. Clericus (e) *intemperantiam* signari censet: quam sententiam defendit, minus quidem probabiliter, in sua ad Hammondum annotatione, qui *iactantiam* reddiderat. Infantius (f) haeret, vtrum Hammondo, an Clerico sit assentiendum, de illo tamen haud dubius, alterutrum recte vidisse. Denique quam sterilis hoc loco sit ager interpretum, vel e Wolfii *Curis* discas, qui, cum tam sedulum se praestet in coaceruandis vniuscuiusque loci interpretationibus, ne vnum quidem nominat verbi ἀφροσύνης inter-

(b) Edidit hic *ad Marcum* egregias annotationes philologicas Argentorati 1716.

(c) *Harm. Euang. p. 885. & 886.*

(d) Huius *annotationes ad N. T.* insertae sunt magno illi operi *Criticorum sacrorum.*

(e) in *Paraphrasis Historiae Euangelicae harmonicae cap. 34. p. 202.*

(f) In annot. ad h. l. in sua *Versione N. T. Gallica.*

interpretem: ipſe quoque nihil ſuae ipſius curae huic nomini adhibens, niſi quod tacite docet, Lutheri interpretationem ſibi videri veriſſimam.

Sunt tamen, qui viderunt acutius, mentemque Saluatoris aſſecuti ſunt. Ruſius ſcilicet, Theologus nuper Ienenſis, *dementiam* ſignificari (g) iudicat, *qua homo Rationem ſuam quaſi eiurat, ac dono hoc vere diuino vel plane non vel non recte vtitur.* Eadem in ſententia Ven. Bengelius (h) eſt, ſapienter adiiciens, a CHRISTO ideo poni τὴν ἀφροσύνην vltimo loco, *quod etiam reliqua vitia faciat incurabiliora.* Vix dubitari poteſt, vtrique ducem fuiſſe LVTHERVM, feliciſſimum eccleſiae noſtrae architectum, qui verbum hoc reddidit Unvernunft: quod vitium Latine vocabitur *irrationalitas.*

Optime vero id verbi interpretatum eſſe Lutherum noſtrum, vel ex eo cognoſcas, quod omnibus *Noui Teſtamenti* locis ἄφρων eum ſignificat, qui Rationem non adhibet in conſilium, facitque adeo irrationaliter. Nec Paulus, cum *2. Cor. XI. 1. 17. & 21. iactantiam* vocat ἀφροσύνην, ab hoc ſenſu recedit. Tantum genus nominat pro ſpecie. Quis enim neget, ſapientis eſſe, fugere iactantiam, &, qui Rationem practicam, hoc eſt, prudentiam ſequatur ducem, abeſſe eum ab hoc vitio longiſſime?

(g) *Harmoniae Euang. T. II. p. 61.*
(h) In *Gnomone N. T. p. 179.*

Discamus vero & ab aliis scriptoribus Graecis, ἀφροσύνην nihil esse aliud, quam *irrationalitatem.* Pater doctae Graeciae, Homerus, *insaniam* (ἀφραίνειν) vocat (i) & ἀφροσύνην, si quis pugnam inire ausit cum viro multo fortiore. Quod ipsum & apud Xenophontem *in Vita Cyri* (k) occurrit, scilicet κρείττονι ἑαυτῦ μάχεσθαι esse ἀφροσύνην, *mentis* (ita Leunclauius reddidit,) *insaniam.* Quo loco &, qui sana mente & *recta ratione* praeditus est, σώφρων, qui contra, ἄφρων nominatur. Aristoteles item τῇ φρονήσει opponens (l) τὴν ἀφροσύνην satis perspicue loquitur, hanc esse sanae mentis rectaeque rationis inopiam. Quo eodem modo, τῇ ἀφροσύνῃ esse contrariam τὴν φρόνησιν, Plato pronuntiat apud Diogenem (m) Laërtium. Nec praetereundus est interpres ille *Veteris Testamenti* Alexandrinus, qui *1. Sam. XXV. 25.* Abigailem de marito suo, *Nabale*, (quod nomen ἄφρονα significat,) ita loquentem inducit: Κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῦ οὗτός ἐςι Νάβαλ, καὶ ἀφροσύνη μετ' αὐτῦ.

Iam cum vitium hoc omnino sit (n) ingens, si quis Ratione, lumine diuinitus dato hominibus,

(i) *Iliad. η v. 109.* & *110.*
(k) *Lib. III. p. 65.* editionis Wechelianae anni 1596.
(l) *Rhet. lib. II cap. 1.*
(m) *Lib. III. sect. 104.*
(n) Memoratu dignum, etiam in Cebetis, philosophi Socratici, laudatissima illa *Tabula cap. 23* τοὺς ἄφρονας referri inter vitiosos homines, & *cap. 3.* τὴν ἀφροσύνην vocari vitium mortalium princeps.

bus, non vtatur, adeoque ſuapte culpa caecus errores pro veritate, prauos mores pro bonis & honeſtis, amplexetur, an mirabimur, etiam hoc vitium a CHRISTO notari damnarique? Imo quam ſaepe docuit, id eſſe in cauſa, vt ſe non agnoſcant tot Iudaei Meſſiam & filium DEI, quod caeca praeiudiciis gerant pectora, nec Rationem ſequantur ducem! E miraculis, quae nonniſi diuina potentia edi poſſint, iubet eos *Ioan. X. 37. 38. ratiocinari*, ſe a DEO miſſum eſſe, DEVMque in ſe & per ſe operari. Eosdem ex eo, quod olim a prophetis praedictum, Meſſiam caecis viſum, claudis ingreſſum, leproſis integritatem, ſurdis auditum, mortuis vitam redditurum eſſe, *Matth. XI. 5.* iubet *ratiocinari*, ſe eſſe Meſſiam. *Ratione* ſua qui hic non vtantur, neque inde, ſe Meſſiam eſſe, cognoſcant, *caecos* appellat *Ioan. IX. 41:* & ibidem viciſſim hominem illum, qui, poſtquam poſt totius ſuae vitae caecitatem viſum ab ipſo acceperat, hinc (*v. 17. 30. 33. 38.*) concluſerat, IESVM eſſe Meſſiam, vocat *videntem*, hoc eſt, oculo mentis cernentem verum, ſiue Ratione vtentem rectiſſime. Notabat etiam alio tempore (*Lucae XII. 54. 55. 56.*) *irrationalitatem* Iudaeorum, videntium criteria veritatis religioſae, at Rationis oculos occludentium, nec veritatem illam agnoſcentium. Plura hic non profero, prolata mihi iam in Diſputatione anno 1725. primum edita ſub hoc titulo: CHRISTVS ἑαυτὸν δικαιούμενος, in qua oſtendi, CHRISTVM & Rationem Iudaeis exhibuiſſe ducem ad cognoſcendum, ſe eſſe Meſſiam, & praua ipſorum ratio-

tiocinia, quibus vſi negabant, ipſum eſſe Meſſiam, oppoſitis iuſtis ratiociniis omni robore exuiſſe.

Agnoſcamus hinc, fugiendam eſſe irrationalitatem, ſequendamque Rationem, quae & *lumen naturae* vel potius *naturale* vocatur, hoc eſt, lumen a DEO mentibus humanis immiſſum: quod ideo ab apoſtolo *Rom. I. 19.* appellatum eſt *diuina reuelatio*, a ſcripta DEI reuelatione diſcernenda. Conſtat vero, Rationem (o) rectam (cui opponitur Ratio (p) ψευδώνυμος, de qua nunc diſputare non licet,) duas veluti partes habere: quarum prior eſt cognitio principiorum per ſe clarorum & euidentium ſuaque radiantium luce; poſterior clara & firma deductio ſententiae alicuius e certiſſima quadam veritate.

Rectae huius Rationis vſu interdicere ſuis ſolent falſi theologi Iudaeorum, Muhammedanorum,

(o) Ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς vocatur ab Ariſtotele *Ethic. Nicom. lib. III. cap. 2. & lib. VI. cap. 1. & 13.* itemque a Iuſtino Martyre in *Dial. cum Tryphone p. 12. & 401.*

(p) Cicero in *Orat. II. contra Catil. cap. 11. bonam Rationem & mentem ſanam* vocat, quod nos die geſunde Vernunft, *Rationem perditam & amentiam*, (ἀφροσύνην,) quod nos die verderbte Vernunft appellitamus. Ratio iſta falſi nominis etiam a Paulo notatur *Rom. I. 22. & Col. II. 8.* Triplicem autem eſſe Rationis in theologia abuſum, in Diſſ. antiſocinianа, *Parergis* meis *criticis* ſubiuncta, docui §. *III.*

rum, ethnicorum, imo & (q) Pontificiorum. Nam & hi, cum credere ſuos caeca fide iubent, quod ipſi credunt, Rationis oculum ſuis quaſi excutiunt, & in tenebris ipſos iubent incedere. Egit id potiſſimum doctiſſimus alioqui vir, Huetius, in *Quaeſtionibus* ſuis *Alnetanis*, eo vsque ad vltimum progreſſus, vt librum conſcriberet *de imbecillitate intellectus humani*, in quo, omni Rationis vſu abſtinendum eſſe, improbo contendit auſu.

Metuunt ſcilicet pſeudotheologi, ne ſui auditores exuta irrationalitate cum Ratione redeuntes in gratiam videant meliora probentque. Ac factum id eſſe conſtat a piis eccleſiae reformatoribus: quippe qui abiectis fortiter praeiudiciis & repudiata ἀφροσύνῃ Rationis oculos aperiebant, ſumtoque in manus ſacro codice ſolam DEI vocem audiendam ſibi eſſe cenſebant, nec ſolum irrationales ſacrorum librorum interpretationes adhuc vſitatas reiiciebant, verum etiam, quae ibi reperiebant praeter Rationem & ſupra Rationem dicta, ipſa ſua Ratione decernente (quae quippe agnoſcit, quicquid a DEO reuelatur hominibus, non poſſe non eſſe verisſimum,) cum iis, quae ſola docet Ratio, prouide coniungebant. Vnam profero vocem principis eorum, qui errores Pontificiorum oppugnarunt proſtra-

(q) Papae Gregorii M. ſermonem contra Rationis vſum in Theologia tanquam oculiferium Pontificium ſuis *Inſtitutionibus theologicis Patrum* praefixit Cardinalis Tomaſius.

veruntque, LVTHERI, in comitiis Wormatiensibus anni 1521. ad Caesarem reliquosque Germaniae Principes editam. *Haec mea est sententia,* (r) inquiebat, *nisi Scripturae sacrae testimoniis vel euidenti ratione conuictus fuero, me non posse quicquam eorum, quae scripsi vel docui, reuocare.* Cumque paulo postea quaereret ex ipso Elector Brandenburgicus, an suas sententias non sit repudiaturus, *nisi conuictus sacra Scriptura,* ita (s) respondebat: *Plane, aut euidentibus rationibus.* Nouimus item, quam bene vsi sint Ratione post factam ecclesiae reformationem tot pii ac docti viri, qui singularibus libris duce Ratione defecatissima exhibuerunt luculentissimas ἀποδείξεις diuinae originis religionis Christianae.

Proinde & habemus certissimum, vbi Iudaei itemque Muhammedani abiectis ignobilibus praeiudiciis, caecitatis humanae matribus iisdemque nutricibus, Rationem rectam audire animum induxerint, (id quod vt fiat, pii cuiusque votum est,) propius (t) fore nihil, quam vt agnoscant, se adhuc errasse grauissime, nunc castra Christiana esse ingredienda. Exemplum iis praeiuit Sergius Paulus, proconsul, qui propterea ἀνὴρ συνετὸς, *vir recto Rationis vsu prudens factus,* *Act.* XIII. 7. nominatur. Primo enim, cum

(r) Testis Sleidanus *Lib. III. f.* 50.

(s) Ibidem Sleidanus *f.* 52.

(t) Sic *Marci XII.* 34. ad quendam νουνεχῶς (vernünftiglich reddidit Lutherus,) sibi respondentem dicebat CHRISTVS: *Prope tu abes a regno DEI.*

cum Ratione duce intelligeret, Iudaicam religionem plus ſapientiae habere, quam ethnicam, libenter audiebat doctum quendam Iudaeum. Tum clarisſimum iam factum doctorem Paulum apoſtolum putabat ſibi audiendum eſſe: cumque hic miraculo edito manifeſtiſſime demonſtraſſet, a DEO ſe miſſum eſſe, vir ille rationalis illico fiebat Chriſtianus. Eadem mens erat Berrhoënſibus Iudaeis, qui (*Act. XVII. 11.*) poſtquam, verum DEI legatum eſſe Paulum, certiſſima ratione cognouiſſent, religionem Chriſtianam cupide amplexabantur, merito a Luca vocati εὐγενέστεροι (*d'un eſprit plus elevé*, vti reddidit Infantius,) Theſſalonicenſibus Iudaeis, ſpreto Rationis lumine manentibus in caecitate ſua Rabbinica.

Supereſt, vt, damnatam a CHRISTO ἀφροσύνην duo habere genera, obſeruemus. Eſt enim ea alias theoretica, alias practica. De theoretica quidem pro paginarum noſtrarum menſura ſatis dictum: niſi quod adhuc hortandos duco Theologiae Studioſos, vt & illam ἀφροσύνην eſſe agnoſcant, ſi quis totus ſit in ſtudio Theologiae theoretico, practicum eius ſtudium ſusque deque habeat. Practica ἀφροσύνη eorum eſt, qui Chriſtianorum gerentes nomen more animantium Ratione carentium ſoli huic vitae viuunt, de altera eademque aeterna vita ſecuriſſimi, adeoque vitam ita decurrentes, vt, quae hanc vitam exceptura eſt, vita ipſorum aeterna non poſſit non eſſe miſerrima dolorisque ac luctus pleniſſima: qui vitae huius & voluptates & honores & diui-

tias consectantur acerrime atque eum in modum, vt ipsis non ita multo post (quantulum enim pulvisculum est haec vita ad montem illum aeternitatis!) carendum sit aeternis voluptatibus, aeternis honoribus, aeternis diuitiis. Summo igitur suo merito huius generis mortales a Salomone in *Gnomis stulti* vocantur, a Paulo *Eph. V. 17.* ἄφρονες & *irrationales*, a Petro *2. Epist. II. 12.* ἄλογα ζῶα, a Dauide in *psalmo XXXII. 9. equorum & mulorum, intelligentiae expertium, similes.* Quam quidem stultitiam & irrationalitatem vel potius insaniam viuidissimis descripsit coloribus Basileensis nuper theologus, Sam. Werenfelsius, singulari libello: quem pluribus abhinc annis Germanicum in sermonem transtuli, si forte & mea hac opera minui posset talium stultorum numerus.

Vtramque ad ἀφροσύνην e mentibus hominum expellendam DEVS orbi dat Theologos, vtrumque lumen, & Rationis (u) illud minus, & Reuelationis alterum maius, ita sequentes, vt & gloria DEI magis magisque ponatur in aprico, & saluti hominum consulatur: ac, ne forte vel falsam

(u) Bene sentiebat, sed male loquebatur D. Ioannes Strausius, ecclesiastes Isenacensis, cum in libro quodam a. 1522. edito scribebat, er predige das Evangelium ohne alle menschliche Vernunft. Testis Schlegelius in *Vita Casp. Aquilae p.* 140. Constat quoque, dictum illud: Man soll die Vernunft gefangen nehmen, quanto sit abusui expositum: de quo eius abusu praeclare disserit Ioach. Langius in libro Germanico *de reuelationibus*, a. 1715 edito, *p. 266. sq.*

ſam Rationem vel male intellectam reuelationem pro vera amplexentur, ſemper illud Auguſtini (x) ob oculos habentes: *Si Ratio contra diuinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimae certiſſimaeque Rationi velut Scripturarum ſacrarum obiicitur auctoritas, non intelligit eas, qui hoc facit: & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius, obiicit veritati, nec, quod in eis, ſed quod in ſe ipſo velut pro eis inuenit, opponit.*

Et ἀφροσύνην quidem theoreticam tollere conatur Theologia dogmatica, vtens Ratione (y) ſana ad diſcernendum vere diuinos libros a fictitiis, veros ſacrorum librorum ſenſus a falſis: practicae vero ἀφροσύνῃ tollendae intenta eſt Theologia moralis, vera quidem illa & a myſtica Theologia, quae multum habet irrationalitatis, diuerſa. Vtriusque verae Theologiae doctores vt nullo tempore non det CHRISTVS ſuae eccleſiae, orandus eſt ardentiſſimis precibus. Ac recte fit, cum tales Theologi ab iis, qui idonei habentur iudices, in lucem producuntur & publico DOCTORVM THEOLOGIAE ornantur elogio. Recte

(x) *Epiſt.* 143.

(y) Lectu digniſſimi ſunt Ioannis Muſaei *libri tres de vſu Rationis in controuerſiis theologicis:* qui ſtatim in *Dedicationis* exordio ait, *permagnum eſſe Rationis vſum in theologia.* Adiungatur Roëllii liber *de religione rationali.*

cte etiam publicum hoc iudicium expetunt, qui ſacris literis ſatis inſtructi ſperant, ſe tum facilius vel prolixius prodeſſe poſſe eccleſiae, & ſiue ore ſiue ſcriptis propagare veram DEI doctrinam ad poſteros.

Id ipſum hoc tempore fecit Vir Maxime Reverendus *&c.*

XXVIII.
DISSERTATIO (a) DE VOTO IEPHTHAE.

I.

Hiſtoriae V. T. multae ideo ſunt obſcurae, quod breuiter ſunt deſcriptae, non expoſitis omnibus circumſtantiis. Eſt igitur interpretis, id operam dare, vt omiſſas circumſtantias producat in lucem: id quod fieri poteſt duobus modis. Primum illa loca ſunt inſpicienda, vbi hiſtoriae alicuius, vel perſonae in illa hiſtoria primariae, rurſus

(a) Hanc primum edidi in *Bartholomaei* Fortgeſetzten Nützlichen Anmerkungen *T. I. p. 303. ſqq.* Nunc Latino ſermone eam exhibeo, non translatam ad verbum, ſed poſt nouam meditationem nonnihil immutatam. Breuiorem huius hiſtoriae explicationem in *Diſſertatione de exegeſi Scripturae ſacrae hiſtorica* §. XXIII. exhibui.

rursus fit mentio. Hic enim saepius reperitur vna atque altera circumstantia nondum cognita. Deinde adhibita ratiocinatione concludendum est, aliquid accidisse, quod silentio praeteriit sacer historicus. Hoc modo tam multas accipiemus circumstantias, vt historia, quae antea videbatur incredibilis, satis magna circumfundatur luce, & empaecta cogatur obmutescere.

II.

Specimen huius historicae exegeseos nunc esto *votum* IEPHTHAE. Eius narratio ad primum intuitum tam videtur incredibilis, vt Marckius in *Diss. de eo* votum hoc vocare auderet *absurdum.* Ac sane legentes in libri Iudicum cap. XI. 30. 31. Iephtham fecisse votum his verbis: *Si DEO fauente deuicero Ammonitas, id, quod e domo mea mihi egredietur obuiam, cum rediero, DEO dicabo & sacrificabo;* votum hoc videtur esse ineptum, nec in hominem cadere Ratione vtentem sana. Cum vero constet e caetera *Iephtae* historia, eum fuisse Principem sapientem, & auctor *Epistolae ad Hebraeos cap.* XI. 32. 33. doceat, eum hostiles copias vicisse Deo fortitudinem ipsius prosperante; satis intelligimus, votum eius fuisse Rationi conforme, pioque Israëlita dignum. Sequitur hinc, non eum id sibi voluisse, se sacrificaturum, quicquid e domo sua sit egressurum, siue sit pecus siue homo, siue suo sit in dominio siue in alieno. Nouerat enim, sacrificia humana esse a Deo vetita. Quare non

poterat

poterat promittere Deo, ſe hominem aliquem eſſe immolaturum. Nouerat item, non eſſe Deo gratum ſacrificium pecudis, alium habentis dominum. Ex quo apparet, eum loqui de ſuo pecore, ſua e domo egreſſuro. An vero potuit ita ſentire: *An e domo mea ſint egreſſurae pecudes, neſcio equidem. Quod ſi nulla fuerit egreſſura, nec ſacrificium tibi*, DEVS, *offeram eucharisticum*? Quis homo ſanus, quis pius, tale faciet votum? Videmus igitur, ſciuiſſe *Iephtbam*, reverſo ſibi occurſura eſſe animalia e domo ſua ſacrificio apta.

III.

Quaeri nunc oportet, quomodo cognitum id habere potuerit. Mediocri attentione opus eſt, vt cognoſcamus, id eum ſcire potuiſſe duobus modis. Siue enim conſtituit, cum victore exercitu domum venire matutino tempore, quo in paſcua emittuntur pecudes, & exeuntes tum e domo pecudes (quarum quin plurimas habuerit, dubitari non poteſt, cum hae fuerint illius aeui diuitiae,) ſacrificandi, vnaque cum exercitu gratias agendi Deo; ſiue domum miſit, qui ſuis renuntiaret, potitum ſe eſſe victoria, & iuberet emitti domo pecora, ſimul ac adueniret cum exercitu, Deo grata mente ſacrificanda. Prius minus eſt credibile, cum certo ſcire haud potuerit, aduentum ſuum cum exercitu eo ipſo tempore futurum, quo emitti in paſcua ſolent pecora. Iam igitur credere nobis neceſſe eſt, miſſum ab eo fuiſſe, qui emitti iube-

iuberet pecora illo temporis puncto, quo aduemiret. Et quis dubitet, eum ſtatim poſt victoriam nuntium huius felicitatis ablegaſſe ad ſuos, qui omni ipſos ſollicitudine liberaret, & communis gaudii faceret participes? Et quomodo obviam ei egredi potuiſſet filia, ſi non ſciuiſſet, patrem viciſſe hoſtes, iamque aduenire?

IV.

Inuenimus nunc potiores circumſtantias, quibus adhibitis clarum reddere valemus hanc hiſtoriam. Votum igitur hoc fecit IEPHTHA: *Si victoria potitus fuero tuo, Deus, beneficio, mittam ad meos nuntium, qui id ipſis renuntiet, ſimulque mandet, vt adueniente me ſtatim emittant domo pecora mea, quae tibi ſim ſacrificaturus.* Poteſt etiam haec eſſe voti *Iephthae* paraphraſis: *Si dederis mihi victoriam, ſacrificium eucharisticum inſigne tibi offeram. E grege ſcilicet meo eligi iubebo optima pecora, curaboque, vt, cum rediero domum cum exercitu, ſtatim ea domo mea emittantur: ac ſtatim illa in conſpectu exercitus ſacrificabuntur, nomen tuum magnifice laudante me & exercitu meo.*

V.

Simili paraphraſi ſequentes huius hiſtoriae verſus nunc illuſtro.

Verſus 34.

Iam cum *Iephtha* propius acceſſiſſet ad ſuam domum, non pecora ſua ipſi occurrebant, ſed filia,

filia, rata ſcilicet, ſuum eſſe, magnifico apparatu obuiam procedere patri, eique gratulari de victoria. Nec vero inobediens erat patri, emiſſura videlicet adhuc pecora poſt praeſtitum gratulationis officium.

Verſus 35.

Iephtha vero, votum ſuum recordans, conſternabatur & maximo dolore afficiebatur, cum videret incedentem ad ſe filiam, quam vnicam prolem habebat. Filia, inquiebat, filia cariſſima, non mihi laetitiam nunc paris, ſed moeſtitiam tantam, vt maior eſſe non poſſit. Voto enim me adſtrinxi, id conſecrare DEO, quod reuertenti mihi primum obuiam venerit e domo mea. Credens iam, occurſura eſſe mihi mea pecora, ſacrificio deſtinata, tu venis prior. Iam quod Deo voui, id me ipſi conſecrare neceſſe eſt. Cum igitur te ſacrificare non poſſim, vetitis quippe humanis ſacrificiis, eo modo, quo homines ſolent, & praecipue virgines, conſecrari tu Deo debes a me, hoc eſt, inter miniſtras (a) templi referri. At hoc pacto non fies vxor, nec naſcetur ex te mihi poſteritas.

Verſus 36.

Ad haec filia: Soluendum tibi omnino votum eſt, quod feciſti. Nec vero refragor, ſed paratiſſima ſum, DEO conſecrari. Laetor equidem,

(a) Hoc modo Samuel puer a matre conſecrabatur DEO.

dem, DEO adſpirante tam nobilem te reportaſſe victoriam, & formidoloſiſſimos hoſtes proſtraviſſe.

Verſus 37.

Poſt (a) vnum alterumque diem ita alloquebatur filia patrem: Sum adhuc parata, ex voto tuo conſecrari Deo. Vnum vero abs te peto, vt videlicet in duos menſes differas exſecutionem voti tui. Hoc enim temporis ſpatio ducam amicas meas in campum atque in montes, vnaque cum iis flebo ob ereptum mihi mea culpa qualicunque coniugium ereptamque tibi ſpem poſteritatis.

Verſus 38.

Haud abnuebat pater: atque ita ibat filia comitantibus aliis virginibus per duos menſes in montes, doloremque ſuum, quem dixi, largis effundebat lacrymis.

Verſus 39.

Elapſis duobus his menſibus excitabat patrem, vt nunc ipſam DEO conſecraret, hoc eſt, ſa-

(a) Facile credetur, non ipſo illo die Iephtham conſecraſſe filiam, quippe quod non erat neceſſe, neque commode fieri poterat. Cum igitur aliquandiu ei manendum eſſet domi, in mentem ipſi veniebat hoc rogare patrem die aliquo ſequenti. Nec quicquam nos cogit credere, hiſtoricum ſacrum de vno die loqui, quo vterque ſermo factus ſit a virgine.

ſacram faceret virginem. Nec mora: pater ipſam deducebat ad ſacerdotes, miniſterioque dicabat ſacro. Ita manſit ſemper virgo, nec liberos ex ea (a) vidit pater infelix.

Ver-

(a) Minus recte Lutherus vertit: und ſie war nie eines Mannes ſchuldig worden. Vera haec verſio: und ſie hat alſo nie einen Mann erkannt, hoc eſt, nunquam iniit matrimonium. Notat hunc errorem Lutheri Buddeus *Hiſt. V. T. T. I. p. 897.* atque ita hunc recte tribuit ſenſum verbis hiſtorici; *Pater ei fecit, quod vouerat, hoc eſt, illa nunquam agnouit virum, ſeu virgo permanſit.* Recte quoque ita pergit: *Senſum quidem hunc* verbis illis nonnulli tribuunt, *eam, cum pater votum ſuum exſequeretur mactando illam, nondum expertam fuiſſe virum.* At, quid neceſſe erat, hoc addere, cum iam antea dictum eſſet, eam virginem fuiſſe? Quis vero ferret, in narratione hiſtorica id, quod praecipuum eſſe debebat, praetermitti, & poni illud, quod iam notum erat, eam ſcilicet fuiſſe virginem? Sunt haec eiusmodi, vt prorſus mirer, ſententiam contrariam, quae & alias grauiſſimis incommodis laborat, tot viris doctis ſe probare potuiſſe. Conſecratam igitur eam fuiſſe Domino, cenſeo, hoc eſt, tabernaculi miniſteriis certis addictam, quae a ſequiori ſexu peragi poterant. Haec Buddeus. Eadem horum verborum interpretatio profertur a Ioach. Langio in *Commentario ſuo ad hunc librum p. 167* & a Glaſſio *Philologiae ſacrae lib. IV. tract. I. Obſ. 7. p. 1190* & iamdudum a Brentio, multoque antea a Nic. Lyrano. Addo: Si voluiſſet *Iephtha* ſacrificari filiam ſuam, non ſolum ſacerdotes recuſaturi fuiſſent obſequi, ſed etiam populus erat obſtiturus, ſicuti fecit *1. Sam. XIV. 45.*

Versus 40.

Hinc virgines Israëliticae, illius videlicet loci, in quo viuebat Iephtha, solebant quotannis certo tempore illuc se conferre, vbi sacra haec virgo, Principis sui filia, viuebat, quaternosque (a) dies ibi manentes, rursus eo nomine fletus edebant, quod ea id fecerit, quo se marito, patrem nepotibus, priuauerit.

VI.

Huic meae paraphrasi istius historiae duas subiungo obseruationes. Primo errorem noto *Iephthae*, rati, se debere votum suum soluere in filia, quia ipsi sibi obuiam venerit prima. Voverat DEO pecora sua. Haec igitur sacrificare debebat. Quod filia occurrebat prior, ad votum suum non pertinebat. Laudare debebat filiae erga se pietatem, ex eaque quaerere, an mandarit, vt propius veniente se emittantur statim pecora, quae sit sacrificaturus. Non erant verba voti simpliciter sequenda, sed verborum sensus. E scopo suo interpretari debebat verba. Malus igitur & indoctus erat verborum suorum interpres.

(a) Grotius existimat, quater singulis annis ad eam virgines Hebraeas venisse, mansisseque vnum diem. Ac sane & hunc sensum ferunt verba Hebraea. Sed verosimilius est, illo vniuscuiusque anni die, quo consecrata fuit, adfuisse has virgines, eique id honoris habuisse, quamdiu vixit. Post mortem enim eius cessasse hoc officium, vix, ac ne vix quidem, dubitari potest.

VII.

Altera haec est obseruatio. Etsi *Iephtha* soluere votum suum sibi visus est, cum DEO consecrauit filiam, non tamen omisisse credendus est sacrificium eucharisticum. Debebat hoc Deo etiam sine voto, etsi non facto voto non erat tantam multitudinem pecorum sacrificaturus. Iam cum sibi propius ad suam domum venienti occurrerent sua pecora, an credi potest abstinuisse sacrificio, quod suus exspectabat exercitus, voti haud dubie conscius? An sacerdotes dimisisse credi potest, ad sacrificandum arcessitos? An, si hoc omisisset, *Epistola ad Hebraeos* pietatem eius laudatura erat? Quod id in *libro Iudicum* non diserte commemoratur, mouere nos non debet. Et breuitatis studiosus est sacer historicus, & iure credidit, cuiuis sapienti lectori facile futurum, supplere hanc circumstantiam.

†*†

XXIX.

DISSERTATIVNCVLA (a) QVA PAVLO OROSIO NOMEN TERTIVM *HORMISDAE* RESTITVITVR.

(a) Primum edita sub titulo *Programmatis* a. 1732: recusa in *Actis eruditorum*, & quidem in Tomo *Supplementorum* decimo *p. 264. sqq.*

PAVLI

PAVLI OROSII, qui *Augustini* fuit & *Hieronymi* discipulus, quam noti sunt (a) *libri historiarum septem*, tam obscurus est, qui exemplaribus eorum MSS. nonnullis praefixus deprehenditur, titulus. In aliis enim (b) inscribitur hoc opus *Hormesta*, in aliis *Ormista*, in aliis *de ormesta*, in aliis *Ormista mundi*, in aliis (c) *de Ormesta mundi*, in aliis denique (d) *de Hormesta mundi*. Quid hoc sibi velit, cum ignorare nollent Critici, alius in aliam incidit sententiam, vereque hanc inscriptionem retuleris inter cruces Criticorum, quae, vt stylo vti pergam (e) *Terentiano*, *eos omnibus cruciarunt modis*. Nam, quantocunque studio intenderunt neruos ingenii, nihil tamen egerunt vniuersi, recteque de tot coniectoribus (f) pronuntiauit *Dufresnius*: *Vix*

(a) Digna est, quae hic memoretur, editio huius operis Augustana a. 1471. fol. quam habet Bibliotheca Heilsbronnensis, teste ipsius *Catalogo*, nuper edito, p. 245. Vt adeo longe erret *Loescherus Stromat.* p. 270. docens, anno demum 1524. a typographo editum fuisse *Orosium*.

(b) Vid. *Dufresnii Glossarium Latinum* v. *Ormesta* & *Hormesta*; itemque *Biblioth. Hist. Theol. Brem.* T. I. p. 325. sq.

(c) Hunc titulum memorat *Oldericus Vitalis*, saeculi XII. scriptor, cuius locum indicauit *Dufresnius*.

(d) Hunc titulum in suo codice habebat *Trithemius de script. eccl. cap.* 121.

(e) Eun. II. 3.

(f) Omitto *Boecleri* de iis iudicium, non minus seueritate, quam veritate, notabile. Exstat id in eius *Bibliographia crit. p.* 182.

quippiam verosimilis, inquiens, *nedum certi, tradunt.* Recitabo interpretationes illas omnes, & cuiusuis subiiciam iudicio. *Vossius*, postquam primas suas de rescribendo *Hormeuta* vel *Hormatho* coniecturas ingenue damnarat, (g) putabat, *dominum libri, Hormisdam vocatum, in frontispicio eius nomen suum adscripsisse; id postea ab imperito librario factum esse partem inscriptionis.* Illico tamen aliam coniecturam subiicit, eamque magis sibi placere profitetur. *Hormesta* scilicet natus ei videtur ex *hominum miseria*, & quidem ex compendio literarum, quam vulgo abbreuiaturam vocant. Ac certe *Bongarsius* (h) testis est, se in codicem quendam *Orosii* incidisse, inscriptum *de miseria hominum.* Alibi denique (i) contendit, *Hormisdam* factum fuisse ex *orchestra*, & hanc omnino esse ἐπιγραφὴν genuinam. Verum non primo *Vossio* venit in mentem ista correctio, sed, quotquot ita senserunt, (senserunt autem ita & *Andreas* (k) *Schottus*, *Thomas* (l) *Reinesius*, *Franciscus* (m) *Iuretus*, & *Paulus* (n) *Colome-*

(g) *Lib. II. de Historicis Lat. cap. 14.*

(h) Eius verba recitat *Baelius Dict.* v. *Orose* not. G. Cum vero *Eccardus Biblioth. Brem. T. I. p. 327.* e Gennadio constare ait, opus Orosianum inscriptum fuisse *de miseria mundi*, caue ei credas. Ex loco enim *Gennadii* id apparet minime.

(i) *Lib. III. de vitiis serm. cap. 30. p. 525. & comment. ad Plinii lib. X. epist. 97.* editionis *Veenhusianae.*

(k) In *Praefat. ad Orosium*, & in *Biblioth. Hisp. p. 206.*

(l) *Var. lect. lib. III. cap. 3. p. 386.*

(m) *Annot. ad Symmachum p. 73.*

(n) *Not. ad Catal. MSS. Is. Vossii p. 867.*

lomesius,) ducem secuti sunt *Stephanum Vinandum Pighium*, qui hoc protulerat in *Hercule* suo (o) *Prodicio*. Reiicitur autem haec sententia suo merito a *Casp.* (p) *Barthio*, sed nec ipso exprimente meliorem. Credit enim, *Ormesta* illud prouenisse ex compendiose scripto *omnis historiae*. Similis est hariolatio *Balthasaris* (q) *Bonifacii*, *Ormesta* vitio librarii scriptum esse modo putantis pro *Or. Mesta*, id est, *orbis moestitia*, (a quo parum recedit coniectura *Io. Leonhardi Frischii* (r) pro *Hormesta* legendum *Hor. Mesta*, idque interpretandum *Horosii Moesta* suspicantis,) modo pro *Or. M. Ista*, hoc est, *Orosii mundi historia*. *Io. Bapt. Cotelerius* (s) titulum illum ab ὁρμῇ deriuans, quia scilicet varios humani generis *motus* describit historia, omnium maxime ridiculum somniauit somnium, vir alioqui multa laude conspicuus. *Io. Schilterus* (t) vocabulum *Hormestae* corruptum fuisse putat e Graeco ὅραμα, inscriptumque ab *Orosio* hoc opus esse *Horama mundi*. Non probabat se haec sententia *Ioanni Dieemanno*, Theologo pariter ac Philologo excellenti, cui (u) pro *Hormesta* rescribere

(o) *p. 112.* Recordor hic, etiam *Petrum Pithaeum Aduers. subsec lib. II. cap. 17.* in loco quodam *Quintiliani* verbum *orchestrae* restituisse.
(p) *Aduers. lib. XXXVI. cap. 17.*
(q) *Lib. de scriptor. Hist. Rom. cap. 31.*
(r) In *Miscellan. Berolinens. Continuat. II. p. 311.*
(s) *Not. ad T. II. Monum. Eccl. Graecae p. 621. sq.*
(t) Ad *Chronicon Koenigshofii p. 455. sq.*
(u) In *Biblioth. Brem. T. I. p. 549.* Conf. *Suiceri Thes. eccles. v.* ἁρμοστής.

re placebat *Harmoſta*, vt eo vocabulo ſignificetur *coagmentator* & *concinnator hiſtoriarum.* Eodem tempore *Io. Georg. Eccardus*, Hiſtoricus & Bibliothecarius Regius Hannouerae, acu ſibi rem videbatur tetigiſſe, ita (x) cenſens, *Ormiſta* eſſe verbum Germanicum *armiſt*, hoc eſt, *miſeria*, adeoque recte ab *Oroſio*, Gothorum ſcilicet in gratiam, inſcriptum ſic fuiſſe librum de *miſeria mundi* agentem. Cum vero ne id quidem probauerit, vnquam vocabulum *armiſt* in mundo fuiſſe, (certe nec in *Gloſſario Teutonico Schilteriano* id verbi reperitur,) ſummo iure haec opinio ſuo auctori relicta ſoli eſt. *Gundlingius*, ſui quoque ingenii expertus vires, *Hormeſtam* (y) arbitrabatur vitioſe ſcriptum fuiſſe pro *Oreſte*. *Oreſten* quippe inſcribi hoc opus potuiſſe, cum contineat *prolixiſſimam tragoediam* & *multarum calamitatum hiſtoriam*. Mihi duae coniecturae venerunt in mentem, quarum poſteriorem priori praeferendam iudico. Prius namque, cum & (z) *Fabricius* & (a) *Freinshemius* me docuiſſent, multa *Oroſii* ad verbum repeti in *Hiſtoria miſcella*, ſuſpicabar, *Oroſii* quoque *Hiſtoriam* a monachis (nam docebat (b) *Voſſius*, *Hormeſtae* titulum nec ſcriptores (c) veteres, nec melioris aeui

(x) *Biblioth. Brem. T. I. p. 333.*
(y) *Gundlingianorum Parte XXV. p. 440. ſq.*
(z) *Biblioth. Lat. T. III. p. 538.*
(a) *Comment. ad Curtii III. 11. 27. & IV. 16. 26.*
(b) *Lib. II. de Hiſt. lat. cap. 14.*
(c) Certe *Gennadius*, qui eodem, quo *Oroſius*, vixit ſaeculo, *lib. de ſcript. eccleſ. cap. 39.* hunc operis

aeui codices, agnoſcere,) inſcriptam fuiſſe *Hiſtoriam miſcellam*, & quidem hoc vſis ſcripturae compendio *Hor. mſla*, indeque facili errore enatum eſſe *Hormiſta*. Nec deſunt alia ſimillima exempla. *Lipſius* in *Antiquis* (d) *Lectionibus* obſeruauit, in quodam *Quintiliani* loco ex *ac tli*, id eſt, *ac tituli*, librarium feciſſe *Attali*. Idem in *Quaeſtionibus* (e) *epiſtolicis* docet, in *Plinio* ſcribam ex *mea*, id eſt, *memoria*, inepte feciſſe *menſa*, & apud Tacitum ex *miae*, hoc eſt, *miſericordiae*, feciſſe *irae*. Similes librariorum errores alios indicauit *Rutgerſius* in *Variis* (f) *lectionibus*, *Hadr. Valeſius* in (g) *Valeſianis*, *Montefalconius* in (h) *Palaeographia Graeca*, & *Ioannes Clericus* in (i) *Arte* ſua *Critica*. At, cum nec ſciam, duas illas abbreuiaturas librariis vſitatas fuiſſe, & vetuſtiſſimi codices MSS. contra, quam dixit *Voſſius*, *Hormiſtam* habeant, altera mihi nunc placet de *Oroſii* titulo ſententia. Nihil ſcilicet obſtare video, quo minus huic auctori nomen fuerit *Pauli Oroſii Hormisdae*. Eo enim aeuo multinomines fuiſſe viros haud paucos, iam

peris titulum non commemorat, nec *Honorius Auguſtodunenſis lib. II. de ſcript. Eccleſ. cap. 39.* nec *Freculphus Lexouienſis*, perpetuus *Oroſianae* Hiſtoriae tranſcriptor.

(d) *Lib. I. cap. 16.*

(e) *Lib. I. cap. 10.*

(f) *Lib. I. cap. 18.*

(g) *p. 89. ſq.*

(h) *Lib. V. cap. 1. p. 342. ſq. & p. 347.*

(i) *P. III. Sect. I. cap. 11.* quod duodecimum eſt in editione recentiſſima.

alibi (k) pluribus exemplis feci manifestum. Ac sextum saeculum, quod *Orosii* aetati proximum est, Episcopum Romanum habuit (l) *Hormisdam*, cuius aliquot epistolae supersunt. Cum igitur *Hormisdae* nomen eo tempore Christianis non fuerit inusitatum, iique veterum, qui (m) laudarunt *Orosium*, praenomen quoque *Pauli* breuitatis studio soleant omittere, simillimum est vero, nonnullos codices MSS. integrum *Orosii* nomen in titulo operis expressum gessisse. Vt adeo inter omnes Criticos, qui originem illius tituli inuestigarunt, quam proxime a vero abfuerit *Vossius*, *Hormisdae* videlicet nomen in titulo agnoscens, sed possessori libri, non auctori, id tribuens. Confirmat meam sententiam (n) codex MS. bibliothecae Guelpherbytanae, vndecimo exaratus saeculo, in quo haec verba: *Incipit liber primus Ormistae Orosii*: duoque alii vltimae vetustatis codices, nomen *Ormestae* praeferentes: quorum auctoritate ductus Eccardus (o) iure statuit, vocem *Ormista*, vel *Ormesta non esse deprauatam, sed genuinam.* Fortasse quaeret ex me quispiam, quid

(k) *Praef. ad Lactantii Symposium* §. *XXII.* Vnde vel tria haec exempla liceat repetere: *Anicius Manlius Torquatus Seuerinus Boëthius; Q. Septimius Florens Tertullianus; Aurelius Prudentius Clemens.*

(l) Est hoc nomen origine Persicum, duosque *Iuliani* Imp. duces bellicos, *Hormisdas* nomine, natione Persas, commemorat *Zosimus lib. II Hist. cap.* 27. & *lib. III. cap.* 11. & *lib. IV. cap.* 30.

(m) Ipse *Gennadius & Augustodunensis Honorius.*

(n) Vid. *Biblioth. Brem. T. I. p.* 226.

(o) Loc. cit. p. 327.

quid verbum *mundi* sibi velit, quod nonnullis in codicibus nomini *Hormistae* adiunctum conspicitur. Etsi vero obiicere alios codices queo, quorum titulus illo verbo caret; malo tamen (p) credere, hoc esse quartum *Orosii* nomen. Nomen enim *Mundi* virile olim vsitatum fuisse, vel e turpi illa de *Decio Mundo*, equite Romano, historia, quam *Iosephus* (q) describit, liquet. Ac mulier quoque quaedam, cui nomen *Munda*, in *Gruterianis* occurrit (r) *Inscriptionibus*. Caeterum cum multi codices *Orosiani* Operis, omissa *Mundi* mentione, solum Hormistam exhibeant, non debeo aeque certum habere *Mundi* nomen, ac *Hormisdae*, sed hanc rem relinquere in medio. Imo nunc coniecturam hanc prorsus reiicio.

(p) Suspicabar initio, *Mundii* legendum esse, id est, *Mundensis*. Hoc modo, qui Corinthi nati sunt vel Rhodi, dicuntur *Corinthii* & *Rhodii*. Nec enim ignota est vel ex *Iulii Caesaris Historia* vrbs Hispaniae *Munda*, quae procreasse potuit nostrum *Orosium*, natione Hispanum haud dubie. At, cum non fuerit olim moris, nomini suo adiicere mentionem patriae, coniecturam istam repudiaui.

(q) *Lib. XVIII. cap. 3. §. 4.*

(r) *p. 988. n. 2.*

XXX.

M. IO. LVDOVICI OEDERI PRODROMVS (a) HISTORIAE BOGOMILORVM CRITICAE.

I.

(a) Hanc Dissertationem cum meis hic adiungam, rationem & auctori eruditissimo, *Professori nunc Carolini Brunsuicensis*, & aliis reddere debeo. In scholis meis *historiae ecclesiasticae* quoties in saeculo duodecimo ad historiam *Bogomilorum* peruêneram, dolebam publice, argumentum tam memorabile nondum fuisse tractatum a quoquam ita, vt, quae illius sectae origo, quae dogmata, qui mores, quae fata fuerint, liquido constet. Cum satis intelligam, inquiebam, hos immerito haberi pro haereticis, velim, aliquis auditorum meorum me duce historiam hanc suscipiat excutiendam, ac specimen hoc ingenii pariter ac iudicii in lucem proferat publicam. Semel iterumque ac tertio collegium, quod vocant, hoc ad finem perduxi nemine se paratum praebente ad exsequendum meum consilium. Tandem venit ad me, cum Magister cuperet creari, summae industriae excultique ingenii iuuenis, quem nunc Professorem colunt Musae Carolinae, sibique placere ait hoc argumentum, ac se, si suppetias ferre velim, de Bogomilis compositurum Disputationem suam inauguralem. Per mihi gratum hoc erat, cum vniuersam historiam ecclesiasticam in auditorio meo pertractasset haud perfunctorie, nec incognita ipsi esset ars veras historias

I.

De *Bogomilis* agere &, an illis accusationibus, quas strenui illi haeresium oppugnatores larga manu nobis suppeditant, fides adhibenda sit, exa-

storias a falsis discernendi: quam quippe in prolegomenis huius collegii tradere solebam. Stimulos itaque subdebam currenti, vtque nonnihil ipsum adiuuarem, statim ei tradebam Historiam Bogomilorum Wolfianam, cui annotationes nonnullas inter legendum adscripseram. Feruido vir ingenio sine mora laborem hunc aggreditur, in bibliotheca publica plura scripta, etiam quae ipsi non commendaueram nominatim, inspicit, sincero iudicio singula examinat, materias collectas in ordinem redigit, tumque libellum suum componit. Elaboratione demum finita ad me redit, exhibens Dissertationem mihi recognoscendam. Eam dum perlustro, miror magnitudinem industriae, disertam ac perspicuam tractationem argumenti, in omnibus partibus vim ingenii, acumen iudicii, modestiam etiam, vbi dissentiendum erat a viris clari nominis. Mirabar praeterea felicem eius audaciam criticam, cum me non adhibito in consilium §. III. loca plura veterum monumentorum emendaret. Reddens ipsi sui ingenii foetum perpauca vel adieceram vel correxeram. Habes, Lector, natales huius libelli doctissimi, nosti nunc eius auctorem compositoremque. Non est haec Disputatio ex illis, quorum in titulo *auctor* nominatur non Praeses, qui est, sed, qui minime est, Respondens. Errorem hunc ne errent lectores, hac editione & hoc testimonio cauendum duxi: hoc nomine eam meis adiungens, quod nonnullae hic meae fuerunt partes, etsi monstrator duntaxat viae fui. Praestantia etiam & vtilitas scripti huius,

examinare apud animum meum (a) conſtitui. Nam ſi vnquam in hiſtoria aliqua, certe in illa, quae de haereſibus agit, magna cautione & accurato examine opus eſt: cuius rei cauſas breuiter exponam. In primis tribus poſt Chriſtum natum ſaeculis, quibus eccleſiae doctores plurimi plane non a doctrinae puritate, non adeo multum a vitae vere Apoſtolicae innocentia & integritate defecerant, facile contingere potuit, (contigit etiam,) vt illi viri propter ſuperficiariam dogmatum atque myſteriorum diuinorum cognitionem & inconſultum pro honore diuino zelum, qui oculos eorum praeſtringebat, haereticorum cogitationes non peruiderent, vel etiam aliorum mendaciis creduli, pio certe & candido animo, notam haereſis immerentibus inurerent. Subſequenti tempore, cum, externa Eccleſiae felicitate internam peſſumdante, diuitiis atque honoribus Clerus quaſi tot vitiorum fomitibus auctus eſſet, alias haereſium in orbem Chriſtianum indu-

ius, quod exemplo plerarumque Diſputationum Academicarum multorum ſub oculos non venit, me permouit, vt hac ratione prodeſſem pluribus. An auctori poſthac otium ſit futurum ad exhibendam hanc hiſtoriam perfectiorem, & omnibus numeris & partibus abſolutam, cum munere fungatur publico alius generis, equidem ignoro. Quod ſi forte promiſſo ſtare ipſi non licuerit, hiſtoriae eccleſiaſticae cultores quin contenti hoc Catone futuri ſint, non dubito.

(a) Beauſobrius etiam meditabatur *Hiſtoriam Bogomilorum*, vti patet ex eius *Hiſt. Manich. T.* I. *praeſ. p.* 5. & *p.* 262. operis.

inductarum caussas obseruamus. Nempe in tanta bonorum affluentia impurae ac voluptuosae vitae immergebatur Clerus: id quod multos excitabat veritatis testes, vt eius vitia grauiter redarguerent. Ab his cum videret vim inferri sibi, atque castigari affectatum diuinae cuiusdam sapientiae, sanctitatis ac muneris honorem, vel etiam, si eius rei potestas illis foret, circumcidi reditus, pro ingenita superbia & impotenti regnandi in Ecclesia cupidine prauis animi affectibus frena laxabat, putabatque, commodissimam haec veritatis testimonia opprimendi viam fore, si sceleribus suis splendidum zeli pro honore diuino nomen praetexeret, suamque auctoritatem apud superstitiosam plebeculam incrementa capturam, si catalogum haereticorum extenderet. Certe non ita grauia aduersus Christianos quondam gentiles exercebant odia, ac Christiani, cum illi v. c. Antoninus Philosophus ψιλὴν παράταξιν tantum, seu meram obstinationem inflexibilem, Suetonius ac Tacitus *superstitionem*, multo humanius, quam Christiani Christianis ἀθεΐαν, & sine acerbitate exprobrarent. Hi vero custodes purae ac illibatae doctrinae vitio creati tubas bellicas inflabant, sono in *ismum* exeunte; magistratum ciuilem, manum atque instrumentum odii Clericalis, instigabant, vt in hunc piorum gregem gladio flammaque grassaretur: quod ille raro admodum recusabat, vel lucri cupiditate, vel timore potentiae Cleri, quietis interdum conseruandae caussa adductus, vel etiam quod palpum sibi a Clero obtrudi pateretur; vel denique, quod ali-

quam

quam impiae ac luxurioſae vitae excuſationem in impurae Cleri vitae ſimilitudine inuenire, atque illum in pectore teſtem tranquillum reddere poſſe ſibi videretur. Nemo autem quisquam mirabitur, haec omnia ſine aliorum cenſura peragi potuiſſe, innocentiumque hominum defenſores extitiſſe ita raro, dummodo meminerit, vel priuatam vixiſſe vitam illos haereticos, adeoque nullo numero fuiſſe, vel munere, ſi quod geſſerunt ſtatim ſe vel ſponte vel coactos abdicaſſe: cum illi haeretifices, vt ita dicam, ſaepiſſime ſummae & potentiae & dignationis viri eſſent, quorum imperio ſubiecti alii, ni fortunam ſuam in ſummum diſcrimen adducere vellent, ne mutire quidem audebant; alii pro ſtupiditate ſua, ſed perverſo etiam zelo, garrulo ore reddebant, quae illi antiſtites antea narrauerant.

Quae cum ita ſint, nemo temere ita rationem ſubduxerit: Haeretifices illi ſunt magni epiſcopi, doctores, caet. ergo non eſt, quod quis iniuſti aliquid ab illis committi metuat. Quin potius, qui rerum vſu edoctus eſt, atque mentem diuina luce colluſtratam habet, non ſibi ſatisfactum dicet, ſi meris titulis, priuilegiis, & aliis potentis Cleri praerogatiuis iuſtae talium teſtium defenſiones repellantur: nec credulitatem ſuam addicet hominibus, qui ſaepiſſime ſine plena errorum notitia, vagis tantum (b) rumoribus, calumniis,

(b)

(b) Pulchre *Auguſtana Confeſſio p. 20: Veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non poteſt.*

(c) fictis tabulis, detortis interpretationibus nisi, eum sibi finem proposuisse videntur, vt, nulla veri iustique ratione habita, probis hominibus haereseos turpitudinem infligerent, adeoque Iudaeorum proceres cum Christo iniustissime agentes referrent. Sed cogitabit ille, v. c. de *Bogomilis* nostris, ita: Bogomilorum tempore religio regnans non erat mere Apostolica, sed multis erroribus inquinata. Ergo, qui a publicis illius temporis doctoribus haeresium insimulantur, non statim pro haereticis haberi debent. Fortasse itaque fuere impugnatores magnae illius haereseos, doctrinae publicae. Fortasse Theologi publici eos ideo, quod ipsis contradicerent, ex odio calumniis atque falsis criminationibus (d) onerarunt. Fortasse de iis, quos oderant, falsas vulgi narrationes, vt fit, pro veris amplexati sunt. Fortasse ex eorum doctrinis siue vere siue falso tributis deduxerunt consequentias, easque ab illis, etsi respuerent, disertis verbis propositas atque propugnatas fuisse, tradiderunt. Haec, inquam, catus lector cogitabit, & illas inimicorum narratio-

(c) Audiamus Spenerum, Theologum orthodoxum aeque ac pium, qui in *Consil. Theol. Lat. P.* III. *p.* 187. ita: Quoties, quae nostro tempore fiunt & facta sunt, expendo & varias calumnias ad animum reuoco, toties valde dubia mihi redduntur, quae de multis haereticis antiquitas refert. Vide etiam Arnoldi *allgemeine Anmerkungen von den Kätzer-Geschichten*, quas Ven. Pfaffius in *Iure Eccles. p.* 495. *edit.* II. valde laudat.

(d) Vid. Beausobrius *Hist. Man. T. I. p.* 2.

tiones, quae, si bona (e) narrant, maximam, sin mala, plane nullam fidem merentur, de eorum crassissimis erroribus turpissimisque moribus merito falsi suspectas habebit, maxime si inuenerit clarissima partim testimonia, partim indicia, agnouisse illos multos errores publicos, veraeque pietatis fuisse (f) studiosos; homines vero illos, qui tum ita duriter eos tractabant, & alias vitiis insignes, &, qui memoriam illorum ad posteritatem transmiserunt, fide satis indignos esse: vt in sequentibus videbimus.

II.

Ordo suadet, vt primo curate indagemus, quo animo quibusue moribus fuerit Imp. Alexius Comnenus, hostis Bogomilorum acerrimus. Fuit autem homo vaferrimus & callidus, qui apud Latinos auctores perpetuum quasi cognomentum *subdoli* fert. Videamus pauca illa testimonia *Alexiadi* Annae Comnenae subiecta, quae rem extra dubitationis aleam ponunt. Guil. Tyrius *de bello sacro lib. II. cap. 5.* vocat eum *hominem nequam & subdolum*; cap. X. *feram pessimam* & *hominem nequam*, cuius propositum sit semper fallere; cap. XIII. *virum subdolum*, *potentem simulare*

(e) Σεμνὴ ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία. Isidorus Pelusiota *lib.* II. *ep.* 228.

(f) Id quod ostendunt Latini, qui Graecorum piissimos Bogomilos, reliquos Saracenos & Iudaeos, vocabant. Vid. criminationes aduersus ecclesiam Latinam §. 42. apud Cotelerium *Monum. Gr. T.* III. *p.* 503.

lare & dissimulare propositum; cap. XIX. perstringit fraudulentam eius versutiam & pertinacem circumuentionem, cum tamen erga Latinos liberalitate & simulata gratia redundet. Robertus Monachus *de Christianorum Principum profectione in Syriam lib.* II. itidem *hominem subdolum* appellat, & Otto Frising. *Chron. lib.* VII. c. 10. *Imperatorem perfidissimum.* Ab his ipsi impactis criminibus liberare eum conatur Albertus, Canonicus Aquensis, *lib.* VIII. *cap.* 46: neque ego diffiteor, me his Latinorum criminationibus non simpliciter fidem adhibere, cum haud *ἄνευ πάθων*, vti bonos historicos decebat, scripserint; ipsum etiam Alexium causas sat graues habuisse, quamobrem tot validos cruce signatorum militum exercitus, sibi reipublicaeque suspectos periculososque, adeo longe a sui regni finibus summouere arte atque aperto Marte, secundum illud: *Dolus, an virtus, quis in hoste* (g) *requirat?* studeret. Caeterum illud omni exceptione maius perfidi eius atque fallacis ingenii argumentum est, quod Principem suum, Nicephorum Botoniatem, optime de se suaque domo meritum, indignissimo modo throno deturbauit, ipsosque suos in hoc scelere *συνεργοὺς* necandos curauit. Vid. Conradus Vrspergensis *Chron. A.* MCI. & Matth. Paris in *Historia maiori a.* MXCVI. & Zonaras Ann. XVIII. 20.

(g) Nolo tamen patronus esse crudelis illius facinoris, quo Manuel Comnenus, nepos eius, multa hominum millia farina gypso permixta exstinxit.

III.

Anna Comnena, Alexii filia, femina & generis claritate conſpicua, & literis, quae hereditariae fuiſſe Comnenae genti (h) videntur, haud leuiter tincta, rerum geſtarum patris ſui monumenta pereleganti ac comto ſtylo conſignata reliquit. Sed cum *nemo*, vt Vopiſcus ait, *ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid ſit mentitus*, tum inprimis haud quisquam temere fuerit, qui Annae in enarrandis patris ſui rebus ſine exceptione fidem praeſtare velit: qua in re ſuae erga patrem pietati ſaepius aliquid dediſſe videtur. Ipſa quidem de ſe in fine *libri* I. haec profert: Οὐ γὰρ ὡς πατρὸς Φεισαίμην, ἔιγε μοι παρασταίη τι τῶν ἐκείνῳ μὴ καλῶς πεπραγμένων, οὐδὲ διὰ τὴν ὑποτρέχουσαν ὑποψίαν, ὅτι πατήρ ἐστι, περὶ οὗ συγγράφομεν τὰ κατορθώματα, τοῦτο παραθραμούμεθα. Ἐν ἑκατέροις γὰρ ἀδικήσομεν τὴν ἀλήθειαν. *Lib. XV. p. 468.* proteſtatur, ſe verum ſolum ſibi propoſuiſſe, ne quis forte naturae coniunctionem in mendacii praeiudicium atque fidei eleuationem trahat. Quin ipſum Numen teſtem citat, nihil ſe, amoris erga patrem cauſa, ficti in ſuam admiſiſſe hiſtoriam. Sed iudex ſedeat magnus Gerh. Io. Voſſius *de hiſtoricis Graecis lib. II. cap. 27.* qui ſatis veriſimile eſſe docet, aliquando plus eam amori erga patrem

(h) Nota ſunt illa Iſaaci Comneni *Scholia in Homerum*, & alia, Andronici Comneni διάλεξις κατὰ τῶν Ἰουδαίων, de quibus videſis magnum Fabricium in *Bibl. Gr.*

trem indulſiſſe, quam per leges hiſtoriae liceat. Sed finge, eam fideliter verſatam eſſe in hac de Bogomilis pericopa, id eſt, aliorum mendaciis nullum quaſi ſuperpondium adieciſſe, illud certe dubio caret, ſuae eam religionis praeiudicio occupatam, pro illorum temporum ſuperſtitione & *αβλεψία*, mendaciis, quae de Bogomilis circumferebantur, ſine examine crediditiſſe, & Euthymii potiſſimum, quem inuidendis elogiis mactat, auctoritate ſtetiſſe: quod in praeſenti ſufficit.

Obiter hic indicabo leuicula quaedam *σφάλματα*, quae culpane librariorum, an typographorum, in ſplendida editione Pariſienſi *Alexiadis* obuia ſunt, quorum etiam quaedam b. Wolfius ſine emendatione exſcripſit. *P.* 493. *A* pro ὄρος ἐδείκνυ τὴν σύνθεσιν, vti & Wolfius *p.* 31. habet, reponendum eſt ὅρος. *P.* 489. πέρας falſo poſitum pro τέρας, & βασιλέων pro βασιλεία. *P.* 495. A & apud Wolfium p. 33. eſt διατετριφότες pro βότες. *P.* 493. B ὄντως mallem mutare in ὄντων, vel ὄντως praeponere τῶ Βογομίλων. In *Sect.* XXII. Euthymii apud Wolfium *p.* 33. *lin. vlt.* legerem βασταζόμενος, niſi velis ſecundum vim mediam exponere: *ipſe ſe ſuſtinens in humeris*, nempe lictorum, *abductus eſt*, & in *Sect.* XVII. apud Wolfium *p.* 89. *lin.* 15. pro πῶς αἷμα manifeſto legendum ὡς αἷμα, & *p.* 109. *lin. penult.* pro κατεσκέυασαι κατεσκέυασαν.

IV.

Nunc quod caput causae meae est, de fide Euthymii Zygadeni historica exponam. Monachus hic librum composuit, qui esset quasi armamentarium quoddam, vnde recondita ibi tela, si iis opus esset, contra haereses depromi statim possent. Praefixit enim operi suo splendidum *Panopliae* titulum, maiestate Imperatoris, qui illum ipsemet excogitauit, perquam dignum. Consarcinauit autem ingens & vastum volumen ex iis rebus, quas de haeresibus & legendo & fando cognouerat: cum quibus ille vero non semper feliciter, sed saepiuscule plumbeo gladio depugnat. Exempla videbimus alio loco. Nunc disquiram, quantum narratiunculis eius fidendum sit. Eruditissimus Relandus de *religione Muhammedanorum lib.* II. Graeculum hunc, vt ipse eum appellat, traducit acriter eo, quod Muhammedis dogmata peruerse admodum & anilibus fabulis aucta recensuit. Pari industria & accuratione, si diis placet, versatus est in *Sect.* XX. contra Armenios, vti magni nominis vir Isaac Beausobrius sequenti exemplo declarat in *Bibl. Germ. T.* XXXIX. *p.* 39. *sq.* Nempe habent Armenii ieiunium aliquod, quod suo sermone dicunt *Arradschauier*, quam vocem Graeci detorserunt in *Artziburtz*. Designant autem Armenii hac voce, quae idem est ac *primus*, quinque primos dies magni illius ieiunii, quod a Dominica *Septuagesimae* initium capiebat. Sed monachus certiores vocis & ieiunii origines nobis pandit. Sergius

quidam,

quidam, Armeniorum episcopus, canem per sibi carum fidumque itinerum habebat comitem, qui praecursoris loco erat, & domini sui aduentum antea in pagis vrbibusque dioecesis eius significabat, vt incolae sibi obuiam procederent. Hinc est, quod nomen cani haesit *Artziburtz*, id est, *praecursoris*. Sed infelici aliquando fato in lupi faucibus mortem inuenit canis, qua re eo moerore afflictus est herus, vt eum mitigare prius non posset, quam solenne aliquod ieiunium in funestum canis interitum, summi doloris signis peragendum instituerent. En illustre exemplum iudicii ac fidelitatis, quo monachus iste in haereticorum rebus enarrandis vti consueuit. Idem in *Triumpho a secta Messalianorum* (i) *reportato*, *Anathem.* I. narrat, quendam huius sectae coryphaeum, cum Christum se mentiretur, ad lapidationis supplicium condemnatum spopondisse discipulis suis, tertio se die resurrecturum. Sectatores eius satis stupidos, qui fidem ei haberent, integro triduo ad illam lapidum struem, qua homo sepultus erat, commoratos non sine summa animi consternatione vidisse daemonem lupi forma indutum ex ea egredi: hinc illi Petro nomen *Lycopetros* a Graecis impositum esse. Vix a me impetrare possum, vt hominem tam obesae naris fuisse credam, qui rancidulas has fabellas non potuerit olfacere. Itaque deliberato consilio mendacia ab aliis accepta propagauit, vt haereticorum nomen eo maiori odio esset: quod quantum fidem eius & in nostra causa eleuet, quilibet,

(i) Vid. Beausobrius *Hist. Manich.* T. I. p. 262.

libet, vel me non monente, videt. B. Io. Christoph. Wolfius, cuius insignibus in Ecclesiam & rem literariam promeritis nemo tam ferreae frontis erit, qui detractum aliquid velit, in sua *Historia Bogomilorum p.* 43. defensionem huius monachi in se suscepit contra Arnoldum, dissensum inter hunc & alios scriptores in hac re crepantem: quem confutari putauit eo, quod vnicus testis sit Euthymius ille, ex quo reliqui sua deprompserint. Parum haec argumentatio valebit, si ostendero in ipsomet Euthymio ἀσύστατα, quae se lectori vel mediocriter attento statim offerunt. Salua itaque (k) reuerentia, quam b. Wolfio etiam post fata debeo, meam ab eius opinione seiungo sententiam, nullamque paene auctoritatem Graeculi huius agnosco, dum *monachum* cogito, id est, hominem superstitiosum, orthodoxistam, crudelem, credulum: cuius historiolis fidem habere qui velit, ille idem credat necesse est Cochlaeo *Vitam Lutheri* scribenti; vel Theologo illi Gryphico aut anonymo alteri, quorum posterior (l) a. 1693. prior (m) a. 1706. describebat

(k) Beausobre in *Praef.* ad *Hist. Manich. p.* 20: J'aurai pour eux, scil. certains Lecteurs, qui ont de l'amour & du Zele pour la religion, toute la complaisance possible: mais ils ne doivent exiger de moi, que je leur sacrifie la justice & la sincerité.

(l) Iudicium Speneri de huius scripto vide in Langii *Historie der Euangel. Kirche von* 1689. *biss* 1719. *p.* 20. & 25.

(m) Huius scriptum Ven. Langius *l. c. p.* 242. vocat *eine recht schändliche Schmäh-Schrift.*

bebat *Pietiſtarum*, quos vocabant, vitam doctrinasque.

V.

Tandem ad ipſos *Bogomilos* deducor, de cuius nominis vera origine ac poteſtate paucula diſputabo. Origo deriuatur recte ex lingua Bulgarica ſeu Moeſiae inferioris, qua amplior paulo eſt Bulgaria. Videtur autem eſſe lingua Slauonica, mater illa tot filiarum, Bohemicae, Polonicae, Moſcouiticae linguarum, quae fines ſuos ad frigidiſſimas ſub polo regiones & mare glaciale vsque protulit. De vi autem, quae ſubiecta eſt huic nomini, non conuenit inter omnes, cum plerique vulgatam notionem eius, *qui Dei miſericordiam imploret*, tueantur, Arnoldus autem interpretatur, & recte quidem, *Deo dilectum*, in *Haereſiologia p.* 206. cui adeo b. Wolfius *l. c. p.* 3. immerito καινοφιλίαν exprobrat. Suppeditant autem mihi teſtimonia, quibus hoc probem. D. E. Iablonski, vir harum linguarum, ſi quis alius, callidus, omnem nobis dubitationem eximit, dum in *Hiſt. Conſ. Sendomir. p.* 193. eccleſiarum orthodoxarum Confeſſionis Bohemicae in maiori Polonia Superattendentem, (vti patet ex *p. 236.*) Simeonem *Theophilum* Tornouium producit, adiunctis his vocibus: *alias Bogomil.* Sic Pezius in Praef. ad *T. I. Theſ. Anecdot. p.* 61. profert aliquem Magiſtrum *Bohemilum* vel *Bohomilum*, qui a. 1267. Grammatica & Logica Pragae alios inſtituebat. Illud nomen non eſſe diuerſum

a *Bogomilus*, & idem ſignificare, ac *M. Gottlieb*, nullus dubito. Porro Dlugoſſus ſeu Longinus memorat in *Hiſt.* ſua *Poloniae* Archiepiſcopum Gneſnenſem ſaec. XII. *Bogomilum*, id eſt, *Theophilum.* Quid vero, ſi quis ſe coaetaneorum teſtimoniis, quibus res perſpecta eſſe poterat, ſuffultum iactet? Conſideremus verba eorum. Euthymius *P. II. tit.* 23. ita: βογ μὲν γὰρ ἡ τῶν Βȣλγάρων γλῶσσα καλεῖ τὸν Θεὸν, μίλȣι δὲ τὸ ἐλέησον. εἴη δ' ἂν βογόμιλος κατ' αὐτοὺς ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος: quae verba repetit Harmenopulus *de opinionibus haereticorum* §. 19. Sic autem Latine exprimerem: *Bogomilus itaque ſecundum eos fuerit, qui Dei miſericordiam ad ſe trahit*, id eſt, quem Deus miſericordia (*) complectitur, ſiue *Deo carus*, *Theophilus.* Niſi priora praeſidia iam adduxiſſem, nollem certe Fr. Zini verſionem ſaepe non inficetam reiicere in hac re, quia notum eſt, verba *actionem* notantia ſaepe poni tantum pro conatu. Caeterum ingratiis (n) nomine illi Bogomilorum quaſi haereſis charactere notati ſunt, plane vt noſtri aeui *Pietiſtis* accidit: quod non vane efficitur ex Euthymii verbis apud Tollium in *Inſign. itin. Ital.* p. 112: Χριϛιανοὺς γὰρ ἑαυτοὺς ὀνομάζοντες οἱ μισόχριϛοι, τῷ εὐφήμῳ τοῦ ὀνόματος αναμίγνυνται

(*) Adhuc hodie Ruthenis peruſitata eſt haec formula precum: *Ghospodi Bockmilliu, miſerere noſtri, DEVS.* Teſtis eſt Haueniue Reiſe nach Rußland S. 427.

(n) Sic etiam Waldenſes διασυρτικῶς dicti ſunt *Cathari.*

τοῖς ὀρθοδόξοις, & inde etiam, quod se χριστοπολίτας vocarunt. Puto itaque, fortiter eos nouo illi ac inuidioso nomini restitisse.

VI.

Sunt autem Bogomili nostri propago quaedam πολυωνύμου illius *Messalianorum* sectae: id quod ex summa dogmatum conuenientia & vno omnium illius aeui scriptorum consensu cogitur. Prodibant autem *Messaliani* saeculo IV. tanquam Pietistae huius aeui, & censores morum, qui tum & in clero & in laicis inualuerant, impiorum, & mox in occulto tranquillum aeuum exigebant. mox ἐν παῤῥησίᾳ verba faciebant & vitia increpabant. Clamabant illi, vt hoc vtar, solo baptismo contentum non esse beatae alterius vitae participem futurum, ni purgata a vitiorum sordibus vita accedat. Sed praeter haec mensuram nominum, cum dicti sunt εὐχῖται, id est, *Messaliani*, & *Enthusiastae*, impleuere, cum precicibus nimium quantum vacarent, atque (o) ἐνθουσιασμὸν & diuinas reuelationes iactarent: a quo non sunt valde remoti, qui sacri codicis lectionem vix vnum temporis punctum intermittunt. Vehemens enim & assidua attentio, ipsa etiam

(a) Huic praecipue opportunae esse poterant feminae, a Bogomilis in numerum suum adscitae, vti & apud Montanistas, inter quos & nostros non leuis intercedit similitudo, fuere illa Priscilla, Maximilla, aliae prophetiis clarae. Possunt enim feminae inter opus suum, v. c. lanificium, assidue cogitare, & ita cogitationibus immergi, vt Enthusiastae fiant.

etiam naturalis conſtitutio hominis, ſeu temperamentum, quod vocant, linguae item diſertae facultas & extemporalis promtitudo, donum, vt putant, Spiritus S. quam tamen homo vel mediocris ingenii & in communi ſermone indiſertus, maioris tantum praeſidentiae, comparare ſibi poteſt, producunt Enthuſiasmum. Iudicio itaque a natura non largiter inſtructi, nec prudentiae regulis inſtituti, in deuia delapſi ſunt, ex quibus ſumma modeſtia & lenitate reduci debebant poterantque. Porro erant homines maximam partem rudes, non tantum ſpinoſarum Theologiae Scholaſticae finitionum, reſtrictionum, exceptiuncularum, concluſiuncularumque ignari, ſed & literarum τῶν ἔξω expertes, quod patet vel ex Niphonis exemplo, quem Io. Cinnamus II. 10. vocat παιδείας μὲν τῆς ἐγκυκλίου καὶ μαθημάτων τῶν ἐκτὸς οὐδὲ μέχρι πέρας ἐλθόντα, τοῖς ἱεροῖς δὲ λογίοις ἐκ παίδων ἑαυτὸν ἐπιδόντα. Hinc factum etiam eſt, vt ſaepe veras de rebus ſacris notiones animo conceptas incommodius exprimerent: propter quam rem cum doctores ſcholaſtici & philoſophici illos haereſis reos peragerent, contra leges lenitatis Chriſtianae peccaſſe cenſendi ſunt. Quae hactenus de Meſſalianis dixi, quadrant omnia in poſteros eorum, Bogomilos, qui ſaeculo XII. cum Alexius Comnenus imperium capeſſeret, vel potius (p) paulo ante, exorie-

(p) Vid. *Alexias p.* 486. vbi ita: καὶ, ὡς ἔοικεν, ἦν μὲν κἂν τοῖς πρὸ τοῦ μοῦ πατρὸς χρόνοις, ἐλάν-

oriebantur, & nihil aliud erant, quam Waldenſes (q) Orientis: cum vtrorumque idem conſilium, eadem dogmata, iidem mores, ſimiles aduerſarii fuiſſe videantur. Recte itaque Bellarminus de *Verbo Dei lib. I. cap. 5.* & Feuardentius *ad Iren. I. 29. Bogomilos* & *Albigenſes*, in vnam claſſem compingunt. Ita fere etiam Baronius ad a. 1118. *T.* XII. *p.* 139 pro elegantia ſua ſcribit: *Hic eius*, ſcil. Baſilii, *finis*, *homine ſacrilego dignus*, *quo ſupplicio afficiendos Nouatores*, ſcil. Proteſtantes, *cum Baſilio ſentientes*, *candidus lector iure conſentiet.* Manichaei vero dicti ſunt immerito peſſimo ſaeculi illius more, quo omnes veritatis teſtes hoc nomine ad inuidiam concitandam onerabantur, vti ex *Corpore Iuris* & *Hiſtoria eccleſiaſtica* conſtat. Hinc eſt, quod inconſulto feruore omnia illis tribuit Euthymius, quae vnquam de Manichaeis vel legerat vel audiuerat.

VII.

Iam fata huius ſectae breuiter exponam: cuius ſe caput, *Baſilius*, primo loco offert. Scriptores ei graphice depingendo certatim artem ſuam impendunt. Anna *p.* 487. vocat eum ἀρχισατράπην τοῦ Σαταναήλ; Zonaras αὐτὸν τὸν Σατανᾶν ἐνδυμένον; Euthymius ἄνδρα ὀλέθριον μᾶλλον, quam ἰατρὸν, (qualis erat,) λοιμὸν, φθο-

ρᾶς

λάνθανε δὲ. Euthymius tit. 23: ἡ τῶν Βογομίλων αἵρεσις οὐ πρὸ πολλȣ͂ συνέϛη τῆς καθ' ἡμᾶς γενεᾶς.

(q) Vid. Larroquanus *T.* II. *p.* 144.

ρᾶς μεστὸν, καὶ πάσης κακίας ὄργανον, & quae reliqua ſunt encomia & floſculi, quos nunc non moror. Conabor autem vndique pro tenui ingeniolo verum elicere. Artem medicam tractabat ad tolerandam vitam, non, vti Wolfius inclementer coniicit, vt hanc ſuam artem obtendens viam ſibi animos hominum peſtiferis erroribus deprauandi muniret. Sed nolo tamen definire, annon interdum hac occaſione cordatis hominibus ſuas de repurgandis ſacris cogitationes, quas ſecreto fouebat, aperuerit. Haereſes certe non fuere, quod infra oſtendetur. Obiter hic fateor, in rebus, quae quo conſilio a haereticis ſuſceptae ſint, plane non conſtat, me in mitiorem propendere ſententiam: quia in hac re, meo certe iudicio, excuſare, quam accuſare illos φιλανθρωπία conuenientius eſt. Neque vero in animum induxi, ſecundum artes Protagorae Sophiſtae (r) verborum induſtria τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν, atque manifeſtis erroribus colorem inducere, ſed, ſi quos deprehendero, candide indicabo. E diuerticulo in viam. Quantum ad corporis habitum ac formam pertinet, deſcribitur ab Anna τὴν ὑπήνην ψιλὸς, εὐμήκης τὴν ἡλικίαν, κατεσκληκὼς τὸ πρόσωπον, τὸ ἔνδυμα μοναχὸς, quae duo poſteriora ad rigorem illum, quem in vita ſectabatur, reſpiciunt. Neque enim vnquam in monachorum ordinem allectus fuiſſe videtur, ſed veſtitum tantum ſibi circumpoſuiſſe vilem illum, quia corpus duriter habere conſueuerat, atque macilento vultu fuiſſe, quia ge-

(r) Gellius V. 3.

genium ſuum non admodum laute curabat. Vt errores plane imbiberet animo, XV. annis operam dediſſe, eosque tum per ſolidos LII. annos cum aliis communicaſſe fertur. Quam iuſte vero b. Wolfius *l. c. p.* 18. hominem infelicis in Theologia αὐτοδιδαχίας exemplum ſiſtat, viderint alii. Cum vero narrat Anna *p.* 487. eum XII. diſcipulos, quos *Apoſtolos* vocarit, habuiſſe: quod ipſum rurſus eo trahunt, vt, Manetis itidem XII. Apoſtolos (qui *ſelecti* vocabantur,) ſibi adiungentis veſtigia presſiſſe eum, dicant; ego quidem, cur hoc accredam, nihil cauſae reperi. Mirum certe, *nullum ex his duodecimuiris memoratum eſſe a veteribus:* id quod ingenue docet Wolfius p. 20. Cur igitur non potius credamus, etiam hanc fabulam effictam fuiſſe e Manichaeorum hiſtoria? Si quis vero pertinax eſſe velit, illi concedere poſſum, habuiſſe Baſilium diſcipulos quosdam interioris admiſſionis, quibuscum clandeſtinos ſuos pietatis conuentus haberet, quorumue opera alios etiam potentes viros ſibi conciliaret, vt eo minus ſibi a perſecutorum violentia timendum eſſet. Hoc etiam negotium feliciter ſucceſſiſſe, aſperis pro more verbis docet Anna *p.* 490: καὶ γὰρ ἐνεβόθυνε τὸ κακὸν, καὶ εἰς οἰκίας μεγίστας καὶ πολλοῦ πλήθους ἥψατο τὸ δεινόν.

VIII.

Poſtquam Bogomilorum ſecta iam ad maturitatem aliquam peruenerat, rumor eius ad aures Alexii Imp. allatus eſt, qui operae pretium ducebat, curas ſuas in hanc rem transferre, an, vt

vt Cleri beneuolentiam conſeruaret, an, vt aliquam rerum mutationem Reip. forte nocituram praeuerteret. Pro verſutia itaque ſua comprehenſos quosdam carceri includendos curabat, ex quorum vno, cui nomen erat Diblatio, refractario nempe, cum reliqui ſecreta ſua ſponte proderent, tormentis quaeſitum eſt, quinam ſectae auctor, qui *Apoſtoli* illi ſint. Hanc forte agendi viam cum hominibus, qui nec res nouas moliebantur, nec Principis capiti perniciem machinabantur, (quod & b. Wolfius *p.* 30. de Baſilio fatetur,) haud multi hodie laudauerint. Sed miſſa haec facio. Iam Alexius pellem vulpinam induit, detectum Baſilium arceſſit, venienti aſſurgit comiter, ſella iuxta ſuam poſita conſidere iubet, ſermones caedit cum non exigui fauoris teſtificatione, quin, ſe cum fratre, Iſaacio Sebaſtocratore, in diſciplinam eius concedere velle, modo animae ſalutem ipſis procuret, ſimulat, & fucum Baſilio facit blando hoc alloquio: Ἐγώ μέν, πάτερ τιμιώτατε, ἄγαμαί σε τῆς ἀρετῆς ἕνεκα, ἀξιῶ σὲ δὲ καταμαθεῖν τίνα τὰ παρὰ τῆς σῆς τιμιότητος εἰσηγουμένα, ὡς τάγε τῶν ἡμετέρων φαῦλα καὶ οὐδεμίαν ἀρετὴν φέροντα. Hac ſimulata (s) docilitate, honore etiam eo, quod menſae admoueretur, imponi ſibi paſſus eſt bonus ſenex, mentemque declarat tandem, poſtquam

(s) Eodem modo fraudulento decepit Flauianus, Archiepiſcopus Antiochenus, bonum Adelphium Meſſalianum, Baſilio noſtro ſimillimum. Ita etiam Malchion presbyter Paulum Samoſatenum: ſi hoc adiungere licet.

quam id aliquandiu recusauerat. Credebat autem, se cum duobus Caesaribus solum in ea diaeta adesse, in qua scriba quidam post oppansum velum collocatus omnia ea calamo excipiebat, quae securus ille de insidiis Basilius ore proferret. Quo facto deponebat Alexius personam, reiecto velo, apertisque foribus: ac senatus cum Patriarcha, qui tum sedebat, Nicolao, exercitusque praetorianus conuocatus aderat. Itaque Basilius in lucem protracta videns dogmata sua non abiecit animum ille quidem, sed in praesentia procerum fortiter ac libere confessionem quandam verae doctrinae edidit, nec se ab ea auelli, vel a Christiana animi sui constantia dimoueri passus est, etsi saepius illum ad eiurandos errores scil. adhortarentur, grauissimas etiam poenas & ipsum viuicomburium interminarentur. Imperator tam intrepido viri animo perculsus, vti videtur, ne ita statim ad supplicia properaret, tempus ipsi aliquod quasi ad frugem redeundi concessit, sed irrito conatu. Custodiebatur itaque ἐν οἰκίσκῳ κειμένῳ ἀγχοῦ πȣ τῶν βασιλικῶν οἰκημάτων, ἄρτι πρώτως δὶ αὐτὸν κατασκευασθέντι. In hac vero aedicula volunt Deum suae vindictae exemplum edidisse: quae res ita redolet fabulam, vt valde mirer, b. Wolfium eam amplecti potuisse. Nempe Anna *p.* 489. refert, cum se senex ille in domunculam serena mediaque iam nocte recepisset, parasceuiotam quendam, custodem ipsi adiunctum, qui id iureiurando edixerit, fragorem lapidei grandinis, qui in tectum atque circumiectum solum ruerit, exaudiuisse, vidisseque adeo:

deinde ſubſecutum eſſe terrae motum. Dixiſſe porro, ſe aliquandiu ad haec omnia intrepidum fuiſſe, vsquedum tam ingentem vim continuamque ſucceſſionem lapidum ſuperne ruentium animaduerterit, vt eam ad daemones malos Baſilio iratos referendam cenſuerit: ideo metu ſe dein tanto correptum eſſe, vt, quo ſe verteret, non inueneritt. Anna *p.* 489. totum negotium adſcribit *δαίμοσι ἐξωργισμένοις, ἐν δεινῷ ποιȣμένοις, ὅτι δὴ τὰ πρὼς τὸνβασιλέα ἐξωρχήσατο.* B. Wolfius habet pro diuinae in haereticos irae ſpecimine. At qualis eſt haec vltio, quamque Deo digna, lapidibus impetere hominem, cui tamen nulla illis noxa illata, ſed qui ſonum tantum eorum audiuit! Quin negari nequit, Deum hac ratione doctrinae vitaeque eius temporis vndiquaque corruptiſſimae teſtimonium perhibiturum fuiſſe: quod quam ſit ab omni veri ſpecie alienum, in propatulo eſt. Nam ſi Deus, Baſilii doctrinam communi eius temporis contrariam diſplicere ſibi, oſtendit, ſequitur, vt vulgo receptam doctrinam ſuo calculo confirmauerit. Prouoco etiam ad ſequentia, vbi oſtendere conabor, Baſilium pium hominem ac veritatis teſtem fuiſſe, in quem adeo tale irae ſuae documentum exſtare voluiſſe non poteſt Deus. Itaque vel toti narrationi plane nihil ſubeſt veri, quia ſolenne falſis orthodoxiae profeſſoribus erat, exempla diuinae in haereticos irae, triſtes praeſertim atque horrendas eorundem mortes, (t) comminiſci; vel ſi Annae

(t) Sic aiunt, Arium pro ſtercore excreuiſſe inteſtina: quod

Annae ſuam auctoritatem relinquere velim, dico, totam fabulam vnius tantum vilis e plebe homuncionis fide niti, ſuperſtitioſi illius atque timidi, qui forte inter Baſilium & malum genium arctius aliquod vinculum eſſe ſibi (u) perſuadebat, & propter inſanum metum huius machinationibus tribuebat, cum, terra forte inteſtinis motibus concuſſa, quod ipſum accidiſſe narratur, tegulae deiicerentur, vel, quod quidem definire nolo, a petulantibus hominibus, quos cuſtos ille nocturno tempore videre non poterat, lapides in aediculam iniicerentur, vt adeo Diaboli in hoc negotio partes non videantur potiores fuiſſe, quam ante aliquot annos Pariſii illius Pariſienſis in frequenti lapidum iactu. Haec hactenus.

IX.

Poſtea cum Alexius ignis ſupplicium omnibus iis, qui ſectae *Bogomilorum* nomen dederant, denuntiaſſet, multi, qui non ita confirmato animo erant, tam crudeli poena perterriti criminationes deprecabantur, haereticos ſe eſſe pernegabant, ad fidem etiam ſibi conciliandam doctrinas *Bogomilorum* conuiciis proſcindebant: reliqui in ſua ſententia conſtanter permanebant, erant *καὶ*

quod falſum eſſe, vel ſuperficialis corporis noſtri cognitio docet: etſi, quin mors diuinitus maturata dicatur, non intercedo.

(u) Qualequid probant verba Annae p. 494. vbi de eius obitu -- *καὶ τῶν τερατολογιῶν αὐτοῦ διὰ πάσης γλώττης φερομένων*, & timor carnificum.

τοι πυρκαϊᾶς ἀπειλȣμένης ϗ ἄλλων κακώσεων, οἱ αὐτὸι ϗ ἀμετα-κλινεῖς, vt qui mortem ſubire, quam agnitam veritatem abnegare, mallent. Sed Imperator priorum excuſationibus ſimpliciter credere noluit. Itaque vt veros *Bogomilos* a reliquo grege ſecernere poſſet, duas fornaces exſtrui atque accendi iuſſit, cruce alteri illarum praefixa, (quod ſummum eorum crimen, negatum nempe cruci ſuperſtitioſum cultum, indicat:) ἵν' ὁποῖοι τῇ τῶν χριστιανῶν πίστει ἐναποθανεῖν βούλοιντο, ἀποκριθέντες τῶν ἄλλων τῇ τοῦ σταυροῦ καμίνῳ προσχωρήσωσιν, οἱ δὲ τῆς Βογομιλικῆς αἱρέσεως ἀντεχόμενοι προσθατέρων ἐμβληθήσωνται, caet. Iam deducebantur ad locum ſupplicio deſignatum, (x) Τζυκανιστήριον, vbi οἱ γνησίοι *Bogomili* ſtatim ad illam fornacem, quae cruce carebat, properabant, reliquis ad alteram accedentibus, quibus nempe facile erat ad praeuidendum, Imperatorem tantum animi ſui ſententiam velle explorare, fidemque periclitari, cum interea plebs, quae frequentiſſima confluxerat, artium harum ignara, clamore ſublato, orthodoxos illos iamiam arſuros lugeret. Non inuenio hic, vti Cel. Wolfio *p.* 27. videtur, *inuentum pru-*

(x) Fuit inter magni palatii ſepta, vbi Imperatores, eorundem filii, nobiles item adoleſcentes, pila ex equis ludebant. Leo Grammaticus in *Leone philoſopho p.* 486. memorat καταβάσιον τοῦ Τζυκανιστηρίȣ, id eſt, amplam planitiem Tzycaniſterii, vbi videntur hae fornaces exſtructae eſſe. Vid. Cangii *Conſtantinopolis Chriſtiana lib.* II. *cap.* IV. §. 30.

prudentia Imperatoris dignum, *cui par in Antiquitatibus Ecclesiasticis vix exstet*. Nam & illi, qui haeresis suspicionem declinare volebant, possunt in animo Bogomili adhuc fuisse, sed qui propter timiditatem vitam suam tanto periculo exponere nollent. Itaque, cum sibi mors videretur oppetenda, tamen non rediere ad sectam suam, quia artificium Imperatoris nullo negotio agnoscere poterant, vel saltem vitae spem habebant certiorem, ac illi, qui Bogomilos se aperte profitebantur. Neque sane spes eos sua frustrata est. Imp. enim insigni laude affectos eos dimisit, sed nec reliquis Bogomilis mortis poenam repraesentauit: segregatos potius a caeteris illos Apostolos XII. & reliquos omnes in diuersos detrusit carceres, vbi continuis sollicitationibus, solitariae etiam vitae taedio, permoti haud pauci sectae suae nuntium remittebant, reliquis immoto animo propter veram doctrinam in carcere defunctis,

X.

Constantiae exemplum suis praeibat Basilius, qui animi sui fortitudine multos iamiam defecturos confirmauit. Animum ergo eius, qui blandimentis debellari non poterat, crudelitate iam frangere aggreditur Imperator. Eum enim ἅπαντες, vt Anna *p.* 492. refert, τῆς ἱερᾶς συνόδȣ καὶ τῶν Ναζοραίων λογάδες, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ τότε πατριάρχης Νικόλαος πυρὸς ἄξιον ἔκριναν, οἷς καὶ ὁ αὐτοκράτωρ σύμψηφος ἦν. Adeo corrupta fuere tempora illa, vt in vltima pii ac innocentis

centis hominis ſupplicia omnes amice conſpirarent. Excauatur igitur fouea in Hippodromo, conficitur in eo ſtrues ex totis arboribus congeſtis, ſtatuta ad alterum latus cruce, optioneque data, velitne crucem venerari, an rogum conſcendere. Ducitur Baſilius intrepidus, hoſtium minis ſpretis, ab angelis ſe ex igne ereptum ac in beatornm ſedes translatum iri dicens: quod homines de viſibili aliquo auxilio & corporis in mediis flammis incolumitate peruerſe interpretabantur. Subinde autem cantabat illud e Pſalmo XXX. 7. 8: πρός σὲ δ' οὐκ ἐγγιεῖ, πλὴν τοῖς ὀφθαλμοις σȣ κατανοήσεις. ſummaque conſtantia muniebat pectus: quam Anna *p.* 493. pro ſua in hominem iniquitate, miſere traducit tanquam ſummam rerum deſperationem, quae illum, mente gradu deiecta, impediuerit, quo minus vtilia ſibi eligeret, vel quod ſpiſſas ipſi tenebras offuderit malus genius. Quod autem legitur ingentem animi dolorem planctibus atque gemitibus ſignificaſſe, non puto illud pertinere ad perturbationem quandam animi propter inſtans ignis ſupplicium, quod palinodia effugere poterat; ſed quod fratres ſuos, qui praeſentes aderant, ſua culpa in tantam calamitatem adductos videret. Ita enim Euthymius: τοὺς γὰρ μαθητὰς, ὡς εἴρηται, καὶ συγγενεῖς οὕτως ελεεινῶς ἔχοντας ἰδὼν παρὰ πᾶσαν προσδοκίαν (μέχρι γὰρ τῆς τελευταίας ἡμέρας ᾤετο πάντας ἐν ἀγαθοῖς εἰναι, κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως ὑπόσχεσιν) καὶ προδοσίαν ἐγκληθείς ἀφῆκε μὲν πικρῶν δακρύων πηγὰς, ἀνέπεμψε δὲ ϛεναγμοὺς βυθίȣς τὴν ἔνδον τῆς καρ-

δίας

δίας φλόγα μηνύοντας κ. λ. Anna deinde narrat, Basilium iactasse, se ex illo igne saluum euasurum: cuius rei experimentum capere voluisse carnifices, pallio eius in ignem iniecto: quod cum statim igne absumtum esset, silicernium ita delirasse, vt turbae circumstantium acclamaret: ὡς ὁρᾶτε τὸν μανδύαν εἰς ἀέρα ανιπτάμενον. Vel male eum intellexerunt homines, vel ipse absurdos & timidos homines irridere volebat, qui ex illa eius cum malo daemone familiaritate malum sibi aliquod imminere suspicabantur. Carnifices vero, qui hoc specimine vanitatem hominis ostendi putabant, pulso metu, medium prehensum in ignem proiecerunt, cuius violentia statim consumtus est. Iam multos illos Basilii sectatores ad eandem poenam deposcere insana plebs, in ignem eos proiecturi, ni illos Imperator sua auctoritate ab hoc consilio reuocasset. Omnes itaque ἐν ταῖς τῶν μεγίςων ἀνακτόρων ςοαῖς καὶ τοῖς παραδρόμοις, in varias custodias dati, & dein in angustiores carceres ad vitae finem vsque conclusi sunt.

XI.

Basilio crudeliter exstincto, non item doctrina eius interibat, sed in multorum adhuc animis haerebat. Hinc factum est, vt Bogomilus aliquis, Constantinus Chrysomalus, scripta secundum haec dogmata consignaret, quae cum multis communicabantur, tanquam δυνάμενα πρὸς βίον ῥυθμίζειν τοὺς πολλοὺς ἀκριβέστερον. Cum

 autem

autem omnes Historiae Ecclesiasticae periti consentiant, haec scripta Quietistica magis, quam impia esse, a Synodo tamen dicantur illa continuisse πλέον τῶν ἄλλων ἐνθουσιαστῶν καὶ Βογομίλων, facilis est conclusio, horrendas Bogomilorum doctrinas, quae huic non affingebantur, mendacia esse. Tria tunc exempla reperiebantur, primum nimirum in monasterio Domini Nicolai, cuius monachi illud ab Euthymio in Gerocomii monasterium cooptato acceperant, & primi totius rei indices erant; alterum apud Petrum, monasterii S. Athenogenis praesulem; tertium apud Georgium praesulem, cognomento Pamphilum. Tanti visa est res, vt praeside Patriarcha Leone Synodus (y) multorum Episcoporum & Ecclesiae doctorum, praesentibus etiam Principibus quibusdam, haberetur, quae, vti facile est coniectu, Constantinum declarauit haereticum, scripta eius flammis exussit, & grauem poenam proposuit vel legere ea vel seruare apud se ausuris. B. Wolfius *p.* 36. hanc a mortuo exactam poenam sine censura dimittit. Pessimus vero mos est & illaudabilis plane eorum (z) zelus, qui imperatores Christianos permouerunt ad igne abolenda scripta haereticorum, poenam etiam capitalem statuendam in eos, qui legere vel seruare tantum ea

(y) Vid Acta eius apud Allatium *de Ecclesiae occidentalis & Orientalis perpetuo consensu lib.* II. *cap.* 11. *p.* 644.

(z) Pluribus in hunc zelum igneum inuehitur Ven. Weismannus in Diss. praeliminari ad *Historiam Ecclesiasticam* § 2.

ea ſuſtinuerint, ne diſcrimine quidem adhibito inter libros haereticorum bonos, in quibus nempe nulla haereſis venena ſparſa erant, & malos: vnde iacturam illam multorum inſigniter nobis profuturorum librorum, qualis v. c. eſt Apollinaris, viri doctiſſimi, contra Porphyrium liber, adhuc dolemus. Illi tantum ſunt comburendi libri, qui vel mores corrumpunt, vel ipſa religionis, adeoque & ſocietatis humanae, fundamenta euerſum eunt: reliqui debent tantum ex inſcitae plebis manibus auferri, vti ſolemus venena ſeparato loco reponere, ne imprudentes illis ſibi noceant. Obelo etiam configenda, ſiqua illis continentur, mendacia, refutandi errores. Sed, vt redeamus ad rem, Petrus ille & Pamphilus γνησίως Bogomili fuere, qui ex lectione ſcripti huius multa vera dogmata hauſiſſe videntur, at, quia acerbam reformidabant poenam, in viam communem ſe rediiſſe ſimulabant. Petrus quidem ſtuporem ingenii excuſauit, quo non potuerit ſtatim occultos illos errores detegere. Credo, nec poſt palinodiam inuenit vllos. Sed loco tamen motus eſt, atque in monachorum numerum redire, ſeque aliorum imperio & inſtitutioni ſubiicere iuſſus, tanquam qui propter ingenium quouis piſtillo obtuſius, cum nempe ita arreptos Conſtantini errores peruidere non potuerit, ineptus ſit, qui aliis regendis atque inſtituendis praeficiatur. Pamphilus autem, quem Balſamon ad *Can. XL. Apoſtol.* expreſſe vocat αἱρετικὸν, dimiſſus eſt, adiuncta graui interminatione, ne reſumere aliquando abiectos errores cogitet.

XII.

Poſt haec tempora compertum eſt, indice Tyanorum metropolita Baſilio, duos in Cappadocia Epiſcopos, Clementem Saſimorum, atque Leontium Balbiſſarum, Bogomilicos errores late diſſeminare: vnde a Michaele Oxita, Patriarcha Conſtantinopolitano, coacta eſt Synodus, cuius decreto dignitate epiſcopali exuti ſunt, vtpote qui contra praeſcripta Canonis primi Apoſtolici a ſolo metropolita epiſcopi ſint ordinati, cum canon iubeat a duobus vel tribus epiſcopis illum ordinari. Deinde dogmata eorum, tanquam ὄντων τῆς τῶν βογομίλων μυσαρωτάτης αἱρέσεως, anathemati (a) ſubiecta ſunt. Poſt hos ſtatim prodiit monachus aliquis Niphon, & ipſe Bogomilus: qui quam vitae ſanctitate excelluerit, audiemus in ſequenti e Coſma Patriarcha. Ille autem, quod verbis eſſet aſperior, vti mihi videtur, & ἀμετρίᾳ ἀνθολκῆς omnes orthodoxos *haereticos* ipſe vocaret, duos vero epiſcopos illos, quorum modo mentio facta eſt, pios & recte ſentientes; tum & propter prauas ſcilicet de religione opiniones ſynodali decreto a Michaele Patriarcha condemnatus, & barba, quam ad talos vsque productam geſtabat, ignominiae cauſa raſa, in carcerem ſive cellam monaſterii τῆς περιβλέπτου ire iuſſus eſt. Coſmas vero Patriarcha, qui Michaeli ſucceſſit, hominem, quem in oculis gerebat, in libertatem ſtatim aſſeruit. Ἐφίλει δὲ αὐτὸν ὑπερφυῶς

ὁ

(a) Sententiam in eos dictam e MScto exhibet Allatius *l. c. p.* 674. vbi legeſis crimina ipſis impacta.

ὁ Κοσμᾶς, καὶ ὁμιλητὴν ἐποιεῖτο τὸν ἄνθρωπον, τοῖστε κατ᾽ αὐτοῦ τὸ πρότερον ἐπεψηφισμένοις ἀδικίαν ἐπεκάλει. Aderant ſtatim amici, qui eum ab homine reiecto deſiſtere hortarentur, ne calumniis occaſionem daret: quos Coſmas parum curabat. Nam cum Imperator Niphonem in carcerem redire iuberet, pedibus manibusque Coſmas Aegineta, ἀνὴρ, Cinnami iudicio, βίῳ καὶ λόγῳ κόσμιος, & alio loco, πλὴν τοῦ ἀφελοῦς τ᾽ ἄλλα πάντα πεποιηκὼς ἀγαθὰ, σοφίας δὲ ἁπάσης μεταλαχών. Potiſſimum autem beneficus erga pauperes erat. Propter tam inſignes virtutes Iſaacius Caeſar, Manuelis frater, tantum non ſacrificia illi obtulit, tanquam Deo, & omnia Deo accepta & facienda putauit, quae ille ſuaderet. Hinc hoſtes eius anſam arripere deferendi nomen eius apud Imperatorem, tanquam qui Iſaacio regnum conciliare ſtudeat: quod Cinnamus nimium in laudes Manuelis effuſus praetermittit, Nicetas *lib.* II. exponit. Manuel itaque, adoleſcens ambitioſus, deiicere Coſmam throno cogitabat, cauſatus, illum cum Niphone, quicum ita familiariter viuat, perperam in multis dogmatibus ſentire. Sic enim Nicetas: κἀπειδὴ ἅπτεται μῶμος καὶ τῶν ἀφαύστων, καὶ ἅπας εἰς τὸ κακόν τι δρᾶν προσκλινέστερος, καθαιρέσει καθυποβάλλεται ὡς συναιρετίζων μοναχῷ τινι Νίφωνι. Inſtituit autem Imperator ſynodum, in qua ipſe ſigillatim praeſules ſententiam de fide & pietate Niphonis rogabat: qui vno omnes ore, hominem impium eſſe, dicebant. Tandem vero Coſmas, cum ſententiam proloqui iuberetur, πολὺν

τοῦ

τοῦ Νίφωνος ἐσχεδίαζε τὸν αἰνετήριον, εὐσεβῆ τε ἀπαρακαλύπτως αὐτὸν ἀποκαλῶν, καὶ ἐς ἀρετὴν ἀπαράμιλλον; qua re permoti episcopi simul omnes clamabant, Cosmam non posse diutius Patriarcham esse: quod & factum est. Reliqua de eo huc non pertinentia omitto. Adiunguntur porro Bogomilis e saeculo XII. Michael Thessalonicensis, magister Rhetorum & magnae Ecclesiae Protecdicus, Nicephorus Basilacas, Eustachius Dyrrhachenus, & Soterichus Panteugenus, Antiocheni Patriarchatus Hypopsephius, ἄνδρες πολλοὶ τὴν σοφίαν, καὶ παντοδαποὶ τὸν λόγον, de quorum Βογομιλίᾳ cum nulla ad nos notitia peruenerit, *Bogomilus* autem commune eorum nomen fuerit, quorum vita plus quam vulgarem pietatem spirabat, praetermitto eos. Michael quidem iam moribundus rediit in gremium ecclesiae, cuius rei fidem fecit Confessione quadam, quam ex codice MS. sumtam inuenies apud Allatium *l. c. p.* 691. Saeculo XIII. Germanus, (b) Patriarcha Constantinopolitanus, oppugnauit Bogomilos in *Homiliis* suis, pro superstitione sua, propter negatum cruci & imaginibus idololatricum honorem. Haec hactenus de fatis Bogomilicae sectae.

XIII.

Accedo iam ad illud, quod in tota scriptione mea praecipuum est, vt de erroribus Bogomilis

(b) Vid. Oratio eius apud Gretserum *de Cruce T.* II. *p.* 549.

milis tributis ſolicite disquiram. Non debet res haec peremtoria auctoritate quadam definiri, ſed magna circumſpectione examinari, tum ne veros haereticos defendendos ſuſcipiamus, tum ne homines, qui ſanctiſſimum Seruatorem pie nobiscum venerabantur, & verae doctrinae ſe addixerant, tam grauibus haereticorum conuiciis inceſſamus: cum illi longe maiorem ſuis veritatis teſtimoniis gratiam a nobis inire debeant. Et ſane aut fallor egregie, aut videbunt omnes, qui liberum a praeiudicatis opinionibus animum habent, atroces de Bogomilis ab hoſtibus eorum, qui iidem & vnici de eorum doctrinis moribusque teſtes ſunt, ſparſas eſſe calumnias: quae res, ſi de his Orientis Waldenſibus tot nobis ſupereſſent monumenta, ac de illis Occidentis, non haberet multum ambiguitatis. Verum ſunt illa hominum iniquitate ſuppreſſa, vt veras eorum doctrinas ex hoſtium narrationibus petere cogamur, & quidem ex ſolius Euthymii, cuius veſtigiis reliqua turba preſſe inſiſtit. Quam vero puſillam mereatur hic auctor fidem, oſtenſum credo ſatis eſt §. IV. Sed ſine vlteriori praefamine potiora de erroribus Bogomilorum capita diſcutiam, reliquis leuioris momenti in commodius tempus reiectis.

XIV.

Primo dicitur ſacer codex iniuriam horum hominum paſſus eſſe. Sic enim Euthymius *Sect. I.* & ex eo Nicetas Choniata in *Theſauro orthodoxae fidei* apud Montefalconium in *Palaeographiae*

Grae-

Graecae | *libro IV.* | *p.* 333 : ἀθετοῦσι πάσας τὰς Μωσαϊκὰς βίβλϐς, μετὰ καὶ τοῦ ἐν αὐταῖς ἀναγραφομένϐ θεοῦ, καὶ τῶν εὐαρεστησάντων αὐτῷ δικαίων. Ναὶ μὲν καὶ τὰς μετ' αὐτὰς ἁπάσας, ὡς κατ' ἐπίνοιαν τοῦ Σατανᾶ συγγραφείσας. Ιλεως ἡμῖν εἴη Κύριος τὰ ἐκείνων λέγϐσι. Μόνας δὲ παραδέχονται καὶ τιμῶσιν ἑπτὰ, καὶ εἰς ἄκρον ἀποστηθίζϐσι. λέγω δὴ τὸ ψαλτήριον, καὶ τὸ ἑξκαιδεκαπρόφητον, καὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, καὶ τὸ κατὰ Μάρκον, καὶ τὸ κατὰ Λϐκᾶν, καὶ τὸ κατὰ Ιωάννην, ἕβδομον τὴν βίβλον τῶν πράξεων σὺν ταῖς ἐπιστολαῖς πάσαις, καὶ τῇ Αποκαλύψει τοῦ θεολόγϐ Ιωάννϐ, caetera. Hic quidem non eſt admodum operoſum calumnias detegere. Septem enim, quos modo memoraui, libros εἰς ἄκρον ἀποστηθίζϐσι, &, vti Germanus apud Gretſerum *de Cruce p.* 554. ait, σέβονται ὡς θησαυρὸν τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν, καὶ προσκυνοῦσι, καὶ ἀσπάζονται. Egregium ſane teſtimonium de hominum horum veneratione erga ſacram Scripturam! Iam vero cum in canticis Dauidicis & potiſſimum in libris noui foederis paſſim, v. c. Ioh. V, 46. 47. Moſis atque librorum eius memoria conſeruata, eorumdemque diuina origo indicata ſit, quî poſſunt Moſis libros reieciſſe, Sanataeque auctori adſcripſiſſe? Poſſet alicui dubium quidem in hoc argumento ſuboriri, qui meminerit, Manichaeos recepiſſe quatuor Euangelia, & tamen reſpuiſſe V. T. ſed recordari debet, hos omnia N. T. loca quaſi ab impoſtoribus inculcata eieciſſe, quae ſibi aduerſari viderent, priuilegio ſuo Diabolico, vt Augusti-

gustinus *contra Faustum XXII.* 15. appellat: quod non fecerunt Bogomili. Porro cognoscimus e *Sect.* Euthymii *VII.* (vbi ipse fatetur, multa ἐκ τῆς Μωσαϊκῆς κοσμογονείας συληθῆναι,) Bogomilos Mosaicae de creatione mundi & lapsu hominis narrationi, etsi eam multis deliramentis peruertisse dicantur, fidem habuisse: quod plane esset ἀδύνατον, si Mosis scripta pro mendacibus & ab ipso mendaciorum architecto Diabolo, vti *Ioh.* VIII. 44. ab ipso Christo vocatur, compositis habuissent. Friuola etiam sunt, quae Euthymius mendaciis suis, ne scilicet perpluant, attexuit, cum dicit: Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἀθετοῦντες τὰς Μωσαϊκὰς βίβλους ῥήσεις ἐξ αὐτῶν πολλάκις πανούργως εἰς συνηγορίαν ἑαυτῶν προσλαμβάνουσι. Nempe solebant Bogomili ex Mosaicis etiam libris praesidia sua doctrinae petere, (v. c. verba *Geneseos: In principio fecit Deus coelum & terram*, in *Sect.* VII.) vnde Euthymius veritus, ne commenta sua ita statim in oculos aliorum incurrerent, tale quid absurde finxit. B. Wolfio *p.* 48. non fuit difficile, rationes peruidere, quamobrem Bogomili *Pentateuchum* reiecerint: nimirum, quia illum suis de mundo a malo principio condito & Decalogo a Satana repetendo sententiis aduersari videbant. Sed pro more intrudit ille Manichaeos suos, quales non fuisse Bogomilos & Beausobrius, vir sagacissimus, protestatus est, & in sequenti clarius fiet. Cum enim Manes V. T. reiecerit inter alia & propter hanc causam, quod Deo membra humana tribuat, Bogomili vero hoc posterius statuisse dicantur, sequitur,

quitur, vt prius ſit falſum. Tum vero peruelim noſſe ex Wolfio cauſam reprobatorum Prophetarum priorum, cum venerati ſint Prophetas poſteriores, & cur non potius, ſi Manichaeorum veſtigia preſſerunt, cum iis totum V. T. reiecerint? Haec poſſunt ſufficere ad rei huius falſitatem demonſtrandam. De origine calumniae monebo adhuc aliquid. More illorum temporum (*) inuidiae cauſa appellabantur Manichaei, quicunque ea docebant, quae non doceri intererat corrupti Cleri quammaxime, quosque praeterea abſurdiſſimos haereticos haberi iſte Clerus cupiebat: vti & Waldenſibus accidit, qui V. T. repudiare dicebantur: quod falſum eſſe omnes, qui ſapiunt, norunt. Sed ſpeciatim mendacio occaſionem dediſſe credo allegoriam aliquam Bogomilorum, qui *Salomonis Prouerbiorum* IX. 1. *domum* illam *ſapientiae* dicebant ſuam Eccleſiam, & *ſeptem* illas *columnas* ſeptem libros diuinos, quibus tota doctrinae compages quaſi ſuffulta eſſet, haud ſcio an hoc ipſo declaraturi, ſe ſpernere merito illas multas traditiones, quae aequalem cum *Scriptura ſacra* auctoritatem tum obtinebant. Tria adhuc verbula adiiciam de ἀλληγορομανίᾳ, quae Bogomilis exprobratur. Inuenio, illos non tam allegoriis S. Scripturam peruertiſſe, quam potius dicta V. T. accommodaſſe tantum ad ſe ſuosque hoſtes, vero verborum Euangelii ſenſu inte-

(*) *Nil niſi Manichaeos ſomniant in hoc* (duodecimo) *ſaeculo hiſtorici Pontificii*, inquit Weismannus *Hiſt. eccl.* T. I, *p.* 847. editionis primae, *p.* 1013. ſecundae.

integro seruato: etsi eos ab his aliisue erroribus exegeticis plane immunes pronuntiare nolo, homines ita in literis rudes ac ἀναλφαβήτȣς. vid. *Sect.* 29. & 30. vbi tales ingenii ἀλληγοροφίλȣ lusus sunt. Prius illud testatur Euthymius *Sect.* 27: ὅσα μὲν περὶ ἁμαρτανόντων καὶ εἰδωλολατρούντων ἐν αὐτοῖς (scil. ἱεροῖς βίβλοις) εἴρηται, ταῦτα τοῖς καθ' ἡμᾶς πιστοῖς ἀνατιθέασιν, ὅσα δὲ περὶ εὐαρεστούντων θεῷ, πρὸς ἑαυτούς ἕλκȣσι, καὶ μετὰ πληροφορίας ἑαυτοὺς εἶναι τοὺς ἐκλεκτοὺς καὶ δικάιȣς καὶ κληρονόμους τοῦ θεοῦ λέγουσιν. Exempla aliqua apponam. Suam societatem vocabant *Bethlehem*, in qua nempe generetur λόγος τοῦ θεοῦ, (nimirum προφορικὸς, vti quondam in vico *Bethlehem* ἐνυπόστατος) corruptam autem sui aeui ecclesiam *Herodem*, qui verbo interitum moliatur; &, qui in ea viuebant, eos dicebant esse *Pharisaeos* illos & *Sadducaeos*, qui ad baptismum Iohannis venerant, genimina viperarum, semina serpentis eius, quicum Eua consueuerit. Porro appellabant se *magos*, τοῦτο μόνον ἀληθεύοντες, vti Euthymius iocatur, qui eos interpretatur γόητες. Sed intellexere illi *magos Persarum*, qui Christo infantulo religiosum honorem praestiterant. Contendebant etiam *sanctum* illud in Euangelio cum vera doctrina sua, sed simpliciori: *margaritas* cum intimiore & reconditiore, quas *porcis* & *canibus*, id est, idololatris sui temporis, obiicere nefas sit. *Vinum* etiam *nouum* cum sua doctrina comparabant,

bant, *vtres* (c) *veteres* cum iis, qui ſuam doctrinam reſpuerent: *nouos* cum iis, qui admitterent. Huius commatis plura vide apud Euthymium. Satius ſane erat, continuiſſe haec conuicia εἴσω ἕρκους ὀδόντων, ne hoſtium in ſe iram magis etiam prouocarent. Sed ipſi etiam aduerſarii mala tractatione ea illis (d) excuſſerant.

XV.

Iam res ſe nobis offert digna Simonidis (e) cunctatione, cum interrogaretur, quid & quales arbi-

(c) Miror, non eſſe etiam dictos noſtros *Aſcitas*, vti quidam apud Auguſtinum *haereſi* 62. & Philaſtrium *haereſi* 75.

(d) Commode hic monere poſſum, b. Wolfium p. 101. illud Ιωάννȣ τοῦ χρυσοςόμου Euthymii in *Sect.* 23. mutare in κοπροςόμου. Sed quia haec emendatio nimium a literis recedit, vix dubito, reſtitui debere χρηςοςόμου, χρηςολογία enim eſt nomen vitii, *nugacitas*, & belle conuenit hoc iudicium cum illo diuini Lutheri: *Chryſoſtomus iſt ein Waeſcher.* Debeo hoc, praeter alia plura, ſumme Ven. Praeſidi meo, quem, niſi laudum, quibus etiam ipſi opus non eſt, impatiens eſſet, nemo magis laudare deberet, quam ego, qui tot ipſi beneficiis obſtrictus ſum; nemo magis poſſet, quam ego, ſi eſſem eloquens, cum amabiliſſimas eius virtutes e propinquo intueri mihi liceat. Addo, ſi in obſcoenius corruperunt hoc nomen, vti Wolfio placet, malle me reſcribere χεσιςόμου, vti Zeno Chryſippum non aliter vnquam, quam χεσίππον, vocauit. Vid. Cicero *de natura Deorum lib. I. cap.* 93.

(e) Vid. Cicero *de natura Deorum lib. I. cap.* 60.

arbitraretur Deos. Dicit enim Euthymius *Sect.* 3. Bogomilos Deum ſtatuiſſe ἀσώματον μὲν, ἀνθρωπόμορφον δὲ. Ante omnia aliquid de voce ἀσώματος dicam, quae praeter eam vim, cum eſt idem, ac *materiae expers*, habet aliam quoque ſibi ſubiectam, cum non omne, ſed craſſius tantum corpus excludit, & notat *corpore* (f) *ſubtiliſſimo*, quale eſt aëris, praeditum, vti patet ex Origenis *Praef. ad Princip.* 8. *edit. Ruaei.* Et haec etiam hic intelligenda eſt, quia ἀνθρωπόμορφον eſſe neceſſario coniunctum eſt cum corpore. Niſi enim in dumeta correpere, ac ſenſu vacuis diſtinctionibus pugnare velimus, vti Epicurus, Deum ſpecie humana eſſe, ſed habere tantum *quaſi* corpus & *quaſi* ſanguinem, dixit, non video, quomodo facies humana rei incorporeae impreſſa cogitari poſſit. Itaque Bogomili Deum corporeum credidere: quod illis non debet valde exprobrari. Operae pretium fuerit, huius ſententiae origines paulo altius repetere. Naturam ſeu eſſentiam Numinis ſupremi non vult nobis aperire *ſacra Scriptura*, ſed perfectiones eius potius, quibus ad cultum atque obſequium Deo praeſtandum adſtringimur. At cum hominum ingenium ita ſit comparatum, vt res retruſiſſimas etiam cognoſcendi cupiditate flagret, inter quas natura Numinis ſummum locum tenet, & Patres ſpeciatim putarent, ita mu-

(f) Sic apud Origenem in *Ioh. T.* IV. *p.* 214. vocat aliquis expreſſis verbis naturam Dei σωματικῆς φύσεως λεπτομεροῦς καὶ αἰθερωδοῦς.

neris ſui rationes ferre, vt eam penitus perſpectam habere debeant, (ſecus ac Plato, qui in *legum libris*, quid ſit omnino Deus, inquiri non oportere, cenſet,) & tamen aperta ſimplexque mens quorundam intelligentiae vim ac notionem fugeret, accidit neceſſario, vt ideas corporearum rerum ad res ſpiritales & ſenſibus non ſubiectas accommodarent, atque Deo corpus aſſignarent Chriſtiani Philoſophi forte quidam, (gentiles iam non moror) quod non comprehenderent, quomodo ens aliquod ſpiritale ac materiae expers materiam mouere potuerit, cum per illam ſine alliſione aliqua tranſeat. E primae eccleſiae doctoribus nouimus Melitonem Sardenſem, virum virtutibus & doctrina inſignem: quem Deum corporeum credidiſſe, certus ſum. Confecit enim ille librum περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, qui titulus duplicem vim habet, vel de Deo corpore induto ſeu *incarnato*, vti Rufinus expreſſit, vel corporeo, vti exprimi debet. Nam Origenes, qui in Oriente, vti in occidente Nouatianus, hunc a monachis maxime receptum errorem confutabat, non oſcitanter, credo, ex ſolo titulo de libri argumento iudicauit, ſed totum librum perlegit, cum expresſis verbis confirmat, eum Deum corporeum ſtatuiſſe: quem locum eius notauit Theodoretus in *Quaeſt. XX. in Geneſ.* edit. Sirmondi *p.* 21. Prouocatur etiam vulgo ad *Catenam* quandam MS. cuius inſcriptio eſt: Κατὰ Μελίτωνος τοῦ σωματοποιοῦντος τὸν Θεόν. Equidem non noui, quid in illa contineatur, ſed neque hoc alicui temere conceſſerim, titulum,

etſi

etſi a recentiore quodam *Catenae* collectore impoſitum dicas, contra quam libri argumentum poſtulat, factum eſſe. Neque repugnat etiam pulcherrimus Melitonis locus, quem Caueus *Hiſt. lit. ſcript. eccleſ. P.* I *p.* 43 editionis Geneuenſis exhibet, qui nempe de diuina & humana Chriſti natura agit, rebus nunquam confundendis, etiamſi diuinam naturam corpoream ſtatuas. Denique nec illud quicquam valet, quod tantis eum laudibus affecerunt Hieronymus atque Euſebius, non id facturi, vt putant, ſi abſurdae ſententiae patronus exſtitiſſet. Primis enim ſaeculis non fuiſſe abſurdam habitam, mox (g) patebit. Tertullianus etiam Deo corpus adſcripſit, quia putabat, quod corpus non ſit, purum putum nihilum eſſe. Sic enim ille *adu Praxeam cap.* 7: *Quis enim negabit, Deum corpus eſſe? Spiritus etiam corpus ſui generis eſt in ſua effigie;* & in libro *de carne Chriſti cap.* XI: *Omne, quod eſt, corpus eſt ſui generis. Nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt.* Qui hic corpus per *ſubſtantiam* exponere volunt, falluntur, vti puto, quia non ita Latini ſermonis imperitus ac vocabulorum inops fuit Tertullianus, cum ſubinde etiam voce *ſubſtantia* vtatur. Patet etiam inde, quod *c.* 8. *adu. Praxeam* generationem filii Dei per προβολὴν explicat, id eſt, per prolationem vnius *corporis* ex alio, ſed ſine diuulſione, ad vnitatem eſſentiae conſeruandam, vti riuus ex fonte proſilit,

(g) Conf. Bulli *Defenſio fidei Nicenae* in annotatis ad *cap.* V. *Sect.* 2. vbi etiam modo laudatus locus Melitonis extat: quod Caueum fugit.

ſilit, truncus e radice excreſcit. Vide etiam Huetii *Origeniana lib. II. Quaeſt. I.* §. 8. Volebant autem a Dei corpore remouere illam humani corporis craſſitiem: hinc fingebant illud lumen aliquod puriſſimum, aethereum, quo nihil ſibi pulchrius, nihil ab interitu ac corruptione immunius repraeſentare poterant. Vt ex veteribus vnum tantum teſtimonium adducam, Leo I. *Serm. I. in Epiph.* Dei eſſentiam vocat ſempiternae ac incorporeae *lucis* eſſentiam. Voce autem *incorporeus* non excluſere Patres viſibilitatem, adeoque nec corporalitatem plane. Quomodo enim oculi mere corporei videant ens tantum intelligibile, omni extenſione carens, cuius imaginem nullam concipere poſſet oculus? Dicebant autem, oculos mortalium dinina vi acuendos eſſe, vt in inuiſibilem, nempe reſpectu certo, naturam Dei inſpicere valeant. Nota eſt acris controuerſia inter Gregorium Palamam atque Barlaamum ſaeculo XIV. exorta de *lumine Taboritico*, create an increato; vbi Palamas increatum eſſe defendebat, quod quaſi veſtimentum aliquod ex eſſentia diuina emanet, conſentiente Allatio *de perp. conſ. eccleſ. orient. & occid. p.* 837. qui errorem vocat abſurdum, ſi quis contrarium ſtatuat, & neget, illud lumen fuiſſe Deitatis gloriam, lumen ab eſſentia diuina emanans, vnum idemque cum eſſentia diuina, vti aperte propugnent Patres Ephrem, Cyrillus Alexandrinus, Iohannes Chryſoſtomus, Baſilius M. caet., tum & ſi quis neget, oculos corporeos diuina vi corroborari poſſe, vt Diuinitatem conſpiciant. Sunt, fateor, alia horum

rum Patrum dicta de natura Dei inuiſibili, ſine figura & magnitudine: ſed quae hic opponi non debent, cum non raro fiat, vt ii, qui de natura Dei diſputant, ſibi contradicant. Haec de corpore Dei. Iam ad eius formam humanam progrediamur. De quibusdam vere dixit Velleius apud Ciceronem: *Ita eſt anticipatum atque informatum mentibus noſtris, vt homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana.* Ortum hoc eſt ex hominum de ſe praeiudicio, qui ſibi ipſi ſuffeni nullam membrorum compoſitionem, nullam lineamentorum conformationem, quam hominis, pulchriorem eſſe putabant, &, cum etiam in nullo alius formae animante ineſſe rationem cernerent, etſi ea non impedit, quo minus rationem bruta animalia habeant, Deum corpore atque membris humanis veſtierunt. Sed credibile eſt, iam plures Iudaeos talem ſibi finxiſſe Deum, qui illa dicta *ſacrae Scripturae* in quibus Deo ἀνθρωποπαθῶς membra humana tribuuntur, pingui Minerua interpretarentur. Audius enim medio ſaeculo IV. eo nomine notus, quod Anthropomorphita fuit, ex Ebionaeorum, hominum Iudaeo-Chriſtianorum, familia (h) erat. Tempore Auguſtini videtur haud exigua Chriſtianorum in Africa pars hanc ſententiam fouiſſe, cum Auguſtinus *Confeſſionum lib. V. cap. X.* 20. *Opp. T. I. p.* 84. edit. Antwerp. teſtetur, ſe eo errore Anthropomorphitarum ita diu in Manichaeiſmo retentum fuiſſe, (Manes enim Deum lumen extenſum, puriſſimum, non vero forma humana praeditum, ſtatuebat,) quia

(h) Vid. praeſt. Beauſobrius *Hiſt. Manich T. I. p.* 501.

quia magis pium tum ſe eſſe credebat, quam ſi ex omnibus partibus corporis humani forma Deum finiri opinaretur. Saeculo X. adeoque non longe ante Bogomilorum tempora in dioeceſi Veronenſi atque Vincentienſi ſuperſtites fuere multi Anthropomorphitae, teſte Ratherio apud Lucam Dacherium *Spicil. T. I. p.* 388. edit. Paris. 1723. Nam cum Ratherius e ſuggeſtu doceret, Deum incorporeum eſſe, murmurabant ſacerdotes quidam, adhuc ſe ſibi viſos eſſe aliquid ſcire de Deo, nunc plane nihil, cum Deo corpus, manus, pedes abiudicentur. Tota haec diſputatio eo pertinet, vt oſtendam, non deeſſe Bogomilis in hoc de Deo corporeo errore verſantibus auctoritatem clarorum & ſpectatorum in Eccleſia virorum, qui hunc errorem ſecum communem habuerint, non adeo vehementer vitio vertendum. Etſi enim ingens quidem error (i) eſt, negare Dei immenſitatem (nam, qui Deum corporeum credit, nec tamen mundum partem Dei facere vult, ille certis naturam diuinam includit terminis:) veniam tamen merentur, quia, dum ſapientiam atque potentiam diuinam nullis circumſcribebant limitibus, religionem, timorem, amorem, obſequium ſummo Numini exhibendum integrum conſeruabant, neque, quae ex il-

la

(i) John Edwards in *the free diſcourſe of Truth and Error p. 139: If it ſeemeth good to God, to permit the holieſt perſons to fall ſometimes, into very great misdemeanours in their practices, he may alſo ſuffer them to be groſly misled as to their opinions and Judgments, he may let them be carried away for a time with falſe and erroneous doctrines.*

la opinione fluant incommoda, perſpiciebant. Neque etiam vsquam ex veterum ſententia Deus in Scriptura ſacra *incorporeus* dicebatur. Illa enim verba *Ioh. IV.* 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς, adeo nihil illis probare videbantur, vt potius quidam inde conficere vellent, teſte Origene *de Princip. l.* 1. ſtatim ab initio, Deum eſſe corporeum. Sciendum quippe, quam nos ſubiicimus voci *ſpiritus* poteſtatem, toto coelo differre ab illa veterum, qui ſpiritum non poterant cogitare ſine affectionibus corporum. *Lumen* igitur, id eſt, corpus ſubtiliſſimum, tribuiſſe videntur Deo Bogomili, haud ſcio an ſecundum illud *Iacobi I.* 27. vbi ***pater luminum*** dicitur Deus, hoc eſt, ſecundum quosdam (k) Patres, reliquarum perſonarum Diuinitatis. Atque hic puto me originem inueniſſe inſulſae de Bogomilis narrationis, eos filium atque Spiritum S. fingere duos radios ex patris meningibus prodeuntes. Quod autem dicuntur Deo formam humanam addidiſſe, illud quidem accidere potuit, vt homines hi, ſtudio literarum non dediti, ſed qui ſacrum codicem diurna nocturnaque manu verſabant, illud *Geneſ. I.* 26. בצלם אלהים ברא אתו craſſius intellectum huc traherent, vti & Auguſtini tempore quidam, ipſo teſte *de haereſibus c.* 76. corpus, non animam, imaginem (l) Dei dicebant. Sed fateor, me

(k) Quorum verba adduxit Suicerus *Theſ. Eccleſ.* T. II. *p.* 1482. n. 3.

(l) Ex Iac. Goari *Euchologio p.* 684. concludi poteſt, hodiernos Graecos imaginem Dei ponere etiam in pulchra hominis forma externa. Vid. Heineccii *Abbildung P.* II. *p.* 106.

me eo propendere, vt dicam, hoc posterius esse calumniam ex Enthusiastica Bogomilorum visione, de qua statim dicturus sum, ortam. Vt vero putem, Deum eos quasi *lumen* aliquod cogitasse, inducit me illa de radiis duobus fabula. Euthymius autem vim vocis ἀσώματος, cum corpus subtile notat, ignorauit. Hinc deridendos propinare vult, vt qui ἀδύνατα statuant.

XVI.

Ex antecedenti disputatione iam patet, & illud fictum esse, cum dicuntur tres Diuinitatis personas ideo tantum venditasse, vt fucum simplicioribus facerent, re ipsa autem vni patri tres illas appellationes more Sabellianorum tribuisse. Commemorat b. Wolfius *p.* 56. secundum institutum suum, eorum in hoc errore socios, Montanistas, Samosatenianos, Messalianos, Priscillianistas: quos omnes ab hoc certe errore liberos pronuntiari oportere, persuasissimus sum. Non est res huius loci, de omnibus sigillatim id ostendere. Exemplum producam Montanistas, qui nihil aliud erant, quam *Pietistae*, pars etiam *Inspiriti*, vt vocantur, quos immerito (m) huius erroris reos peractos esse, patet vel ex tribus eorum Ecclesiae periodis, quas singularum personarum moderamini subiectas aiebant. Sic & in causa Bogomilorum commentum statim pellucet, cum

(m) Agnoscit hic Montani innocentiam Ittigius *lib. de haeresiarchis Saec.* II. *cap.* 13. §. 2. Plane vero ex haereticorum numero excludit Montanistas Dallaeus *lib.* III. *de vsu Patrum cap.* 4. *p.* 259. *sqq.* & Buddeus in *Hist. Eccles.* MS.

cum Euthymius, mendax non valde memor, in *Sect.* 23. affirmat, eos per quietem, quin & vigiles, ſigillatim ſibi viſos eſſe videre tres Diuinitatis perſonas, patrem nimirum tanquam ſenem prolixiori barba, filium tanquam iuuenem pubeſcentem, Spiritum S. tanquam adoleſcentulum plane imberbem: quod ab hominibus melancholicis defendere ſi velim, audaculus ſim. Sunt maiores eorum Meſſaliani etiam eo nomine noti, quod ipſismet oculis ſuis S. S. Trinitatem conſpicere ſe crepabant, quia, vi atrae bilis, tales homines, cum intimam ſe & in ſenſus etiam incurrentem cum ſummo Numine conſuetudinem propter pietatem habere ſibi perſuaderent, res in ſomnio etiam oblatas non temere niſi diuinitus accidiſſe putabant: quale quid & de Iac. Boehmio conſtat.

XVII.

Iam quantum per illas mendaciorum nebulas licet, veram *Bogomilorum* de filii Dei ortu ſententiam declaremus. Euthymii in *Sect. IV.* verba haec ſunt: λέγουσι, μήτε υἱὸν εἶναι, μήτε πνεῦμα ἅγιον, ἄχρι τοῦ πεντακισχιλιοστοῦ ἔτους· ἐκ τότε δὲ λαβεῖν αὐτοὺς ἀρχὴν τοῦ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι. & in *Sect. III.* λέγουσι τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς τὸν πατέρα πάλιν, ἀφ᾽ οὗ προῆλθον, ἀναλυθῆναι, καὶ τριπρόσωπον αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πεντακισχιλιοστοῦ πεντακοσιοστοῦ ἔτους, ἄχρι καὶ τριάκοντα καὶ τριῶν ἐτῶν χρηματίσαντα πάλιν γενέσθαι μονοπρόσωπον. Repugnant hae criminationes prioribus. Prius enim audiebant Sabelliani, quod, nomi-

nomina perſonarum diuerſa tantum ſolius patris attributa exprimere, dicerent; iam vero duas alteras perſonas diuinitatis, ſed aliquamdiu tantum exiſtentes, credidiſſe dicuntur. Non opus eſt magna perſpicacitate ad inueniendam calumniae huius originem, quam nempe ex allegoria aliqua (quibus vtinam plane abſtinuiſſent!) trahit. Sic autem pergit Euthymius: λέγουσι, ὅτι ὁ μὲν πατὴρ ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ὁ δὲ υἱὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τοῦτο δὲ ἐγέννησε πνευματικῶς τὸν προδότην Ἰούδαν, καὶ τοὺς ἕνδεκα ἀποςόλους. Verba *Matth. I. 2.* vbi de proſapia & generatione Chriſti hominis ſermo eſt, ἀλληγορικῶς, nec plane illepide, ad generationem diuinae Chriſti naturae accommodarunt, & per Abrahamum dixerunt repraeſentari etiam Deum patrem, qui genuerit filium, vt ille Iſaacum, ex quo natus ſit (n) Spiritus S., vti ex Iſaaco Iacobus: vnde forte proceſſionem Spiritus S. a filio, contra Graecae eius temporis eccleſiae dogmata, eos defendiſſe, coniicere licet. Iacobum pergunt procreasſe Iudam, eiusque XI. fratres, & ſic etiam Spiritum S. Iudam cum reliquis XI. Apoſtolis, ſed πνευματικῶς (quae vox in Graeco codice, non item in La-

(n) WOLFIVS hinc cum Euthymio inaequalitatem perſonarum exſculpit. Sed quis in allegoriis ἀκρίβειαν requirat? Tum & *p. 66.* reprehendit eos, quod Spiritum S. *genitum* dicant. Sed repono, quod modo monui, tum & illud, eodem iure de Spiritu S *generationem* dici poſſe, quo de filio vocem *proceſſionis* promiſcue Patres adhibuiſſe notum eſt. Nos quidem vtraque loquendi forma abſtinendum putamus.

Latina verſione, reperitur:) hoc eſt, *ſpiritualiter*, regeneraſſe, & ad amplexandum Meſſiam (o) perduxiſſe. Quoniam haec vltima ſpiritualis generatio ſecundum vulgarem Graecorum ſupputationem incidit in annum a mundo condito 5530, & quod excedit, ac ipſe Chriſti hominis ortus in a. m. 5500. vel 5508, peſſime calumniatus eſt Euthymius, eos duarum harum perſonarum ortum eo reiicere, & cum ipſo viſibili Chriſti ex orbe terrarum exceſſu ἀνάλυσιν filii & Spiritus S. in patrem factam (p) credere. Adiungam ſtatim, quoniam deinde eius rei vſus erit, quid de ortu filii Dei ſtatuiſſe videantur, etſi pro certo id affirmare nondum auſim. In ea, ni fallor, ſententia fuere, in qua & ante-Nicaeni Patres quidam, v. c. Athenagoras, Hippolytus, *caet.* & poſt-Nicaeni, v. c. Zeno Veronenſis & Rupertus Tuitienſis, fuiſſe deprehenduntur, qui initium exiſtentiae perſonalis filii paulo ante productam rerum vniuerſitatem locabant, & filium tamen (q) ἀΐδιον, vel quod idem eſt, ἄχρονον ὑπέρχαιρον, id eſt, paulo ante tempus, quod cum condito

(o) Si quis nugis delectari volet, legat egregiam, ſi Diis placet, Euthymii confutationem.

(p) Enthymius *Sect. IV.* inepte confutat Bogomilos, quia λόγον ipſe habuit pro forma quaſi in eſſentia patris, pro ratione, qua ipſe pater λογικὸς eſt: quam opinionem & quorundam antiquorum fuiſſe, Petauius contendit, Bullus in *Defenſione Fidei Nicenae Sect.* III. *cap.* V §. ¶. negat.

(q) Haec nomina tribuit etiam Baſilius mundo intelligibili, quia ante noſtrum productus eſt, etſi illi non niſi aeternitas extrinſeca adſcribitur.

dito mundo coepit, ortum, & patri, quantum ad ſubſtantiam, συναΐδιον dicebant, qui nempe ab omni aeternitate ἀγεννήτως, antequam generaretur, in patre fuerit, ſed paulo ante mundum conditum γεννήτως exiſtere coeperit, diſtinctamque ὑπόστασιν (r) acceperit. Qui autem, propter antiquitatis venerationem, Patrum ſententias cum noſtra veriore doctrina conuenire ſibi (s) perſuadent, confugiunt ad impropriam, ac volunt, eos per generationem intellexiſſe egreſſum filii e patre ad producendum mundum, προέλευσιν κατ' ἐνέργειαν, vt ſe patremque rebus creatis patefaceret. Haec hactenus. Per Michaelem Archangelum putabant etiam *Bogomili* ſignificari Chriſtum, qui iuſſa patris hominidus denuntiarit, atque reliquis augelorum ordinibus praefectus ſit, adductis in eam rem verbis Biblicis: Καλεῖται γὰρ τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, plane vti Baſilius, etſi Michaelem non habuit pro increato angelo, *contra Eunomium II. p.* 742. edit.

(r) Vid. Clericus *Art. Crit. P.* I. *p.* 310.

(s) v. c. Bullus, quem confer in *Def. fid. Nic. Sect.* III. *cap.* 5 - 8. qui etiam *cap.* IX. §. 13. Rupertum tueri conatur. Sed, ſi quid iudico, nihil aliud diſputatione ſua effecit, quam, non fuiſſe Arrianos Patres hos. E. g. Athenagoras *cap.* V. §. 2. nihil aliud negat de filio Dei, quam eſſe eum γενόμενον, id eſt, factum ἐξ οὐκ ὄντων, optime ſane, cum tantum γεννώμενος ſit ex patre. Hippolytus vero *cap* VIII. §. 1. verbis illis: *atque ita aſſiſtit ei alius*, clare indicat, ſua ſententia tum demum coepiſſe perſonalem filii exiſtentiam. Latius in praeſenti euagari non licet.

dit. Parif. 1638: τίς οὖν ὁ αὐτὸς ἄγγελος καὶ θεός; ἆρα οὐχὶ περὶ οὗ μεμαθήκαμεν, ὅτι καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος; Euthymius vero *Sect. VIII.* acerbe eos traducit, ipſe ſale perfricandus propter vel ſummam ſtupiditatem, vel potius animi improbitatem, cum ita perſpicuam Bogomilorum mentem percipere noluit: quam hominis iniquitatem ſilentio praetermiſit b. Wolfius, Wincklerus autem in *Diſſ. de Bogomilis*, quae in *Opuſculis I. A. Fabricii* exſtat, p. 320. agnouit.

XVIII.

Conſideranda nunc ſunt, quae de ἐνσαρκώσει Chriſti circumferuntur *Bogomilorum* ſomnia. Euthymius *Sect. VII.* de hac re ita exponit: λέγουσι, κατελθεῖν ἄνωθεν, καὶ εἰσρυῆναι διὰ τοῦ δεξιοῦ ὠτὸς τῆς παρθένου, καὶ περιθέσθαι σάρκα τῷ φαινομένῳ μὲν ὑλικὴν καὶ ὁμοίαν ἀνθρώπου σώματι, τῇδε ἀληθείᾳ ἄϋλον, καὶ θεοπρεπῆ, καὶ ἐξελθεῖν αὖθις ὅθεν εἰσῆλθε, τῆς παρθένου μήτε τὴν εἴσοδον αὐτοῦ γνούσης, μήτε τὴν ἔξοδον, ἀλλ' ἁπλῶς εὑρούσης αὐτὸν ἐν τῷ σπηλαίῳ κείμενον ἐσπαργανόμενον caet. His verbis Euthymius non bene expreſſit mentem ſuam. Aut enim ſtatuit, Bogomilos voluiſſe, Chriſtum in vtero virginis circumpoſuiſſe ſibi carnem φανταστικὴν, aut detuliſſe ex coelo corpus coeleſte, ex incorruptibili materia, qua domicilium diuinum repletur, conflatum, & a vitiis corporeae concretionis libetum. Haec autem coeleſtia corpora putabant

propter

propter ſubtilitatem & explicari & contrahi poſſe, atque ſic illud Chriſti per Virginis vterum, inſtar aquae per tubum labentis (t), tranſiiſſe. Vterque error eſt deteſtandus, atque cum aliis grauibus coniunctus. Si enim Chriſtus caruit vera carne, nullum eſt munus eius pontificiale, nulla pro peccatis ſatisfactio, nec aliud quid relinquitur, quam vt fuerit doctor aliquis diuinus, qui homines ad ſalutarem Dei cognitionem reducere, atque, ſi aeternae felicitatis participes eſſe velint, quam duriter tractari corpus atque cupiditates compeſci oporteat, vana ſuorum laborum imagine oſtendere ſtuduerit. Ab vtroque autem abhorruiſſe bonos Bogomilos, clarum eſt e *Sect. XIV.* vbi crucem deſpicatui habuiſſe dicuntur, quod in ea Seruator vita priuatus eſſet. Quomodo vero conſiſtunt haec cum actionibus Chriſti atque perpeſſionibns φαντασικοῖς? Itaque non fuere Manichaei, non credebant, vti hi, teſte Auguſtino *contra Fauſtum* XXIX. 3. mortem Chriſti imaginariam. Animi pendeo, an & alterum illud inter mendacia de his hominibus ſparſa locum habeat, nec ne? quod de influxu Chriſti per aurem Mariae perhibetur. Si res ita ſe habet, deuenere homines in eandem ſat inficetam cogitationem, quae & Patrum quorundam fuit, quemadmodum ex paruo ſinu auris Euae (ſunt verba Ephremi) ingreſſa

&

(t) Hoc poſterius videtur ipſis tribuiſſe, quia idem & Meſſalianis *Tit.* XXII. affricauit: in quo & Wolfium mecum ſentire concludo ex allato ab eo Photii loco.

& infusa sit mors, ita per nouam Mariae aurem intrasse & infusam esse vitam: cuius formulae auctor est Gregorius Thaumaturgus, vti existimat Vossius, interpres Ephremi. Praeterea Augustinus *Serm.* 22. *de tempore in Natiuitate* diserte ait: *Deus loquebatur per suum angelum, & Virgo per aurem impraegnabatur.* Tempore autem Agobardi Lugdunensis in templis haec resonabant verba: *Verbum intrauit per aurem Virginis, & exiuit per auream portam.* Vid. Assemanni *Bibl. Orient. Clem. Vat. T.* I. *p.* 91. Beausobre *Hist. Manich. T.* I. *p.* 541. Illa autem Augustini verba optimum recipiunt sensum, quod nempe Maria, audita angeli annuntiatione subito conceperit vtero e Spiritu sancto. Si igitur Augustinus non est hoc nomine haereticus, cur, quaeso te, Bogomili, ita, vt Augustinus, forte loquentes, ita, vt Augustinus, sentientes? Sed optime dixero, haec duo pertinere ad vnam eandemque calumniam, atque, altera eius parte falsi conuicta, collabi & alteram. Quotquot enim corpus Christi coeleste credebant, ii illud etiam per aurem introiuisse nugabantur.

XIX.

Sequuntur dirissimae, si verae essent, Bogomilorum blasphemiae, a quibus ipsi Manichaei (u) abhorruerunt, vt qui maxime. Pluscula tamen

(u) Hi enim Diabolum nec pro filio, nec pro creatura

men interdum ex Manetis nugamentis inculcata deprehendemus, ſed ita peruerſe, vt & hic monacho litera illa, calumniae nota, ad caput affigenda dici poſſit. Verba Graeca, quia longiora ſunt, apponere hic ſuperſedeo. Sententia autem breuiter huc redit. *Bogomili* dicunt, Satanam vocatum fuiſſe Satanaelem, & fuiſſe ipſum quoque filium Dei, Verbo natu maiorem atque praeſtantiorem, tanquam primogenitum. Conſtitutum fuiſſe domus procuratorem, atque ſecundum a patre conſediſſe ad eius dexteram in ſolio eadem ſtola indutum. Tandem aliquando, cum nimia ſua dignitate efferretur, defectionem molitum inferiores eum poteſtates tentaſſe, vti excuſſo graui iugo ſecum in patrem conſurgerent, vſum dicto illo Biblico: *θήσω τὸν θρόνον μου ἐπὶ τῶν νεφελῶν, καὶ ἔσομαι ὅμοιος τῷ ὑψίστῳ.* Qua re patefacta, a Deo eum deiectum eſſe in terram inuiſibilem (x) atque rudem, &, quia diuina adhuc

ra Dei habebant. Nam, ſi prius eſſet, patri foret ὁμοούσιος, quod impium dictu. Poſterius, vti inquiebant, non poteſt eſſe, quia ſecundum *Ioh.* VIII, 44. patrem habet *mendacem*. Credebant autem daemones ex materia compoſitos, atque e tumultuoſa materiae agitatione ortos, adeoque natura ſua malos.

(x) *ἀόρατον καὶ ἀκατασκεύαστον*, quae verba e *Gen.* I. 2. ſumta ſunt, vbi illud תהו ובהו ita redditur. Indicant autem materiam primam, quae ἐν ἅδῃ erat, cuius partes tenuiſſimae ſenſus fugiebant, & quae tum demum conſpici poterant, cum eae aliarum coniunctione augeſcerent, atque formam

huc forma & creandi potentia pollebat, condidiſſe terram, & quae in ea continentur; paulo poſt vero, cum ſumta ſerpentis ſpecie cum Eua conſueſſet, ab irato Deo eum & diuina forma, & creandi facultate, Dei denique appellatione, priuatum eſſe, relicto ipſi tamen imperio in ea, quae ipſe condidiſſet. Poſthaec cum gigantes, ex daemonum cum filiabus hominum coitu orti, bellum ipſi indicerent, furore incenſum aquarum eluuionem orbi terrarum immiſiſſe, &, poſt aliquot ſeculorum decurſum, Iſraelem ex Aegypto eduxiſſe, legesque ipſi tuliſſe, & quae reliqua ſunt ſummi Numinis facta, quae hi Diabolo adſcribunt. Tandem cum pater animaduerteret, quam acerbo daemonum dominatu premantur homines, deſcendiſſe Chriſtum, qui Diabolum graui catena vinctum in Tartarum detruſerit, atque eius nomini *Satanael* ſyllabam *el*, quae eſt angelica, ademerit, vt poſtea *Satanas* audiret. Eamus per ſingula, &, quoad eius fieri poteſt, durae frontis monachum mendaciorum conuincamus. Primo vult, hos homines Chriſtianos, qui Ieſum venerabantur; Satanam, vti omnes paginae loquuntur, exſecrabantur; qui flammis interire, quam imagini aut cruci genuflexionis honorem praeſtare malebant; tam indigna in Ieſum conuicia protruſiſſe, vti Daemonem malum ipſi

formam aliquam induerent. Dicitur enim materia prima nulla fuiſſe forma praedita, quae nempe eam determinarit, vt hoc vel illud corpus appellari debuerit.

tanquam natu maiorem atque excellentiorem praeponerent. Aperiamus calumniae originem. Crediderunt forte, vti §. 17. dictum, Verbum paulo ante conditum mundum tanquam singularem personam existere coepisse, atque, cum quibusdam Patribus, Daemonem infinitis saeculis ante atque omnium rerum creatarum primum creatum esse in mundo intelligibili, quia *Iobi XI.* 19. Behemoth, qui secundum τοὺς ό dicitur ἀρχὴ πλάσματος Κυρίȣ, interpretabantur Diabolum. Hoc est friuolum illud tam atrocis calumniae praetextum, vti existimat incomparabilis Beausobrius in *Hist. Manich. T. I. p.* 524. Sed, vti supra iam fassus sum, non opus est ita statuere. Nam cum Euthymius diceret, eorum sententia Christum anno 5500. ortum esse, adeoque Satanas necessario antecederet aetate, iusta etiam, vti putabat, consecutionis lege eliciebat, Satanam Christo praestantiorem ab illis haberi. Iudicet lector, vtrum vero similius sit. Caeterum, vt ex antecedentibus apparet, arbitrati sunt, Daemonem fuisse splendidae conditionis angelum, qui aliquando contra summum Numen coniurauerit, vti & multis Patribus (y) videbatur.

XX.

(y) Vid. Petauius *Dogm. theol. T.* III. *lib.* III. *de Angelis c.* 2. Sic etiam cum antiquis quibusdam verba *Es.* XIV. 14. *Ponam thronum* caet. de Diabolo interpretati esse possunt, etsi ea verba loquens a Propheta inducitur Rex Babylonis.

XX.

Quae in *Sect. VII.* exſtant commenta de mundo a Satana producto, vix lucubratione anicularum (z) digna, ea exſcribere nolo, vt & chartam & lectori taedium compendifaciam. Quoniam enim § XIV. ſatis monſtraui, *Pentateuchum* ab illis non eſſe reiectum, non potuere Diabolum pro mundi conditore habere. Idem iudicium ferendum de diluuio a Satana immiſſo, lege ab eo Iſraeli lata, *caet.* Superuacaneum etiam eſt, monere de coitu Serpentis cum Eua & prognato inde Caine, eius opinionis inter antiquos, Iudaeos maxime, patronos extitiſſe multos, videriquе id Bogomilis affictum eſſe, vel, ſi in ea

 ſen-

(z) v. c. Satanam tanquam alterum Deum, cum eſſet e coelo praeceps datus, fabricatum eſſe alterum coelum & reliqua omnia ordine, hominem etiam ex luto finxiſſe, cui cum mentem indere non poſſes, miſiſſe eam petitum legatos ad bonum patrem. Legatos hos ſtulte exagitat Euthymius, putans, & bonos omnes & malos angelos munus hoc detrectaturos fuiſſe. Non eſt dubium, rem totam Bogomilis affictam eſſe: iucundum vero noſſe fontem, vnde talia fluxerint. Geminum germanum eſt illud Manetis ſomnium, quod Gregorius Abulpharaius *Hiſt. Comp. Dynaſt. p.* 82. verſionis Pocokii memorat. ὕλην ſeu principem materiae a bono Deo victum verſus Auſtrum receſſiſſe, vt mundum ſibi peculiarem ibi ſtrueret, at, cum iam Arcturi ſidus condidiſſet, pacem inter vtrumque principium, ſequeſtris angelis, initam ea conditione eſſe, vt bonus Deus luminis ſui aliquid in materiam proiiceret.

ſententia fuere, parum id referre. Poſtremo ad vocem *Satanael* quod attinet, nihil aliud, quam imperitiam ſermonis Ebraici, prodidiſſe poſſunt, cum ad analogiam reliquorum nominum, quae de angelis in S. Scriptura leguntur, v. c. Gabriel, *caet.* cogitarunt, & Diabolum nomen in *el* deſinens habuiſſe, ignari nimirum notionis τοῦ שטן, quod ipſum etiam parum refert. Eſt tamen adhuc aliquid paucis diluendum, quod, ſi verum eſſet, cauſae Bogomilorum valde obeſſet, cum Euthymius *Sect. XX.* ait, in eorum Euangeliis haec fuiſſe verba: τιμᾶτε τὰ δαιμόνια, οὐχ' ἵνα ὠφεληθῆτε παρ' αὐτῶν, ἀλλ' ἵνα μὴ βλάψωσιν ὑμᾶς. Sed poteſt ex adiunctis verbis vera eorum ſententia erui. Χρὴ τιμᾶν τὰ ἐνοικοῦντα τοῖς χειροποιήτοις ναοῖς δαιμόνια, προσκυνοῦντας αὐτὰ, ἵνα μὴ ὀργισθέντα διαφθείρωσι τοὺς μὴ τοῦτο ποιοῦντας caet. Nempe templa eius temporis ſplendidiſſime ornata, & praecipue Virgini Θεοτόκῳ atque Sanctis dicata, propter idololatriam in iis fieri ſolitam, neſcio quam male, pro ſedibus Diaboli habuerunt. Ac cum tamen, invidiae declinandae cauſa, in iis verum Deo cultum quidam (nam non omnes Separatiſtas fuiſſe puto,) exhiberent, miſere concludebat Euthymius, eos ipſum Satanam colere, *ne noceat*, quia non audebat negare, Satanam eos ſummopere deteſtari. Caeterum occaſio calumniae, qua *Bogomilis* haec Manetis ſomnia, praecipue de homine quaſi ex aere collaticio facto, tribuebantur, haec fuiſſe videtur. Manichaei ſtatuebant duas

vnius-

vniuscuiusque hominis animas, vocantes huc loca male intellecta *Rom. VII.* 25. *Gal. V.* 17. Sed & Bogomili ſecundum 1. *Theſ. V.* 23. ſtatuebant, hominem habere debere duas animas, ψυχὴν, quae communis omnium hominum & peccatis obnoxia ſit, πνεῦμα animam coeleſtem, extra peccandi periculum conſtitutam, per quam neſcio an partem eſſentialem hominis intellexerint. Illud certum tamen eſt, non habuiſſe eos Daemonem pro conditore hominis, ſed pro auctore tantum ſummae corporis animique corruptionis. Vid. Arnoldi *Abbildung der erſten Chriſten lib. VIII. cap.* 25. §. 24.

XXI.

De regeneratione autem quid ſenſerint, B. Wolfius *p.* 83. expoſuit. Euthymius *Sect XXII.* ita docet: λέγουσι τοῖς τῆς πίστεως αὐτῶν, ὅσοις ἐνοικήσει τὸ παρ' αὐτοῖς ἅγιον πνεῦμα, θεοτόκους καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, βαστάσαντας καὶ αὐτοὺς τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ γεννήσαντας αὐτὸν διὰ τοῦ διδάσκειν ἑτέρους, καὶ μηδὲν πλέον αὐτῶν ἔχειν τὴν πρώτην θεοτόκον. Verum hac allegorica locutione noluere ſententiam ſuam de regeneratione declarare, ſed id, quod a piis verbi divini praeconibus fit, cum alios doctrina Chriſtiana inſtituunt, quod & Wincklerus *l. c. p.* 320. aliquatenus obſeruauit: qui arbitratur etiam, reſpicere eos ad illud Paulinum *Gal. IV.* 19: Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, κ. λ. Intempeſtiue

autem hic iterum Wolfius eos cum Manichaeis (qui ipsi etiam Mariam pro sancta virgine, non autem pro matre Christi habuere, quia indignum Deo putabant, coniungi cum corpore sua natura malo,) contendit, quod Mariam contemserint. Videre enim facile est, vltima verba assumentum esse monachi calumniatoris, qui putabat, nulla arte maius in *Bogomilos* plebis odium excitari posse, quam si contemni ab iis Mariam dicat, cui maior tunc honor, quam ipsi Deo, praestabatur. De iustificatione nihil memorat Euthymius: quem hiatum vt suppleat B. Wolfius *p.* 90. censet, nimirum propter *Sect.* 37. eam eos non ex Euangelio, sed lege, (cuius tamen auctoritatem in §. *seq.* indignissime ab ipsis opprimi queritur,) quin humanis institutis, repetiisse: bene an secus, meum non est iudicare. Euthymius autem de hac re tacet: imo si vel fingamus, eos per opera iustos saluosque fieri voluisse, id ille non potuisset inter errores referre, cum, quae illorum temporum corruptio erat, vulgo fidei natura ignoraretur, atque in fide aliqua historica poneretur, ac, quia per hanc saluum fieri velle absonum videbatur, operibus miseri homines gratiam Dei promereri conarentur. Certior tamen, credo, quam illa Wolfii, coniectura mea est, agnouisse eos fidem veram, ex *Sect.* 28. Vocant enim coetum suum Bethlehem ἀλληγορικῶς, vbi generetur Christus, id est, verbum seu λόγος ὁ κηρύττων τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν. Ibi enim stellam illam Magorum ducem interpreta-

ban-

bantur Mosis legem, qua vsque ad fidem corruptae Ecclesiae perueniatur. Patet hinc, exprobrasse eos illis vanum operibus beneuolentiam Dei atque salutem aeternam acquirendi conatum.

XXII.

De ordinario *Bogomilorum* baptismo plane non exponit Euthymius *Sect.* 16. sed de confirmatione quadam eorum, qui se ad eorum coetum aggregauerant, non repetito ipso baptismo, sed precibus tantum super eos fusis: quem ritum monachus, inuidiae causa, baptismum eorum appellat, quasi eum in iis precibus, aqua abesse iussa, constituerint. Orthodoxorum autem baptismum vocarunt baptismum Iohannis: vnde sequitur, vt, aliquod discrimen inter baptismum Iohannis & Christi intercedere, censuerint, vti & *Concilii Tridentini Canon I.* de baptismo anathemati eos subiecit, qui illud negare in animum induxerint: immerito sane, cum Iohannes hoc sacramento homines initiauerit eodem auctore, ac Christus, nempe Deo, cum eadem materia, aqua nimirum, vsus sit, iisdemque, ni fallor, vel saltem idem significantibus verbis, cum idem effectum, remissionem peccatorum, produxerit. *Bogomilos* autem, vt orthodoxorum baptismum appellarunt illum Iohannis, mouit, quod putarent, hypocritas Pharisaeos a Iohanne baptizatos (a) esse; ordinis

Mm 5 autem

(a) Quod non necessario affirmandum, cum illud βαπτίζω *Matth.* III. 11. non tantum actum, sed etiam conatum, hic notare possit.

autem ecclesiastici viri Pharisaei illis audirent, quos, etsi sacro lauacro tinctos, propter summam vitae impietatem coelo excludi, putabant. Censebant etiam, omnes ἀκαταχήτως baptizatos δεῖσθαι πάλιν ἐξ ἀρχῆς καταχήσεως καὶ μυήσεως καὶ ἀναστοιχειώσεως, hinc, si quis ad suum coetum transiret, illi praestituebant tempus aliquod ad confessionem, expurgationem, continuasque preces. Deinde Iohannis Euangelio capiti eius imposito, Spiritus S. opem implorabant, atque orationem Domini cantabant. Post haec aliud tempus ipsi assignabatur ad accuratiorem institutionem, temperatiorem vitam, ac puriorem precationem. Testimonia autem exigebant, num has praescriptas leges obseruarit: quae si rederentur, statuebant eum ad orientem solem, Euangelioque Iohannis iterum capiti imposito, hymnos concinebant eucharisticos. Haec omnia tantum abest, vt vituperari debeant, vt laude potius digna sint, tanquam instituta primae Ecclesiae. Vnum illud de collocatione ad orientem solem vereor, ne ex Manichaeismo illis tribuatur, cum peruulgatum sit, Manichaeos soli cultum aliquem exhibuisse, vultumque inter preces eo conuertisse. Sed potest etiam ab iis e veterum ritibus seruatum esse, qui baptizandum ad orientem constituebant, quod per fidei professionem cum sole iustitiae, qui est ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, iungeretur, vel quod Iesus de cruce pendens occidentem versus prospexerit, adeoque & in eorum vultum, qui ad orientem conver-

versi erant: & quae aliae excogitantur causae. Ceterum obseruari hic potest, Waldenses dictos etiam esse baptismum repudiare, quod paedo-baptismum improbarent: vnde non mirum, idem accidisse Orientis Waldensibus, sed propter aliam causam. Breuem esse me iubet temporis angustia: itaque annectam sententiam eorum de Coena Domini. Patet, si quis accurate expendat, e *Sect.* 17. & *anath. XII. Triumphi de Messalianis* apud Tollium *Insign. Itin. Ital. p.* 122. eam eos opinionem de S. coena, quae Reformatorum hodie est, tuitos esse, sub ἄρτῳ vere ἐπιουσίῳ in precatione IV. panem coelestem ac spiritualem intellexisse. Propter prius vix audemus eos infausto haereticorum nomine onerare, ne simul totam paene ecclesiam Africanam, & ipsum magnum (b) Augustinum, Waldenses item, e ciuitate Christiana excludere cogamur. Posterior interpretatio (quamquam falsa nobis esse videtur,) praeterquam quod a pietate commendabilis est, cum eius auctores magis in coelestia, quam terrestria bona conuersi fuisse videantur, habuit etiam inter summa ecclesiae primae lumina plurimos, recentiorique aeuo inter alios doctos homines patronos aliquot. Sed quid Euthymius? Videtur operam dare, vt *Bogomilos* repraesentet non tantum

(b) Vid. eius *Epist.* 23. vbi mentem suam declarat. In Enchiridio omisit totam doctrinam de S. Coena: ex quo apparet, eum, nihil mysterii subesse, putasse. Applicemus hic ad Augustinum illud suum: *Errare possum, haereticus esse non possum.*

tum haereticos, ſed capita delirantia & fungum pro cerebro habentia: infeliciter ſane, cum ipſe ſtultitiam ſuam abunde prodat. Cum enim precationem IV. ita, vti iam dixi, explicarent *Bogomili*, ipſe inepte calumniatur: ἄρτον μὲν γὰρ τῆς κοινωνίας ὀνομάζουσι τὴν προσευχὴν τοῦ Πάτερ ἡμῶν. Τὸν ἄρτον γὰρ φησὶ, τον ἐπιούσιον. ποτήριον δὲ κοινωνίας ὁμοίως τὴν λεγομένην ἐν τῷ ἐυαγγελίῳ διαθήκην. Hinc eſt, quod acute illis opponit, quomodo precatio Dominica vti corpus Chriſti frangi, & verba: καὶ τὸ νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, vti ſanguis Domini, effundi poſſint. Forte *Bogomili* more primae Eccleſiae, quam exprimere ſtudebant, ad ſolam orationem Dominicam Euchariſtiam confecerunt, quod ſuo aeuo negligi queritur Gregorius M. *Epiſt. VII.* 63. De Waldenſibus etiam ſparſus eſt rumor, eos pro verbis conſecrationis ſepties dixiſſe *Pater noſter*: quod Spanhemius inter calumnias refert forte minus recte.

XXIII.

In *Sect.* 22. perſequitur Euthymius doctrinas *Bogomilorum*, & dicit, ſecundum eos pios non mori, ſed transmutari tanquam in ſomno, deponere τὸν χοϊκὸν θυλακὸν ſine vllo mortis ſenſu, atque immortalem Chriſti ſtolam induere, ac praeeuntibus Angelis & Apoſtolis in patris admitti regnum; corpus autem in puluerem diſſolvi nunquam amplius ſurrecturum. Mera pia cogitata, praeter vltimum! quod falſum eſſe, vel hinc

hinc conſtare poteſt, quod, ſecundum *Sect. XIII.* ſingulis impiorum defunctorum corporibus aſſignabant Daemonem aliquem malum, qui eorum exuuias inhabitet, atque vna expectet *reſurrectionem*, vt cum illis puniatur. Fuit ergo *Bogomilorum* meorum idem fatum, ac Waldenſium in occidente: cum quibus, vt in aliis fere omnibus, ſic & in hoc rectius eos comparaſſet b. Wolfius, quam cum Manichaeis.

XXIV.

Nunc tandem elucebit cauſa, quamobrem *Bogomili* non potuerint non Euthymio & Euthymianae Eccleſiae haeretici exſecrabiles videri. Reiiciebant & deſpuebant adeo cultum crucis, imaginum, & reliquiarum, religioſum, qui tum obtinebat maxime. Sic enim Euthymius *Sect.* 14. ἀτιμάζουσι τὸν θεῖον σταυρὸν, ὡς ἀναιρέτην τοῦ Σωτῆρος, κ. λ. Hic cogitur Wolfius ſecundum *Bogomilos* dare, atque in illa ſuperſtitionum caligine puriſſimam apud *Bogomilos* veritatis lucem exoſculari. Neque vero omnino eos ſine cenſura dimittit, ſed dicit, eos intemperantius, quam par erat, de ſalutari illo ligno locutos eſſe: quod nemo aequus illis vitio vertet, qui cogitauerit, tam grauia vlcera, ſi medicinam illis adhibere velis, non eſſe molliter tangenda, neque in tanta rei indignitate vllum facile reperiri, qui ita os contineat, quin ſubinde aſperior vocula elabatur. Iniquior etiam, quod pace b. Viri dictum ſit, eſt in egregios hos veritatis teſtes, dum, eum crucis con-

contemtum a Manichaeis eos accepiſſe, pro more ſuo affirmare non dubitat, & lenius agit cum inepto homine, Germano, Patriarcha Conſtantinopolitano, qui in *Orationibus* ſuis, inprimis in ea *de exaltatione crucis*, quae Graece legi poteſt apud Gretſerum *de cruce*, conuiciorum virus eum in finem acerbum in *Bogomilos* euomit, vt omnium, puto, indignationem commoueat. Intra haec non ſtetit b. Wolfius, ſed miratur *Bogomilos* quaſi ſui oblitos, quod, ſi a Daemone vexarentur, ad crucem tanquam Daemonum expultricem ac certiſſimum praeſidium confugerint: vnde patet, eum Euthymii *Sectionem* 15. non ſatis accurate inſpexiſſe. Monachus enim id de illis plane non affirmat, ſed hoc vult, Baſilium interrogatum, cur δαιμονιζόμενοι crucem accedant, ibique clamores edant, reſpondiſſe: id facere Daemones gaudii teſtandi cauſa, vt qui ſuum & ad Seruatoris necem conſtructum opus ament. Aliquando autem eos horrorem & fugam a cruce ſimulare, vti plebeculam eo magis in fraudem inducant: qua in re ipſi magnus Brentius adſtipulatur, quem ideo Gretſerus *de cruce p.* 724. Baſilio *plane gemellum* fauſto omine vocat, & perabſurde refutat. Eodem modo & imaginum cultum abominati ſunt, vti docet Euthymius *Sect. XI.* ἀτιμάζουσι τὰς σεβασμίους εἰκόνας τὰ εἴδωλα λέγοντες τῶν ἐθνῶν, ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, κ. τ. λ. omnes item ſacerdotes ac Principes, idolorum cultores, e ſocietate Chriſtiana eiectos, εἰκονομάχους vero, cumprimis Conſtantinum

tinum Copronymum, laudibus euectos voluere. Idem de reliquiis Sanctorum sensisse eos, cognoscitur e *Sect.* 12. vbi dicebant, ad Sanctorum tumulos praestigiis Diabolicis deludi homines.

XXV.

Assiduos eos in precibus fundendis & fere nimios fuisse, vel ipsum eorum nomen, *Messaliani*, argumento est. Sic autem Euthymius *Sect.* 19 μόνην ὀνομάζουσι προσευχὴν τὴν ὑπὸ τοῦ Κυρίου παραδοθεῖσαν ἐν τοῖς Ευαγγελίοις, ἤγουν τὸ Πάτερ ἡμῶν. Hac sola, vti auctor est monachus, vtebantur interdiu septies, noctu quinquies, &, quotiescunque ad preces accederent, vel semel, vel repetitis vicibus. Pergit autem: τὰς δ᾽ ἄλλας πάσας προσευχὰς ἀτιμάζουσι βαττολογίας αὐτὰς ἀποκαλοῦντες καὶ τῆς ἐθνικῆς μερίδος, τὴν ἐν τοῖς Ευαγγελίοις εἰρημένην βαττολογίαν. *Bogomili* itaque iusto rigidius interpretati sunt verba Christi *Matth.* VI. 7. quasi ille solam a se praescriptam formulam in precibus adhiberi iuberet, reliquis omnibus, ad hoc exemplar factis, exclusis, ac sub voce βαττολογίας comprehensis. Exosi etiam sunt preces longiores, plane vti Patres, qui maluere precatiunculas illas breues, quas eiaculatorias vocamus, vt insidiatoris infernalis iacula, quae ille tum maxime, cum oramus, in nos vibrat, succincta breuitate euitemus, sed tanto frequentiores, vt perpetuo Deo adhaereamus, teste Cassiano *lib. III. de horis Canon. c.* 10.

Apud aequos igitur facile excuſationem inuenient, qui nempe agnoſcent, quicquid a Deo expeti fas ſit, mire ac neruoſe a ſanctiſſimo Seruatore in hanc formulam concluſum eſſe; plures vero eius temporis precationes commode appellari potuiſſe βαττολογίαν ſeu nugacem verborum inanium multitudinem, quae ſine pia animi commotione effundebantur, πολυλογίαν etiam ſeu πολυωνυμίαν, quia, vti gentiles ſuos Deos, ſic & illi homines, Mariam atque Sanctos ſuos, multis gratisque denominationibus demulcere (c) volebant. A matrimonio abſtinuere ſe, ſi vera dicit Euthymius *Sect.* 37. non tamen, quod ſimpliciter illud damnarent. Accipiebant vocem *ἀνάςασις Matth. XXII.* 30. de ſpirituali reſurrectione, vti patet e *Sect.* 39. & forte etiam putarunt, coniugium a Paulo tolerari illud quidem, vt ſcortationes euitentur, non tamen laudari. Itaque, cum ipſi ad maiorem ſanctitatem adſpirarent, obſecuti ſunt conſilio Euangelico, quo ſanctioribus, vt ipſi quidem putabant, coniugio interdicebatur. Ipſe eos in hac re contendo cum Manichaeis, de quibus vir aeterna memoria dignus Beauſobrius in *Hiſtoria Manichaeorum T. II. p.* 474. oſtendit, eos non reieciſſe matrimonium, ſed hortatos eſſe

perare.

(c) Poſſent in hac re multae comparationes inter gentiles & ſuperſtitioſos Graecos vel Papaeos inſtitui, v. c. vti gentiles omnibus Diis ſupplicabant, quo certiores de Deorum beneuolentia eſſent, ſic & hi in magno diſcrimine verſantes modo hunc, modo illum Sanctum precibus expugnare conantur.

volentes, vti in vita coelibe permaneant, nolentes non coegisse: quae verba sunt ipsius Fausti apud Augustinum *lib.* *XXX.* 4. Soli autem *electi* se abstinebant a coniugio. Porro non leguntur *Bogomili* ad conuicia vsque progressi esse, vti v. c. Hieronymus *contra Vigilantium* coniugium *libidinis seminarium* appellat, & praestare dicit, si genus hominum deficiat, quam si coniugis beneficio peccati semina propagentur, vel, vti Weigelius in *Postillae P. II. p.* 287. indiscriminatim garrit: *Weiber nehmen, Kinder zeugen, ist Adamisch, irdisch und viehisch*, & alii fanatici. Caeterum animaduertet lector suetos Pietistarum characteres in *Bogomilis*, cum de ordine ecclesiastico, at tum perquam corrupto, non admodum honorifice senserunt: quod declarat perlepida allegoria in *Sect.* 49. quam quin cum lectore meo communicem, non possum mihi temperare. Duos illos a daemonibus vexatos e sepulcris ruentes interpretabantur duos ordines Clericorum atque monachorum. Semper enim in sepulcris seu manufactis templis, in quibus mortuorum ossa, id est, reliquiae Sanctorum, recondita sunt, habitant. Hos ordines valde metuendos sibi dicebant, ita vt nemo e suorum numero per illam viam transire audeat. Gregem porcorum pascentium esse homines viles ac imperitos, suillam vitam agentes, quos illi in mari peccatorum suffocent. Vacabant etiam ieiuniis multis, & statis quidem hebdomadis diebus, secundo, quarto

quarto, ſextoque ad horam vsque nonam. Abhorrebant, ſi Euthymio *Sect.* 37. credimus, ab eſu carnis, caſei, & ouorum, vel, ſi vera eſt, vti videtur, Wolfii coniectura, pro ᾠοῦ hic legentis οἴνου, a vino.

XXVI.

Haec in praeſenti de *Bogomilis* habui dicere, in quibus non dubito lectorem aliqua non ſatis expenſa inuenturum eſſe. Sed cum magna temporis anguſtia circumſcriptus fuerim, primusque hic ingenii mei foetus ſit, humaniſſimos me habiturum iudices ſpero atque confido. Praeterea recipio in me, alio tempore, cum maiorem & temporis & eruditionis copiam nactus ero, diligenter ac ſollicite omnia refingendo pleniorem me *Hiſtoriam Bogomilorum criticam* literato orbi exhibiturum.

F I N I S.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Reddo tibi, AMICE, inauguralem Disputationem, quam iucunde cognoui ita esse abs te contextam & elaboratam, vt, qui tale offert collegio nostro specimen, quo minus eum MAGISTRI ornemus elogio, nihil obstet. Mitis simul edis ingenii specimen, de ecclesiae doctoribus malae doctrinae prauorumque morum in vulgus reis non habens fidem narratiunculis vel vulgi vel hostium, sed rite expendens, quae traduntur, omnia, si forte, quod saepissime accidit, bonus doctor fuerit, quem fama retulit inter haereticorum pessimos. Imitaris itaque Chemnitium, qui non dubitauit Iouinianum, Vigilantium, & Aërium defendere. Imitaris item G. Arnoldum, sed cautissime. Hic enim cum quosdam haereticorum titulo infames summo iure ab hac labe purgarit, veraeque doctrinae praeconibus adiunxerit socios, multis etiam se praebuit patronum, quos turpes aluisse errores, luculentissime ex ipsorummet scriptis cognoscimus. Media igitur & hic via eundum. Incidisti autem,

Doctiſſime OEDERE, peropportune in hiſtoriam *Bogomilorum*, quae quippe auctores habet incertiſſimae fidei, & quidem eos, qui ipſi maximis impliciti erant haereſibus. Ac recte Spanhemius, de *Bogomilis* non alios eſſe in manibus noſtris ſcriptores, ait, quam *Graecos*, *iconolatriae & ſuperſtitionibus tum deditiſſimos*. Hos inter Euthymius eminet, cuius *Panoplia fidei* a. 1710. demum Graece prodiit Tergobyſti in Walachia, vir perdoctus ille quidem, ſed aeui ſui erroribus theologicis tam feruide addictus, vt, qui agnoſcerent eos repudiarentque, hos appellaret haereticos, &, vt omni ſpe fauoris eos priuaret, turpiſſimae illi Manichaeorum ſectae audaciter aggregaret: quam quidem conſuetudinem pſeudorthodoxis medii aeui doctoribus communem fuiſſe, non ignoras. Solus hic, vt recte docet Wolfius ὁ μακαρίτης, cum ſit de *Bogomilis* teſtis, (caeteri enim ſcriptores auctoritatem eius ſequuntur,) quanto iure veremur, ne ſanctiſſimae doctrinae aſſeclas ſuorumque errorum inimicos iudicet eſſe haereticos, & foediſſimis fabulis eorum hiſtoriam inquinet! Cumque ſemper in illius aeui religioſis tenebris, in illis morum ſordibus DEVS excitarit aliquos, qui veras tuerentur doctrinas, veram oſtenderent vitae ſanctitatem, cur non vereamur, ne *Bogomilis* idem deciderit in oriente, quod eadem tempeſtate in accidente Waldenſibus? id quod etiam pro acumine ſuo vidit (a) Ven. Moshemius. De *Bogomilis*

(*a*) *Inſtit. Hiſt. Chriſt. antiq. p. 714. & 715.*

milis itaque fidem qui habent Euthymio, non minus peccant, quam qui, quae Bellarminus aliquis vel Gretſerus de Lutheri noſtri doctrinis moribusque tradidit, pro veris habent & exploratiſſimis. Erudite igitur ac prudenter ſuſcepiſti expendendam *Bogomilorum* ſiue Theophilorum hiſtoriam, & in primis Baſilii, eorum primipili: cui quidem ſupplicium, quod de ipſo ſumſit Imp. Alexius, igneum non magis debet eſſe fraudi, quam Annae Burgio, in quem ob religionis optimae profeſſionem eodem modo ſaeviit Rex Galliae, Henricus II. ſui temporis religionem publicam habens pro puriſſima, & in eos, qui meliora videbant probabantque, odium exercens acerbiſſimum. Publicos autem errores tum doctrinae, tum morum, agnouiſſe & reiecisse Bogomilos, ipſe nobis indicat Euthymius, itemque, qui aliquanto poſt vixit, Germanus, patriarcha Conſtantinopolitanus. Docent enim, eos damnaſſe cultum crucis & imaginum, damnaſſe item mores ſacerdotum, cum ipſi pietatem colerent ſtudioſiſſime; coluiſſe praeterea ſolam Scripturam ſacram pro norma religionis tum theoreticae, tum practicae. Quod ſi forte bonis his doctrinis adiecerunt errores aliquot, (e tenebris enim ad totam lucem ſtatim emergere, humanae felicitatis non eſt,) iure tamen credimus, leuiores eos fuiſſe Euthymii ac tot caeterorum cum Euthymio ſentientium erroribus. Caeterum in Euthymii narratione nihil magis improbo, quam turpe illud ſilentium, quo, quas doctrinas in ſe-

creto cum Imperatore colloquio protulit Basilius, eas praeteriit. Quam malus, quaeso, est historicus, qui vera & sibi cognita tacet, incomperta contra & ficta μετὰ πολλῆς φαντασίας ediderit! Totum se tum cum denudarit Basilius, cur, quaeso, sermonem eius non recitas, Euthymi? An forte, quae protulit, tibi non satis videbantur haeretica? An tibi de Basilii sententiis magis credi volebas, quam ipsimet? Sed plena est Euthymiorum vetus aetas ecclesiae. Quare congratulandum est saeculo nostro, quo magnum detrimentum cepit regnum credulitatis, pluresque oculo critico perlustrantes historiam ecclesiae permulta pro veris certisque adhuc habita reiecerunt in censum fabularum, imo, quod in primis I. A. Schmidius fecit, indices expurgatorios fabularum ecclesiasticarum composuerunt. Idem studium cum & tibi, Vir iuuenis praestantissime, excellentis & ingenio & doctrina patris fili simillime, curae posthac futurum sit cordique, non mediocriter spero, magnum te facturum operae pretium, & inter huius stabuli purgatores non vltimum accepturum esse locum, non vltimam laudem. Nunc vero lectores tuos rogo, vt, has esse tui ingenii primitias, meminerint, atque beneuole exspectent, quam post aliquot aristas exhibiturus es, *Historiam Bogomilorum criticam.* Vale, & vestigia Max. Reuer. PATRIS, tam multis tamque magnis in Ecclesiam meritis praefulgentis, sequi perge strenue. D. XX. Maii

cIↄ Iↄ CCXLIII.

IN-

INDEX
LOCORVM BIBLICORVM
IN VTRAQVE PARTE
NOVAE SYLLOGES
ILLVSTRATORVM.

GENESIS.

IV. 3. sqq.	I. 67. sq.
XVI. 2.	II. 349.
XVIII. 8.	II. 26.
XXIV. 58.	I. 48.
XXVIII. 13.	I. 24.
XXX. 3.	II. 349.
XXX. 14.	II. 330.

EXODVS.

VII. 11.	I. 49.
VII. VIII. IX. X. XI.	II. 1-47.

DEVTERON.

XI. 13.	I. 51.
XVII. 18.	II. 301.
XVIII. 11.	II. 33.
XVIII. 15. & 18.	II. 247. sqq.
XXII. 5.	II. 300.
XXII. 6. & 7.	II. 282. sqq.

IVDICVM.

XI. 30. 31.	I. 42. sq.
XI. 30.-40.	II. 477. sqq.

RVTH.

I. 8. & II. 20. — II. 126.

1. SAM.

XVI. 21. — II. 336.
XXI. 10. - 15. — I. 70. sqq.
XXVIII. 12. — I. 49. II. 26.

2. SAM.

VII. 12. sqq. — II. 248.

1. REGVM.

XX. 6. — II. 165.

2. PARALIP.

XVII. 12. sqq. — II. 248.

PSALMI.

XVIII. 16. — I. 233.
XXVIII. 5. — II. 349.
XXIX. totus. — I. 114. sqq.
XXXIII. 6. & 9. — I. 14.
LI. 16. — II. 123.
LXVIII. 28. — I. 109.
LXXXIX. 3. — I. 52.
LXXXIX. 7. — I. 222.
XC. 8. — II. 170.
XCIX. 3. — II. 349.
CX. 3. — I. 225.
CXLIII. 1. & 11. — II. 123.
CXLIII. 3. — II. 19.
CXLV. 7. — II. 123.

PROVERB.

IV. 5. — I. 63.
XIV. 1. — II. 349.
XXVII. 20. — II. 165.

COHEL.

COHEL.

VII. 17.	I. 51.

IESAIAS.

VII. 14.	II. 388.
XXXVIII. 3.	I. 23.
LI. 2.	II. 349.
LVII. 19.	II. 388.

IEREMIAS.

I. 5.	I. 24.
XXIII. 5. 6.	II. 378. sqq.
XXIV. 6.	II. 349.
XXXIII. 14. 15. 16.	II. 379. sqq.
XXXVI. 23.	I. 39.
XLII. 10.	II. 349.

EZECH.

VIII. 6.	II. 120.

IONAS.

I. 9.	I. 39.
III. 45.	I. 28. sq.

MALACH.

IV. 2.	I. 9.

MATTHAEVS.

I. 9.	II. 123.
I. 21.	II. 257.
IV. 3.	I. 13.
IV. 9.	II. 128.
VIII. 4.	II. 52.
IX. 30.	II. 55.
XII. 16.	II. 56.

XVII. 9. II. 63.
XVIII. 21. I. 19.
XIX. 27. I. 48.
XXI. 32. I. 8.
XXII. 20. II. 172.
XXVIII. 17. II. 434.

MARCVS.

I. 43. I. 312.
I. 44. II. 52.
III. 16. 17. I. 257.
V. 40. I. 312.
V. 43. I. 13. II. 57.
VII. 22. II. 465. sqq.
VIII. 26. II. 61.
VIII. 30. II. 63.
VIII. 36. II. 59.
IX. 9. II. 63.
XI. 12. 13. 14. I. 25. sqq.
XI. 38. I. 130.
XIV. 51. II. 19.

LVCAS.

II. 42. I. 38.
IV. 22. I. 320. 321.
V. 14. II. 52.
VI. 38. I. 12.
VII. 2. II. 337.
VII. 14. 15. I. 20.
VIII. 56. II. 57.
IX. 31. II. 435.
IX. 49. I. 130.
IX. 52. sqq. I. 258. sq.
X. 1. sqq. I. 120. sq. II. 66. sqq.
X. 30. I. 21.

XI. 48.	I. 320. 321.
XII. 20.	I. 11.
XVI. 8.	I. 8. ſqq.
XVI. 21.	II. 125.
XVII. 20.	II. 77. ſqq.
XVIII. 8.	II. 74. ſqq.
XXII. 43.	II. 440.

IOANNES.

I. 52.	II. 441. ſqq.
III. 2.	I. 22.
IV. 48.	I. 188.
IV. 54.	I. 189.
VI. 21.	II. 124.
VI. 27.	II. 423.
VII. 17.	II. 124.
VII. 18.	I. 9.
VIII. 6. & 8.	I. 173. ſqq.
VIII. 47.	II. 172.
VIII. 56.	I. 291.
X. 8.	I. 189.
XI. 5.	II. 336.
XI. 28.	I. 39.
XII. 17.	I. 320.
XIII. 23.	II. 332.
XIV. 7.	I. 317.
XV. 13.	I. 240.
XVIII. 33-38.	I. 54. ſqq.
XIX. 26.	II. 332.
XIX. 34.	I. 33. ſqq.
XX. 2.	II. 332.
XX. 16.	I. 39.
XXI. 7.	II. 332.
XXI. 20.	II. 332. 339.

ACTA

ACTA APOST.

I. 18.	I. 30. ſqq.
II. 3.	I. 40.
VI. 3.	I. 320.
IX. 3. 4. 5. 6.	I. 80. ſqq.
IX. 7.	I. 57. 91.
IX. 40.	I. 312.
X. 22.	I. 320.
XXII. 6. ſqq.	I. 84.
XXVI. 11.	II. 19.
XXVI. 12. ſqq.	I. 84.

ROM.

I. 4.	II. 92.
I. 17.	II. 94.
IV. 25.	II. 363. ſqq.
V. 7.	II. 95.
VIII. 19.-23.	II. 321. ſq.
VIII. 37.	II. 277.
IX. 15.	I. 51. II. 322. ſq.
X. 6. 7.	II. 100.
XI. 15.	II. 102.
XV. 14.	II. 96.
XVI. 25. 26. 27.	II. 103.

1. CORINTH.

II. 4.	II. 422.
VI. 12.	II. 365.
IX. 9. 10.	II. 119.
X. 14.	II. 158.
XII. 3.	II. 412.
XIII. 12.	II. 309. ſqq. 320. ſq.
XIV. 32.	II. 329.
XV. 34.	I. 9.

2. CORINTH.

IX. 9.	II. 123.
XI. 14.	II. 128.
XI. 15.	I. 8.

GAL.

III. 16.	II. 172.
VI. 12.	II. 19.

COLOSS.

II. 4. & 8.	I. 5.

2. THESS.

I. 11.	II. 96.
II. 12.	I. 9.

1. TIM.

V. 5.	I. 16.

2. TIM.

II. 26.	I. 90.

TIT.

III. 7.	II. 365.

HEBR.

X. 38.	I. 52.
XI. 2.	I. 321.
XI. 4.	I. 321.

IAC.

III. 14.	II. 120.

1. PETRI.

I. 9.	II. 21.
I. 12.	II. 123.
II. 13.	II. 314. sqq.
III. 10.	II. 125.
III. 19.	III. 126.

IV. 6.	II. 125.
IV. 15.	II. 114.
V. 13.	II. 127. 195. ſqq.

2. PETRI.

I. 1.	II. 123.
I. 3.	II. 316.
III. 11. 12.	II. 119.

1. IOANNIS.

I. 1. 2. 3.	II. 159.
II. 16.	II. 163.
III. 20.	II. 168.
IV. 11. 12.	II. 173.
IV. 20.	II. 171.
V. 6.	II. 145.
V. 21.	II. 156.

IVDAE.

Verſu 20.	II. 344.

APOCAL.

I. 4.	II. 353. ſqq.
IV. 4.	I. 140.
IV. 5.	II. 360.
V. 6.	II. 318. ſqq.
XVII. 9.	II. 312.
XXII. 11.	II. 365.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Ἀγαθὸς, *beneficus.* II. 96.
ἀγαθοποιεῖν, *beneficiis aliquem afficere.* I. 315.
ἀγαπᾶν & φιλεῖν differunt. I. 281.
AEqui definitio & diuisio. II. 192. sq.
ἀκούω ὄντα pro ἀκούω εἶναι. I. 292.
ἀλήθεια, die Rechtschaffenheit. I. 282. 286 sq.
allegoricae interpretationes ridiculae. II. 295. sqq.
ἀλλότριοι quid significet. II. 116.
ἁμαρτάνειν, *scortari.* I. 182.
Ambrosii quantilla fuerit eruditio. II. 131.
אמר, *praecepit.* I. 13.
אמר, *dixit in corde suo.* I. 48.
ἀναδεικνύειν, *renuntiare aliquem*, e. g. *consulem.* I. 131.
ἀνατολὴ, *germen.* II. 380.
Angelico de testimonio resurrectionis Christi Dissertatio. II. 432. sqq.
Aoristus interdum Futurum significat. II. 310.
Aposiopesis. II. 237.
Apostolum inter & Euangelistam discrimen. I. 148.
G. Arnoldi *Historia ecclesiastica* nimium vel laudatur vel contemnitur. II. 330.
Eius iniuria in Bugenhagium. II. 85.

B*abylonia*, nomen vrbis & regionis. II. 105.
Babylon, nomen duarum vrbium. II. 106.

bacu-

baculus. Vid. ſcipio.
baptismus an fieri poſſit aqua non ſimplici. II. 270.
Baſilius, Bogomilicae ſectae caput. II. 509. ſqq.
Benedictus XIV. Papa ſaeculi XV. I. 329.
Boanerges cur vocarit Ieſus duos Apoſtolos. I. 254. ſqq.
Bogomilorum Hiſtoria critica. II. 492. ſqq.
Bogomilorum nomen quid ſignificet. II. 505. ſq.
bonus, *bonitas*, id eſt, beneficus, beneficentia. II. 97. ſq.
Britanni toto orbe diuiſi. Quid velit ſibi his verbis Virgilius. II. 268. ſq.
Bugenhagii defenſio a calumnia quadam. II. 85. ſqq.

Caini hiſtoria illuſtrata. I. 59.
Chriſti & Moſis miraculorum comparatio. II. 7.
Chriſtus cur Meſſiam ſe praedicari vetuerit diſcipulos. II. 63. ſqq.
coelibatus ſacerdotum. II. 132.
de S. Coena controuerſia non eſt fundamentalis. I. 330.
Concilium plenarium quid ſit Auguſtino. I. 166.
conciliorum auctoritas quanta. I. 169.
concio aedificatoria (**eine erbauliche Predigt**) quae ſit. II. 350. ſq.
controuerſiarum theologicarum vera cauſa. II. 130.
creatio ab aeterno eſt contradictio. II. 327.
credere quaedam nos, credimus, quae certiſſime non credimus. II. 324. ſq.
criteria ſuppoſititiorum locorum. I. 206. ſq.
Curayeriana Theologia. I. 260. ſqq. II. 132.

Deco-

D*ecori* definitio & diuiſio. II. 193. ſqq.
de titulo *DEI GRATIA* Diſſertatio. II. 446. ſqq.
Diaboli pacta cum hominibus negant orthodoxi Theologi. II. 36.
Dies dominica non fuit inſtituta ab Apoſtolis. I. 169.
δίκαιος interdum ſignificat *verus*. I. 8.
δίκαιος id eſt, *benignus*. II. 123.
δικαιοσύνη, *benignitas*. II. 123.
δικαιοῦν, *iuſtificare*. II. 368. 371.
δικαιοῦν, *ſanctificare*. II. 365. Vid. *iuſtificare*.
δικαιοῦν, **eine Meynung behaupten**. II. 71.
diligere & *amare* differunt. I. 281.
Diotrephes quis fuerit. I. 301. ſqq.
dixit pro *dixit in corde ſuo*. I. 48.
dixit omiſſum. II. 50. ſq.
Dorothei Tyrii liber de LXX. diſcipulis. II. 145. ſqq.

Εἶπε, *praecepit*. I. 13.
εἰς τὸ ὄνομα rectius vertitur *in nomen*, quam *in nomine*. II. 353.
ἐκβάλλειν, ſenſu molliori. I. 311. ſq.
ἐπιγινώσκειν plus, quam γινώσκειν. II. 310.
Epiſtolae ad Hebraeos auctor non eſt Paulus. II. 327.
Epiſtolae Apoſtolorum nonnullae perierunt. I. 301.
Euthymius theologus eſt heterodoxus. II. 504.
- - hiſtoricus eſt malae fidei. II. 502.
Exegeſeos hiſtoricae ſpecimen. II. 14. ſqq.

Facere

F*acere* pro *facere velle*. I. 190. sq. 314. II. 19.
facere pro *simulare*, *se facere aliquid*. I. 48. sq. II. 26.
fecerunt etiam Magi miracula, quid significet. II. 18. sqq.
Festum resurrectionis Christi quo tempore institutum sit. I. 168.
Fidelissimus, titulus Regis Lusitaniae, quid significet. II. 331.
De fortitudine Dissertatio. II. 271. sqq.

de Geographia Christi Dissertatio. I. 173. sqq.
ἡ γῆ, *haec terra*, *Iudaea*. II. 84.
γράφειν, *pingere*. I. 199. sq.
Gregorii Nysseni mendacia de miraculis. II. 427. sq.

Hebraeorum notarum vocalium & accentuum nouitas. I. 331.
Hendiadys. I. 224.
Hieronymi Pragenses duo. I. 329.
Historiarum Biblicarum breuitas. I. 18.
Honesti definitio & diuisio. II. 189. sqq. 193. 195. sqq.
Huetii liber *de concordia Rationis* & *Fidei* notatur. I. 4. sq.
Ioannes *Hussi* duo. I. 329.

IEPHTHAE de voto Dissertatio. II. 476. sqq.
Libri *Interim* auctores veri. II. 129.
Immortalitatis animae demonstratio philosophica. I. 331.

In-

Interpres bonus non festinat. II. 149.
Interpretatio Scripturae S. vel verbalis vel realis. I. 6.
- verbalis vel grammatica vel rhetorica. I. 7.
- realis vel dogmatica vel prophetica vel historica. I. 7.
Interpretationes Rabbinicae. I. 63. sqq.
Interpretationis allegoricae vanitas. I. 61. sqq.
Interpretationis historicae vtilitas & necessitas. I. 53. 57.
Interpretum Biblicorum tres classes. I. 332.
inquit omissum. I. 50. sq.
Ioannis Apostoli stylus. II. 134. sq. 357.
Eius titulus: *discipulus a Iesu amatus*, explicatur. II. 332. sqq.
Iosua fuit propheta. II. 256.
- fuit typus Christi. II. 259.
Iuris naturalis distinctio in absolutum & hypotheticum. II. 184. sqq.
Iusti definitio & diuisio. II. 189. sq.
Iusti, *Honesti*, *AEqui*, ac *Decori* discrimen. II. 184. sqq.
iustificare pro *sanctificare*. II. 367.

Καὶ, *etiam*. I. 324. II. 81. 153.
καὶ, *&* *speciatim*. I. 294.
καὶ, *nam*. II. 162. 171. 440.
καὶ, *etiamsi*. II. 82.
κακοποιεῖν, *beneficium omittere*. I. 315.
κατὰ Ματθαῖον *Euangelium*, quid significet. I. 154.
קול יהוה, *tonitru*. I. 226.
κωλύειν, *dissuadere*. I. 313.

Leges positiuae vniuersales non dantur. II. 199. sqq.
Longini locus illustris de Mose explicatur. I. 12. sq.
Lucas fuit vnus e LXX. discipulis. I. 149.
Lutheri ingenium exegeticum. I. 44. 67.
Lutheri vocatio diuina ad reformandam Ecclesiam. II.. 209.
Lutherus an debuerit facere miracula. II. 426. sq.

Magorum AEgypti miracula fuerunt fictitia omnia. II. 13. sqq.
μακροθυμεῖν. II. 82.
Marcus fuit filius Petri naturalis. II. 110.
μαρτυρεῖν τινι, laudare aliquem. I. 320.
μαρτυρούμενος, ein belobter Mann. I. 320.
Ministerii sacri candidatorum prudentia. II. 233. sq.
Miracula cur hodie non fiant. II. 417. sqq.
Miracula facit solus Deus. II. 4.
Miracula fictitia Pontificiorum. II. 429.
Miracula non sunt nota verae Ecclesiae. II. 428. sq.
Miracula sua publicari nunquam Christus vetuit, nisi ad breue tempus. II. 50. sqq.
Miraculorum in AEgypto factorum causa impulsiua. II. 3.
Miraculorum Christi & Mosis comparatio. II. 7.
Mosis miracula in AEgypto. II. 5. sqq.

Νεανίας, vir mediae aetatis. I. 94.
Nilus, AEgyptiorum Deus. II, 9.

Oculus bonus, id est, benignitas. II. 164.
- *malus*, id est, auaritia. II. 164.

οἰκο-

οἰκοδομεῖν & οἰκοδομὴ, verba Paulina, explicata. II. 342. sqq.
ὁρᾶν Θεὸν quid sit. I. 317.
Pauli Orosii de nomine tertio Dissertatio. II. 484. sqq.
Ostern & Osterfest vnde dicatur. I. 164. sq.
P
Pacifici de titulo Dissertatio. II. 457. sqq.
Papiae tributa perperam corruptio S. Scripturae. I. 204.
Paraphrases historiarum Biblicarum necessariae. I. 45. sq.
Parentheses Messianae. II. 378. sqq.
Parermeneutarum secta. I. 7.
Pascha duo significat. I. 162. sq.
Paschalis controuersia veterum dilucidata. I. 156. sqq.
Pastorale munus licet alio permutare. II. 237. sq.
Pastores eligendi ius. II. 216. sqq.
Patriarchae omnes fuerunt prophetae. II. 395. sq.
Pauli conuersio illustratur. I. 80. - 119.
peccatum ad mortem. II. 136. sqq.
Perfectum pro Plusquamperfecto positum. II. 50. 257.
Petrus non negauit conuersionem ethnicorum. II. 407. sq.
Phocylides an fuerit Christianus. II. 287.
πιστὸν ποιεῖν, Christlich handeln. I. 292. sq.
πλὴν, *caeterum.* II. 83.
Pluralis pro Singulari. I. 11. 307.
Poëtae creatio. II. 179. sqq.
Poëtriae creatio. II. 176. sqq.
ὁ πρεσβύτερος, nomen Ioannis Apostoli proprium. I. 278. sq.
προσποιεῖσθαι, *simulare.* I. 196.

Quartadecimani, ficta haereſis. II. 165.

ראמים, *oryges.* I. 229.
Ratio ſana eſt iudex omnium controuerſiarum. II. 326.
Regum aduentus magnifici. II. 261. ſqq.

S*arpius* Paulus, Lutheranus. II. 129.
De *Saurini* Commentariis Biblicis iudicium. I. 16.
Schriftgelehrter, Latine *Theologus.* I. 3.
ſcipio, inſigne Regis vel magiſtratus. II. 6.
ſcribere in terra. I. 178. 192. ſqq.
Scriuerii error circa magiam & obſeſſionem Diabolicam. II. 34. ſq.
ſenſus literalis & myſticus. II. 249.
ſenſus myſtici criteria. I. 248. II. 256.
Septuaginta Chriſti diſcipuli. De iis Diſſertatio. I. 120. ſqq.
ſermo cordis per *dixit* expreſſus. II. 48.
ſerpentes tractandi ars naturalis. II. 21. 48.
ſimulatio ſtultitiae. I. 78. ſq.
Sirion quid ſit. I. 228.
ſolus reſpectiue intelligendum. I. 185. ſqq.
ſortes Biblicae. II. 228.
Spenceri opus *de Hebraeorum legibus ritualibus* laudatur. II. 283.
Spiritus S. Deitas. II. 354. 357. 359.
Spiritus S. cur hodie non edat miracula. II. 417. ſqq.
Spiritus S. effuſionis tres menſurae in Nouo Teſtamento. II. 403. ſqq
Spiritus S. teſtimonium internum. II. 232.

ſtylus Scripturae S. hiſtoricus. I. 47.
ſtylus Ioannis Apoſtoli. II. 134. ſq. 357.
Sulpicii Seueri mendacia de miraculis. II. 427. ſq.

Theocratia mundi perpetua. De ea Diſſertatio. II. 391. ſqq.
Theologia eclectica. I. 273. 330.
Theologi theoretici cur raro ſint etiam Theologi practici. II. 130.
Theologus, Germanice ein Schriftgelehrter. I. 3.
ἐκ Θεοῦ εἶναι quid ſit. I. 316.
θαυμάζειν, *magni facere*. I. 321. ſq.
ἐν τάχει, *certiſſime*. II. 83.

Verba plebeia. I. 284. II. 315.
Verba praegnantia. I. 89. 230. 291.
Via auctoritatis & via examinis in religione. II. 328. ſq.
Victoris, Epiſcopi Romani, conatus monarchicus. I. 159. ſqq.
Virgilius *Ecl.* I. 67. nunc primum recte explicatus. II. 258. ſq.
Vocatio diuina ad miniſterium eccleſiaſticum. II. 202. ſqq.
Vocatio generalis. II. 208. ſpecialis. II. 208.
Vocationis ſpecialis ſigna diuina non dantur. II. 225. ſqq.
Vocatio immediata quae dicatur. II. 207. 211.
Vocatio mediata quae ſit. II. 207.
Vocatio mediata quae male dicatur. II. 224.
Vocatio interna. II. 243. ſqq.

Voca-

Vocatio hodierna Paſtorum ſpecialis eſt humana, generalis diuina. II. 214. ſq.
Vocationem diuinam habent etiam Theologi Academici & Catechetae. II. 240.
- etiam rectores rerumpp. II. 241.
- etiam coniuges. II. 242.
Vocatio Lutheri ad reformandam Eccleſiam. II. 209.

Wertheimenſis interpretationes damnantur. I. 7. 14.

ὑπομιμνήσκειν τινά τι. I. 308. ſq.
Φλυαρεῖν. I. 309.
Φωνὴ, *ſermo*. I. 91.
Φῶς, lux ſupernaturalis. I. 91.
In Zinzendorfium Comitem Epigramma. II. 31.

EXCVDIT GOTTINGAE
IO. FRIDERICVS HAGERVS.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Heumann, Christoph August, 1681-1764

Christophori Aug. Heumanni Nova sylloge dissertationum part. ...

Bd.: Pars 2.

Rostochii ; Wismariae 1754

Exeg. 483-2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10481243-0
VD18 80375251-001